
JOSEPHI XAUPI
a nobilibus Perpiniani
Civibus Canonici et Ar
chidiaconi in ecclesiâ
Perpinianensi, Abbatis
de Jau, Sacræ facultatis
Parisiensis e regiâ socie
tate doctoris et ab ineunte
anno 1765. V. decani.



MED Rev. 2

Incluida [illegible]
[illegible]
[illegible] 17 [illegible] 15- [illegible]
17[illegible]

ACTA ERUDITORUM

ANNO

M DCCIV

publicata.

Cum S. Cæsareæ & Regiæ Polonicæ Majestatum privilegiis.

LIPSIÆ.

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes, & FRID. GROSCHUF.

Typis CHRISTIANI GOEZI.
A. MDCCIV.




ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Januarii, Anno MDCCIV.

APPARATUS AD BIBLIOTHECAM MAXIMAM veterum Patrum & antiquorum Scriptorum Ecclesiasticorum Lugduni editam. Opera & studio Domni NICOLAI Le NOURRY, Presbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Parisiis, apud Joh. Anisson, 1703, fol. Alphab. 9.



Duobus jam in locis prolixe satis de hoc celeberrimi Nourrii Apparatu in Actis nostris egimus, semel quidem tomo secundo Supplementorum, p. 531 sqq. iterumque A. 1698, p. 551 sqq. Sed nunc denuo sub nostrum ille recensum vocandus est, postquam in majori hac forma conspiciendus sistitur.

Repetitos autem heic videre est duos tomos jam ante separatim editos, in quibus Autor eruditissimus circa Ecclesiasticos primi & secundi a Christo nato seculi Scriptores occupatum se exhibuit. Heic tamen non pauca secundis retractavit curis, quædam etiam adjecit, quibus nova majorque sacris nonnullis dogmatibus, aut difficilioribus locis lux afferri potest. E secundo tomo Gregorii de anima opusculum, quod in priori editione, post dissertationem sextam, appendicis loco sequebatur, sustulit, ratus quippe, commodiorem istud locum obtenturum, si quando de Gregorii Neo-Cæsariensis operibus agendum fuerit. Vicissim accessionem insignem nacta est præsens editio, dum tomum veluti peculiarem constituit prolixissima de Clemente Alexandrino commentatio, quæ omnibus & singulis sancti hujus Patris, sive editis, sive non editis, sive

 veris,

veris, sive falsis operibus excutiendis atque illustrandis impenditur.

Et Clementi sane hunc locum ideo dandum esse, existimavit Nourrius, quod, quæcunque typis edita prostent illius opera, cadente secundo Ecclesiæ seculo ab ipso composita esse videantur. Tanta vero, tamque varia & multiplici, cum sacra, tum profana eruditione cumulatissime repleta eadem cum sint, ad illa recte & perspicue enucleanda, pluribus verbis longoque sermone opus fuisse innuit; unde ne nimis excresceret voluminis unius moles, hunc Patrem prius absolvendum, quam suas de Scriptoribus tertii seculi dissertationes subministrandas censuit.

Missis itaque tomis duobus prioribus olim recensitis, qui primum heic & secundum librum constituunt, circa tertium paulo subsistemus amplius, & quo modo de operibus Clementis Alexandrini agat, dispiciemus. Tribus videlicet dissertationibus universum absolvit negotium, quarum prima de Admonitione ejus ad Græcos, & de tribus Pædagogi libris, secunda de libris Stromatum, tertia de aliis ejusdem operibus, ac de iis etiam, quæ ille se scripturum promiserat, & de variis Chronologiis ab ipso repræsentatis, eleganter atque docte commentatur.

Ab Admonitione ad Græcos fit initium, ubi post institutam libri totius analysin, quædam de ejus titulo, argumento, elegantia, eruditione, & manuscriptis codicibus, Nourrius in medium affert. Quod ad illius integritatem attinet, depravatos in eo plures locos, nulliusque manuscripti codicis ope hactenus sanabiles, Hervetum notasse innuit. Ast sicuti quosdam corruptionis perperam insimulari monet, ita nonnullos, sed paucissimos, scriptorum amanuensium incuria mancos & mutilos, vix ac ne vix quidem a quoquam, nisi aliis manu exaratis codicibus adjuto, posse unquam sanari, aperte & ingenue confitetur. Hinc ad prosopographiam Clementis pergit; & quisnam ille fuerit, qui ejus præceptores, quodnam munus & officium gesserit? & quæ alia, uberius declarat. His absolutis, tres Pædagogi libros eadem methodo considerat, & tum demum

demum ad varias in utrumque scriptum observationes se accingit. Sacros Veteris & Novi Testamenti Autores Divino Spiritu afflatos, Clementem credidisse docet. Salomonem, Proverbiorum Autorem, monet puerum Hebræum ab isto appellari, forsan ideo, *quod ille* de se ipso hæc edisserat: ego filius fui patris mei, tenellus, & unigenitus coram matre mea, & docebat me, Prov. IV, 2. In Pædagogo plurima V. T. loca modo a vulgata editione diverso cur allegentur? indagat. Legem Apostolorum, qua sanguine animalium & suffocatis carnibus interdixere, una cum Clementis rationibus eam firmantibus, examinat. De Christi & Spiritus Sancti Divinitate, sacroque Trinitatis mysterio, ac de iis, quæ ad Christum alias pertinent, Clementem recte docuisse, pluribus ostendit. Quod Christum nullo corporeæ formæ lepore, nullaque oris & vultus elegantia præstantem, imo vero indecorum & deformem dixerit, id vitio ipsi vel errori verti minime posse, contendit. Orthodoxam porro illius de Sacramentis, & Eucharistia inprimis, sententiam vindicat; de Angelis etiam, hominisque anima & Christianorum moribus, non nisi pia ac recta ab ipso prolata legi, monstrat. Ut ejus asserta de Gentilium Theologia ac variis eorum superstitionibus dilucidentur, plura cumulat de idololatriæ & nefarii plurium Deorum cultus origine & primordiis; de primis Deorum templis; de Paganorum simulacris, statuis & imaginibus: ubi simul, nulla plane apud Christianos fuisse simulacra, nullasque in eorum templis imagines, observat. Paganorum item Deabus, sacrificiis & mysteriis describendis justam impendit operam, prout & animalibus ab istis cultis, Regibus item & privatis hominibus in Deorum numerum relatis. Nec eorum omittit oracula, ludos & certamina. Philosophorum & Poetarum ethnicorum de Diis primisque rerum principiis opiniones recenset. Quosnam illi vocitarint atheos? declarat. Mores Paganorum illustrat, virorum luxum & mollitiem, Lacedæmoniorum & Atheniensium vestes, superbam domorum supellectilem, balnea viris & fœminis communia, inebriationes, coronas in conviviis & funeribus, unguenta, & quæ sunt alia. Etsi autem Clemens libros Pædagogi ad informandos Christianorum mo-

A 2 res

res, & tradenda vitæ Christianæ præcepta ediderit, plura tamen intermiscere ipsum ait ad res physicas & naturales spectantia, quæ, cum explicatione aliqua aut confirmatione indigeant, minime intacta relinquenda judicavit. Hinc disputat de auro, quod formicæ effodiant, & gryphes custodiant; de Pactoli fluentis aureis & Lydio ramento; de quibusdam animalibus a Clemente adductis, hiæna sexum mutante, lepore & dasipode, merula & luscinia, pavone Medo, psittacis, phasianis, & aliis. Denique de scriptoribus, poetis, pædagogis & statuariis, a Clemente laudatis, caput integrum subnectit.

Secunda Dissertatio septem libris Stromatum est destinata, quos Clementi ante omnia vindicat Nourrius, eorundemque publicandorum præcipuam fuisse causam dicit hanc, ut veram sinceramque Christianæ fidei doctrinam, contra Paganorum, præsertim Philosophorum & Hæreticorum errores tueretur, ac quæ ex eorundem Philosophorum dogmatibus Christiano homini rejicienda & assumenda essent, patefaceret. Adhæc, postquam in sua ad Græcos Admonitione, impias Ethnicorum superstitiones funditus evertisset, postquam tribus Pædagogi libris, illos, qui Christianæ religioni nomen recens dederant, primis imbuisset illius præceptis, necessarium duxisse ipsum, ut manifestum faceret, in quo sita summa, ad quam semper debeant contendere, ejusdem Christianæ religionis perfectio? His aliisque more supra jam insinuato expositis, & præsens Stromatum opus doctis observationibus explanat, v. c. de Mose Pentateuchi autore, ejusque ætate, vita, variis nominibus, scientia & sapientia, ac bellica prudentia, noctu Israëlitas, quemadmodum Miltiades & Thrasybulus suo ævo fecerint, ducendo declarata; de aliis utriusque Testamenti libris, eorumque autoribus; de virorum insuper Apostolicorum & aliorum antiquissimorum scriptorum operibus, Barnabæ epistola, libris Hermæ, & similibus, de LXX Danielis hebdomadibus; Baptismi Christi anno & die, &c. Quod Clemens Christum famis, sitis, doloris aliarumque humanarum affectionum & motuum expertem penitus crediderit, vero haud consonum esse asserit. Libero hominis arbitrio plus æquo ipsum tribuisse negat, & mentem ejus de peccato

cato

cato latius exponit, pari ratione circa alia doctrinæ ab ipso assertæ capita versatus. Quod de secundis ille nuptiis recte senserit, adversus Centuriatores Magdeburgenses probatum dare nititur. Perpetuæ continentiæ ac cœlibatus statum non minus *ab ipso*, quam matrimonium, probari & commendari autumat. Inde ejus de virtutibus Christianis sententiam proponit. Perfectum Christianum ab eo nuncupari γνωστικὸν animadvertit, & quid in tali requirat, per partes singulas manifestum facit. Hæreticos a Clemente tactos, utpote Simonianos, Nicolaitas, Basilidianos, Carpocratianos, Isidorum, Epiphanem, Prodicum, Valentinum, Marcionitas, Antitactos, aliosque in scenam producit. Ubi ad Gentilium Theologiam rursus fertur, præter cætera de Ephesiis, aliisque magicis literis & nominibus dispicit. Dandam esse Philosophiæ operam, & ad eam perfecte comparandam, cuilibet Christiano homini sedulo incumbendum esse, cum variis rationum momentis evidentissime Clemens demonstrarit, quid ille Philosophiæ nomine intellexerit? inculcat. Nimirum non nisi recte dicta, & æquitatis, justitiæ, pietatis ac veritatis decreta. Econtra autem statuisse ipsum, falsa & erronea, ac sæpissime impia dogmata, quibus gentiles Philosophi veram divinamque Hebræorum doctrinam vel labefactaverint, vel interpolaverint, vel penitus corruperint, a Christianis omnibus plane penitusque rejicienda, atque explodenda venire. Admissa a Gentilium Philosophis scriptoribusve e Sacris Literis furta, ad Clementis ductum pandit. Sectas Philosophicas ab eo memoratas recenset, & cujusque asseclarum opiniones varias ad incudem revocat. De septem Græciæ Sapientibus haud proletaria allegat, Ethnicos legislatores, vates, fœminas fatidicas prodire jubet, scientiarumque, artium & aliarum rerum inventores, cum Clemente suo introducit. Furtis modo memoratis mutua Græcorum scriptorum furta associat. Et qui in chartæ, quæ nos premit, angustia recensere licet singula, quæ non citra fructum ac voluptatem insignem ulterius annotata legi queunt? Scriptorum in Stromatum libris a Clemente laudatorum duos struit indices, nomina ipsorum ordine alphabetico disponentes, quorum alter Historicos,

aliosque, qui soluta quid oratione scripserunt, alter vero Poëtas complectitur.

Tertia Dissertatio auspicium sumit ab octavo, qui vocari suevit, Stromatum libro, quem a Clemente profectum esse inficiatur. Illum vero librum, cujus titulus: Quis dives salutem consequi possit? Clementi abjudicare haud sustinet, & impactos ei errores removere studet. Ast opusculum, quod in Græce & Latine editorum Clementis Alexandrini operum fine, Græcis tantum typis excusum, & in duas partes divisum sit, quarum prior varia veteris novique Testamenti loca, absque ullo ordine ullave cohærentia accumulet, nec rectis ac sanis plerumque interpretationibus eadem explicet, posterior ex Scripturis Propheticis electa polliceatur, reapse vero multa sacris Prophetarum oraculis adversa, & ex eorum libris minime desumta proponat, longe alium, quam Clementem, autorem habuisse, judicat. Nec adumbrationes in aliquot epistolas Canonicas, partem nimirum primæ Petri, & Judæ, & primam ac secundam Johannis Epistolam, pro genuino Clementis fœtu agnoscit. Deperditis illius operibus primo loco accenset Hypotyposeon libros, librum dehinc unum de Pascha, disceptationem porro de jejunio, librum de obtrectatione, librum contra eos, qui Judæorum errores sequuntur, quorum plerumque fragmenta aliqua apponuntur. Tacemus alios tractatus, qui æqualem cum his celebritatem assecuti non sunt. De libris & commentariis, quos Clemens scripturum se esse promiserit, postremo loco mentio injicitur.

Cum de cætero ex variis, quæ a Clemente Alexandrino in primo Stromatum libro pertractentur, argumentis, non minimum sane illud sit, quo Mosen scriptorum omnium antiquissimum esse demonstret, & ad istud efficacius persuadendum, plures ex diversis Ethnicis autoribus desumtas exhibeat chronographias, quibus ea Mosis antiquitas ipsorum testimonio comprobetur, idcirco omnes cum Paganorum scriptorum, tum Clementis chronologias, continuato ordine, atque adjectis, quos ille omiserat, omnibus a mundi primordio annis, Nourrius heic repræsentat. Et ut facilius ab unoquoque deprehendi possit, in quo Clemens discrepet ab aliis, duas, præter Clementinam, alias

alias chronographias exhibet, Eusebii nimirum Cæsariensis, & Georgii Syncelli, tresque has chronographias tribus columnis ex adverso positis sic distinguit, ut quivis uno oculi ductu perspicue videat, quænam earum sit concordia, & quæ discrepantia vel dissensio? Eusebii autem & Georgii Syncelli Chronica præ cæteris ideo selegit, quia uterque in illis ipsammet Clementis chronologiam haud semel citavit. Inde enim haud incerto colligi existimat, utrumque sic eam legisse, ut, quod verum esse judicarit, ab ea acceperit, quodque falsum, repudiaverit.

I PREGI DELLA TOSCANA &c.

i. e.

ORNAMENTA HETRURIÆ IN MEMORABILIbus factis Equitum S. Stephani. Opus in lucem editum a FULVIO FONTANA e Soc. Jesu, ac Regiæ Celsitudini COSMI III Magni Ducis Hetruriæ & Magni Magistri Ordinis dedicatum.

Florentiæ, apud Petr. Matthiam Miccioni & Michaelem Nestenum, 1701, in fol.

Constat 3 Alphab. 3 plag. multisque figuris æneis.

ILlustrissimus Ordo Equitum S. Stephani, per sesquiseculi fere decursum, rebus contra Barbaros egregie ac prospere gestis excelluit plurimis, ut justo eas volumine describendas haud injuria crediderit Reverendus libri hujus Autor. Omnes itaque ad oculum quasi delineavit, æreisque incisas tabulis Lectoribus obtulit, præfatus tamen nonnulla, quæ ad generalem jam dicti Collegii Equestris notitiam faciunt. Principium deducit a magnifico Pisarum & Liburni elogio, in quarum civitatum altera sedem Religionis suæ, in altera armamentarium Equites statuisse perhibet. Tum Magnos Magistros, Hetruriæ simul Duces, enumerat, Cosmum scilicet I, Franciscum I, Ferdinandum I, Cosmum II, Ferdinandum II, & Cosmum III, hodie regnantem. Primum equidem de instituenda Sacra Religione consilia secum agitasse ait, postquam e decretoria illa ad Marcianum pugna, d. 2 Aug. A. 1554, victor discesserat, partim ut Deo im-

immortali grati animi ſymbolum teſtaretur, partim ut Mahummedanorum audaciam, piraticam in mari mediterraneo late exercentium, retunderet. Quoniam vero obtentæ victoriæ dies recordationi S. Stephani, Papæ & Martyris, in faſtis ſacrata fuerit, ideoque nomine ipſius Ordinem ſuum militarem condecorari voluiſſe. Sed ne rem tanti momenti inauſpicato aggredi videretur, Pio IV, ſummo tum temporis Pontifici, eam aperuit, quem adeo ſibi pronum expertus eſt, ut non modo non improbarit ſanctiſſimum inſtitutum, potius omni illud ope juvandum cenſuerit. Quem in finem Bulla Apoſtolica Religionem iſtam munivit, Equitibus regulam S. Benedicti ſervandam præſcripſit, eosdemque quovis Eccleſiaſticæ jurisdictionis nexu exemit. Venerabile quoque crucis ſignum in inſigne Ordini conceſſit, Coſmum ejusque Succeſſores Magni Magiſterii dignitate ornavit, bona ad Religionem ſpectantia decimarum onere cæterisque præſtationibus abſolvit, quin & conjugatis non tantum, ſed bigamis etiam licentiam indulſit, beneficia CC ſcutatorum aureorum quotannis percipiendi, quam ſummam Sixtus, Pius & Paulus, Quinti omnes, ad quadringentos usque aureos ampliarunt. Cæterum votis ſuis perinde obſtringi Equites hoſce, ac Religiones militares alias, Noſter affirmat; imprimis autem oportere eos, quoties claſſicum contra hoſtes Chriſtianæ fidei undiquaque canatur, expeditioni iſti intereſſe, multoque magis Magnum Magiſtrum ad tale bellum euntem viritim comitari; poſſe vero, in ſolatium hujusmodi laboris, de commendarum ac beneficiorum fructibus ultima disponere voluntate. Veſtitum quod attinet, crucem quidem communem illos geſtare cum Melitenſibus, ſed rubram tam in pectore, quam in latere ſiniſtro; togam inducere ad pedes promiſſam, inſtar Monachorum, e cilicino panno tenuiore candido, cui ruber ſuppoſitus ſit, confectam, intexta cruce in læva corporis parte, quod veſtimenti genus aſpectu grave ac jucundum prædicat Autor. Quandoquidem vero armis in conflictu tractandis obeſſe facile poſſet, ideoque ſuccedere tum in ejus locum ſagum bombycinum brevius albicans, ſubſuta tela rubra, cum cruce in medio pectore ejusdem coloris, ſeu terrorem Barbaris ſic incuti, ſeu commilitibus

stitibus suis animum addi sperent. Mox diversas classes Equitum, secularium nempe atque ecclesiasticorum, nec non varios, quibus a se invicem distinguantur, gradus indicat. Habitare illos duo palatia Pisis superbe constructa, ad quæ proxime sita apparet Ecclesia splendidi operis, trophæis spoliisque hostium bene referta. Hisce A. 1683 corpus ipsius B. Stephani accessisse, e civitate Traniensi illuc allatum, & nuperrimo demum Jubilæo sellam illam, quam beatus Vir martyrii honorem adeptus cruore suo olim adsperserat, Celsissimo Magno Duci ab Innocentio XII Pontifice in præmium religiosæ peregrinationis donatam. Ecclesiam ipsam gaudere proprio Clero, cujus Prior, e speciali Pontificis indultu, Episcopalibus ornamentis amictus, Missam celebrare possit. Porro de Nobilitate a Candidatis Ordinis probanda, ut & regiminis administratione duodecim spectatæ virtutis Equitibus commissa agit, quem Senatum omnimodam jurisdictionem, in causis qua civilibus, qua criminalibus, in reliquos Equites exserere contendit. Inde novem præcipuarum Ordinis dignitatum, Commendatoris videlicet Majoris, Magni Constabularii, Thalassiarchæ, Magni Prioris Conventus, Magni Cancellarii, Magni Thesaurarii, Magni Hospitalarii & Magni Prioris Conventualis Ecclesiæ, mentionem injicit, easdemque singulis trienniis, quibus Capitulum generale haberi suevit, mutari, aliisque de novo decerni refert. Multus est in exaggeranda pompa ejusmodi solennium, quæ Dominica in Albis peragi ut plurimum solent, nec parcior in juribus Magno Magistro competentibus investigandis. Dehinc ad historica magis deflectit & supra laudatum Cosmum I A. 1561 d. 15 Martii Pisis Religionem S. Stephani fundasse, ipsumque in Ecclesia Cathedrali a Nuncio Apostolico Georgio Cornaro hisce verbis: *Efficiatur Celsitudo Tua Miles Christi, & esto Magnus Magister Ordinis Divi Stephani, cujus habitum suscipito in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, Amen*, investitum fuisse narrat. Posthæc præclaras Equitum actiones, sub singulis rei maritimæ Præfectis, copiose recenset, quot triremes aliaque Barbarorum navigia demerserint, quot capta abduxerint, quot urbes & castella infidelium expugnaverint; quæ omnia hic persequi, tædiosum nimis foret. Id saltem

B ex

ex Autore nostro adjicere liceat, tantas victorias non nisi unius triremis jactura constitisse, quæ in prælio cum famoso pirata Occhialio inito, tormentorum ictibus lacerata perierit. Tam levi adeo detrimento septem mille Christianos in libertatem assertos, & viginti quinque Turcarum millia compedibus fuisse addicta. Huic descriptioni, appendicis loco, subjici videas amplissimos catalogos tum triremium, navium atque arcium devictarum, tum eorum, qui ex hoc nobili Equitum consortio, vel ad Cardinalitiam purpuram, vel ad suprema Religionis suæ munia obeunda, vel ad triremes regendas, evecti fuerint. Dolendum tamen, bullas & diplomata Pontificum huc pertinentia, constitutiones item Ordinis, reditus, commendas, dies emortuales Equitum, aliaque singularia, quorum copiam haud difficulter impetrare valuisset Autor, hic desiderari.

ANTIQUITE' DE LA NATION ET DE LA LANgue de Celtes &c. Par le R. P. P. PEZRON.

i. e.

ANTIQUITAS NATIONIS ET LINGUÆ CELtarum seu Gallorum, demonstrata a R. P. PAULO PEZRONIO.

Parisiis, apud Jo. Boudot, 1703, in 12. maj. Plag. 19.

SI laus est, litterarum monumentis prodere, quæ maxime remota sunt ab hominum opinione, imo posita supra fidem videri prima fronte rem considerantibus poterant, dubium non est, quin magno adplausu hunc celeberrimi Pezronii librum excepturi sint eruditi. Is enim longe aliter de origine ac antiquitate gentis Celticæ sentit, ac sensere hactenus, qui in gentium inquisivere natales. In hanc autem se ingressum sententiam scribit, cum, quæ de gentium originibus Moses divinus scriptor Geneseos decimo capite exponit, accuratiori meditatione persequeretur. Bochartum quidem multum in hoc argumento elaborasse, omneque quod tulerit punctum, vulgo censeri: ast & in multis, iisque haud exigui momenti rebus eum falli, & ad Celtas quod attinet, seu Gallos, eorum ne attigisse quidem illum originem. Jam ut suum rite exequatur institutum, a nomi-

minibus orditur. *Celtarum* & *Gallorum* nomine, ipsa lingua Celtica, *validos*, *fortes* significari, contendit. Sed priusquam Celtæ audirent, dictos fuisse *Cimbros*, seu *Cimmerios*. *Cimbri* autem seu *Kimper*, lingua Celtica denotare virum bellicosum. Advocat ad hoc evincendum etiam in subsidium linguam Germanicam, haud dubie innuens vocem *Kämpfer*. Cum autem supponat, partem Celtarum sub *Titanum* nomine antiquis fuisse celebratam, & hujus vocis natales in lingua Celtica quærit. Τιτᾶνες autem, seu Τιτῆνες lingua Celtica *Terrigenas* dici, hoc est γηγενεῖς. Antiquius autem adhuc esse nomen *Sacarum*, quo insigniti fuerint Celtæ, priusquam Titanes vocarentur. Profectum hoc esse a Parthis, qui Celtas *sacos*, hoc est *latrones*, *impios*, *sceleratos* vocaverint. A Parthis illud accepisse Persas, a quibus ad Græcos atque Latinos propagatum sit. Sed antiquissimum & maxime genuinum gentis nomen fuisse *Gomarorum*, *Comarorum*, *Gomaritarum*. Hoc enim primam veramque Celtarum originem designari, quam a Gomer, primogenito Japheti, acceperint. Sed hæc ut historiæ, quam animo concepit Auctor, lucem quandam affundant, ita ab eadem rursus, ut probe intelligantur, sunt illustranda.

Nimirum hoc caput causæ, & præcipuum commentationis, quam Auctor instituit, momentum est, Gomaros ipsos esse Celtas, & illos a Gomer Japheti filio descendisse. Sedem autem primam Gomeri progeniem fixisse trans Taurum montem, in regionibus Asiæ Septentrionalibus, & hinc progressam, magnam Asiæ & Europæ subjugasse partem, & sub variis ab antiquissimis Historicorum celebrari nominibus. Hoc autem ne frustra dixisse videatur, antiquorum Scriptorum comprobare testimoniis annititur. Primum inter eos tenet locum Fl. Josephus, qui Mosis narrationem de originibus gentium velut commentario illustrans: *Gomarus*, inquit, *populos condidit dictos Gomaritas, qui nunc a Græcis Galli seu Galatæ appellantur.* Ptolomæum autem Gomaritis istis assignare sedem, intra Mediam & Bactrianam & mare Caspium, in Asia superiori. Et quidem quod a Gomero Gomaritæ descendant, per se

ſe patere: quod autem Gomaritæ iſti ſint Galli ſeu Galatæ, id enimvero Joſephum ex majorum accepiſſe traditione. Joſepho autem, ne ſola ejus autoritate niti videatur, porro addit Euſtathium in Commentario in Hexaëmeron, Hieronymum, Iſidorum Hiſpalenſem, & denique Joſephum Gorionidem, qui omnes idem confirmant, Gomaritas eſſe Gallos. Nec Gomaritarum gentem veteribus ignotam dici poſſe, quippe cujus Dionyſius Periegeta, Pomponius Mela, Plinius, atque Ptolomæus injiciant mentionem. Imo & ab Ezechiele divino vate eosdem memorari cap. XXXVIII, ubi inter gentes trans Taurum incolentes, & ex Aſia Septentrionali in Terram Sanctam irruptionem facturas, etiam *Gomer & univerſa ejus agmina*, connumerentur. Finit autem ſuam demonſtrationem ſequenti ratiocinio: Moſen ſeptem Japheti filios deſignare, primogenitumque inter eos conſtituere Gomer, quem Magog excipiat, uti hunc Madai. Jam cum Magog Scythiam ſeu Tartariam Aſiaticam in poſſeſſionem ſortitus ſit, Madai autem Mediam, veroſimile eſſe, interjacentes regiones ceſſiſſe Gomero. Has cum ab amœnitate & fertilitate commendet Strabo, æquum ſane fuiſſe, ut primogenito concederentur.

Cæterum qui eam Aſiæ partem, quam hodie Tartariam magnam vocamus, incoluerunt, Scythas olim dictos fuiſſe, conſtat. Ab his cum & Europæ gentes Septentrionales deſcendiſſe credantur, nominis quoque ab horum lingua repetenda derivatio, ut Scythæ a *jaculando, ſcheten, ſchüten*, dicti exiſtimentur. Iſti Scythæ cum a Magog originem traxerint, Celtarum tamen gentem adhuc antiquiorem eſſe Noſter autumat, quippe quæ a Gomer fratre Magogi natu majore deſcendat. Interim fatetur, Gomaritas apud veteres ſæpius Scytharum nomine venire, ſæpius & Celto-Scytharum. Cujus rei ratio & a cognatione utriusque gentis & a ſedium etiam propinquitate, repetenda ſit. Gomaritas autem antiquiſſimos, cum eas tenerent regiones, quæ mari Caſpio ab ortu eſſent & ad Mediam usque pertingerent, plurimi autem in Margiana ſedem figerent tandem nonnullos ex iis alias ſedes quærere coactos, tranſcendiſſe montes, qui Margianæ a meridie ſunt, & provinciam a Medis habitatam occupaſſe. Incolas itaque i-

ſtius

ftius regionis, quod fuga fibi confuluiffent, *Parthos*, hoc eft, *fugitivos, feparatos, ejectos*, dictos effe, qui contra eos, a quibus expulfi erant, *Sacas*, hoc eft *noxios, latrones, graffatores*, adpellitaverint. Factum hoc putat ante tempora Abrahami, ipfaque imperii Affyriaci initia. Et ita etiam Parthorum, a quibus *Perfæ* defcendunt, fe inveniffe natales, & rationem etiam detexiffe putat, cur Gomaritæ Sacarum nomine innotuerint. Sacarum iftorum fata porro profequitur, & quo pacto Armeniam Cappadociamque occupaverint, exponit. Tantas autem res geffiffe Sacas afferit, duce & auctore *Acmone*, qui cum fratre *Doëa* apud antiquos celebretur. Putat autem *Acmon*, feu *Ac-man*, in lingua Celtica idem effe ac *Mani* filium, quafi dicas *Ac-man* feu *Ach-mann*. *Doëas* autem perinde eft, fi illum audias, ac *Dieu*, Deus, quia vatis munere is apud fratrem regem functus fit. His ita erutis, haud difficile eft, integram contexere hiftoriam. Acmonis autem memoriam retinere urbem Acmoniam, in Cappadocia Pontica, docet. Sed dum ifti Armeniæ & Cappadociæ incumbunt, alii ex gente Gomaritarum, patriæ relinquentes fedes, ad Mæotidem paludem usque progrediuntur, ibique fortunarum fuarum figunt fedes. Sed ifti, ob caufam fupra allatam, *Cimbri* feu *Cimmerii* dicti funt. Horum ut frequens admodum apud veteres mentio, ita per varias deinceps Europæ fe diffuderunt partes, & fub Celtarum nomine deinceps innotuere, Cherfonefo tamen Cimbrica, & nominis & gentis antiquitatém, ad hodiernum usque diem, nobis in memoriam revocante. Nonnulli autem intra Rhenum, Oceanumque, & Alpes ac Pyræneos montes concedentes, ibique fuas ftabilientes fedes, Galli dici voluerunt. Et hæc eft illa Gallorum ac Celtarum a Cimbris, & per hos a Gomaritis origo, quam pluribus edifferit.

Sed ut cum Auctore ad Sacas revertamur, hos fub Urano, Acmonis filio, ejusque fucceſſoribus, Saturno & Jove, affumpto Titanum nomine res maximas gesfiffe autumat. Etenim non tantum Afiam minorem eos victoriis fuis peragraffe, fed fubjugata etiam Græcia, aliisque Europæ partibus, imo ipfa Hifpania, ad Mauritaniam usque imperii fui limites protuliffe.

Atque id bis mille annis ante Christum natum contigisse; unde intelligatur, longe antiquius illud Celtarum imperium esse, quam ullum ex iis, quæ hactenus nobis innotuere. Ipsam Scripturam sacram mox sub Titanum, mox Gigantum nomine, horum populorum meminisse, nec sine ratione de illis dicere: *qui terræ dominati sunt.* Et Acmonis quidem, ut diximus, successor fuit Uranus seu Cœlum. Hic pater illorum est, quos ceu Deos venerata est omnis Ethnicorum antiquitas. Uranum vero Acmonis filium fuisse, Simiæ Rhodii atque Hesychii testimoniis comprobat. Eum vero *Urnum* dictum, h. e. *hominem cœli*, quod *ur* in lingua Celtica *hominem*, *en* autem *cœlum* denotet. Potuisse autem merito eum ita vocari, quod rerum cœlestium sideraliumque perquam fuerit studiosus. Duxisse eum in matrimonium sororem suam *Terram*, seu potius *Titæam*. *Tit* enim & in Ebræorum, & in Celtarum lingua, significare terram. Hinc, quod ὡς ἐν παρόδῳ observat, *Lutetiam* dictam quasi *Leucotitiam*, a terra alba. Et hinc, quid Titanum etiam vox sibi velit, intelligitur. Excelluisse autem Uranum istum non modo sapientia & eruditione, sed rerum etiam præclare fortiterque gestarum gloria. Namque trajecto Bosphoro, Thraciam, Græciam, Cretamque insulam eum subjugasse, imo ad Hispaniæ fines, &, si Diodoro Siculo credendum, in Africam usque penetrasse. De Urani filio Saturno, qui patrem in vasto isto imperio excepit, prolixe itidem disserit, per fraudes excluso fratre natu majore, Titanum imperio eum potitum, primumque cum purpura & diademate, titulum nomenque Regis usurpasse, commemorans. Jupiter autem, seu *Jou*, Saturni filius, contra patrem insurgens, atrox cum eo bellum per decem annos gessit, tandemque pulso & ejecto patre, Regem se Titanum salutari voluit. Magna hæc Auctor diligentia exponit, historiamque Saturni & Jovis plenam exhibet: simulque longe aliam viam mythologiam explicandi ingreditur, quam vulgo solent. Non is arcana naturæ, aut sapientiæ hic rimatur præcepta; non Mosen hic quærit, aut Israëliticæ vel Phœnicicæ gentis facta; sed nihil aliud, quam Celticæ gentis fata antiquissima, primorumque, qui ei imperarunt, Regum res gestas, veteres nobis narrare contendit, qui de Saturno,

Jove,

Jove, Mercurio ceterisque gentilium Diis verba faciunt. Nimirum ad Jovem ut cum illo redeamus, hunc mortuo Saturno patre, quietam tandem tanti tamque vasti imperii adeptum esse possessionem. Omnibus autem cum ipse non sufficeret, cum fratri suo *Dis*, qui *Plutonis* nomine Græcis venit, occidentales concredidisse provincias, interque eas & Galliam & Hispaniam. *Telamonem* a Titanibus coactum, in Mauritaniam tandem se recepisse, ibique suis imperitasse, non amplius negotium illi facessente Jove, quod filius is esset Japheti, Saturnique frater. Hunc Telamonem ceteroquin sub *Atlantis* nomine celebrari. Gesta autem Jovis consideranti, ea quidem non plane justa aut cum æquitate convenientia videri posse, cum vastum imperium condi nequeat, quin multi injuste opprimantur. Sed multa tamen quoque eum hominum generi, speciatim Græcis, contulisse beneficia. Inter quæ non minimum sit, quod latrones extirpaverit, qui in montanis sylvestribusque Thessaliæ, Macedoniæ & Illyrici locis degebant. Fuisse istos homines feroces, corporum quippe immanium robore ac viribus fretos. Jovis autem ipsius interfuisse, ut eos deleret, quod prope montem Olympum regni sui sedem constituerat, ferreque adeo istos in vicinia grassantes non poterat. Atque hoc esse decantatum illud Jovis cum Gigantibus bellum, de quo tam multa Poëtæ. De sede autem Jovis quod dixerat, confirmat testimonio Lactantii: *ea tempestate Jupiter in monte Olympo maximam vitæ partem colebat.* Vita tandem functum Jovem in Creta insula, ibique sepultum; quod Ciceronis auctoritate contra Callimachum tuetur. Nec satis est Auctori, facta Jovis vitamque accurate enarrasse; ut temporis quoque habeat rationem, addit, vixisse Jovem centum & viginti annos, cujus rei rursus Suidam testem laudat, qui id diserte perhibet. Sed missis, quæ de Jovis nomine ex lingua Celtica derivando subnectit, similibusque, tantum quæ de *Curetibus*, quorum magna itidem apud veteres celebritas, animo ejus sententia sedeat, paucis indicabimus. Curetes namque Jovem educasse constat, accessitque illorum numero Cres filius ejus. Ita ergo arbitratur: Curetes tempore Saturni atque Jovis eosdem fuisse,

fuisse, quos sequens ætas *Druidas* atque *Bardos* dixit, quosve Persæ Magos appellarunt, sacrorum & sapientiæ antistites: eosdem & astronomos, physicos, poëtas, medicos fuisse. Hoc tamen inter Curetes & Druidas intercessisse discriminis, quod illi arma quoque ferrent, imo armati saltarent, clypeum telis pulsantes; unde a voce Celtica *Curo*, quæ Græcorum literis transpositis κρέω sit, & *pulsare* significet, Curetes sint appellati: hi autem ab onere militari plane essent immunes. Posse itaque eosdem Curetes & commode cum Saliis comparari, & a Curetibus seu Curitibus, Quirites etiam dictos, quæ veterum Romanorum erat appellatio. Hoc ne frustra iterum dixisse videatur, provocat ad Apollodorum, qui *Curetes*, inquit, *hastilibus scuta quatiebant*. Bardos in eo cum Curetibus convenisse, quod præliis interessent, sed tantum, ut cantu & laudibus pugnaturis animum adderent. Fuisse autem in Druidum pariter ac Curetum ordine principes gentis viros, hancque rationem esse, cur Regum filii illorum educationi & curæ commissi sint; id quod etiam de Jove narrent scriptores antiquissimi.

Sed ut pertexamus eam, quam incepimus, telam, mortuo Jove, summam rerum ad filium ejus *Teutat* seu *Mercurium* pervenisse autumat, qui post patruum suum Plutonem, Titanum sedes in occidentalibus regionibus, maxime autem Gallia, constituerit. Hunc ad mitiora flexisse gentis ferocis animos, nihilque nisi bellum & arma spirantes, perhibet, artesque mansuetiores eos edocuisse. Jam ergo si *Man*, Acmonis pater, inter Titanum Reges connumeretur, per sex ordine generationes, ad Mercurium scilicet usque, hujus gentis historiam, ex tenebris, quibus obruta fuit, erutam se exhibuisse, gloriatur Auctor, cujus initium circiter in tempora Nachoris, patris Tharæ, avi Abrahami incidat, finis autem in eam ætatem, qua Israëlis progenies in Ægyptum descendit, totum imperii tempus trecentorum circiter annorum spatium emetiatur. Testes autem tam inauditæ historiæ si quis desideret, cum primo ad poëtas, historicos, cæterosque, ad quos passim provocavit, ablegat: deinde ad integras gentes, quæ a Titanibus originem

nem ducant, uti in Græcia Cretenſes, Lacedæmonii, Ætoli, Acarnanes, in Italia Umbri atque Sabini, in Gallia Celtæ &c. Has eum gentes omnes a Titanibus & illorum Curetibus originem ducere, in ſequentibus probat. Nec prætermittendum putat Doctorum Eccleſiæ, quos Patres vocamus, teſtimonium, qui, ut Gentiles erroris convincerent, Uranum, Saturnum, Jovem, non Deos, ſed Principes Regesque fuiſſe, affirmabant. His ſi nondum quis convinci queat, ſed accuratius auctores, qui talia tradunt, noſſe velit, eis Orpheum, Sanchoniatonem, Heſiodum, Homerum objicit. Græcos autem talia accepiſſe a Curetibus, illorum ſucceſſoribus, qui tempore Jovis & Saturni vivebant; uti Salii hoc edocuerint Sabinos, Italiæ populum.

Quod vero antea poſuerat Auctor, varias in Græcia Italiaque gentes a Titanibus ortas, id nunc demonſtrare adgreditur. Sed hisce recenſendis non immorabimur, uti nec iis, quæ de lingua Celtica ejusque origine diſſerit, cum, cujusmodi ea ſint, quilibet facile conjectura aſſequi poſſit. De lingua Celtica, ſumma eo redit, ab ipſo Gomero eam eſſe repetendam, linguamque Celtarum non aliam eſſe, quam Gomaritarum. Simili ratione & de lingua antiqua Græcorum ante tempora Deucalionis, itemque de lingua antiqua Aboriginum, qui poſtea Latini dicti ſunt, diſputat. Sed quæ de lingua & gente Germanica diſſerit, prætermittere non poſſumus, tum quod hæc propius nos tangunt, tum quod vel hoc exemplo, quam in reliquis rationem Auctor teneat, luculenter demonſtrari poſſit.

Antiquos ſcriptores, præſertim Græcos, ſæpius Germanos cum Celtis confudiſſe, primo loco obſervat. Ejusque rei cauſam eſſe putat, quod moribus ac conſuetudinibus hæ gentes non magnopere a ſe invicem diſcreparent: ex quo tamen ignorantia Græcorum minime ſit excuſanda. Romanos accuratiorem harum gentium notitiam habuiſſe, Gallosque a Teutonibus discrevisse, ſed quod hos illis perquam ſimiles deprehenderent, *Germanos*, hoc eſt Fratres Gallorum vocaſſe. Ita enim, præeunte Strabone, ſentit Auctor. Sed ut Romanis Germanici audiebant; ita ipſi domeſtico vocabulo *Teutonum*, *Duytshen*, *Deutſchen* utebantur, quod a Mercurio Jovis filio, *Theuth* ſive *Teuth*,

Noster repetit. Hunc enim Germanis in maxima fuisse veneratione, vel Taciti constare testimonio: *Deorum maxime Mercurium colunt.* Idque forte ideo, quod hicce Celtarum Rex colonias in Germaniam miserit, aut leges dederit, aut alia iis contulerit beneficia. Rejicit hic ὡς ἐν παρόδῳ sententiam Cluverii, per Theuth Adamum, primum hominem, intelligentis. Sed ad originem Teutonum quod attinet, constat, Judæos eam ab Askenaz, filio Gomer, nepote Japheti derivare; unde & Germanos *Askenazim* vocant. Hactenus quidem recte, ut Auctor judicat; sed in eo illos aberrare disputat, quod existiment, Askenazum ex Asia in Germaniam descendisse, eamque sua complevisse sobole. Ipse contra ostendit, ab Askenazo Phrygas ortos, & ab his demum originem accepisse Germanos. Putat ex Scriptura sacra satis manifestum esse, ab Askenaz Phrygas descendisse, cumque Jeremias cap. LI. dicit: *Preparate nationes contra Babylonem, advocate contra eam Reges Ararat, & Menni, & Askenaz*, doctissimos interpretum per Askenaz intelligere Phrygas. Demonstrare idem porro annititur, ex linguæ Phrygiæ & Germanicæ convenientia. Apud Phrygas, *bec* significare panem, apud Germanos, *becker* pistorem. Sic Phrygum *pür*, & Germanorum *für* sive *feur*, convenire. Idem de voce Phrygica θυγάτηρ, *filia*, observat, cui respondeat Germanorum *Tochter*: & quæ alia sunt ejusdem commatis. Cæterum licet hæc ita se habeant, ut veram Germanorum originem a Phrygibus repetendam existimet, non tamen negat, aliarum quoque gentium colonias accessisse. Inter has cumprimis *Daas, Daos, Dacas* connumerat atque *Getas*, deque illorum quoque origine ac migrationibus disputat, eosque itidem ab Askenazo derivandos esse censet. Sed cumprimis tamen Celtas seu Gallos frequentissimas in Germaniam colonias misisse docet, indeque utriusque gentis conjunctionem, & in moribus similitudinem evincit. Ad linguam autem Germanorum quod attinet, eam pro lingua matrice habet, quippe quæ per Phrygas ad Askenazum originem suam referat, atque haud dubio in ipsa linguarum confusione exorta sit. Nihilosecius eandem linguam plurima quoque Celticæ linguæ retinere vestigia: idque neutiquam mirum alicui videri

deri

deri posse. Namque Titanas, Celtarum majores, tempore Abrahami in Phrygia consedisse, linguamque Phrygum cum lingua Titanum haud dubio permixtam fuisse: a Phrygibus autem eum derivare Germanos, jam constat. Huic tum aliæ rationes, tum maxime frequentissimæ Gallorum in Germaniam coloniæ accedunt: per quas fieri aliter non potuit, quam ut lingua Germanica multum ex Celtica traheret. Constat vero, & jampridem a Lipsio, Scaligero, Casaubono, Salmasio aliisque observatum est, Persicam quoque linguam in multis cum Germanicâ convenire. Cujus rei itidem causam luculentam se reddere posse, Auctor confidit. Etenim & Parthos, a quibus Persæ descendant, posse quodammodo ut coloniam Gomaritarum considerari, & ab iis etiam haud dubie ista accepisse, quæ Celticæ linguæ vestigia hodienum produnt. Accedere vero, quod & Daces, a quibus pars Germanorum orta, plurima cum Persis habuerint commercia: unde & cum Celtica, & cum Germanica, non possit non lingua Persica plurima communia habere. Et hæc summa illorum est, quæ Auctor in hocce libro proposuit. In quibus & ingenium, & eruditionem merito laudamus, rem ipsam autem illorum judicio, quibus ex instituto in hæc inquirere animus est, permittimus. Subjicit autem Auctor huic operi, ad dicta & illustranda & confirmanda, tres indices, unum vocabulorum Græcorum, alterum Latinorum, tertium Germanicorum, quæ ex lingua Celtica originem ducant. Celticam autem linguam adhuc hodie in Britannia minori, quam & Armoricorum vocant, & vicinis locis in usu esse, supponit.

HET DERDE ANATOMISCHE CABINET VAN FREDERIC RUYSCH.

Id est:

FREDERICI RUYSCHII, ANATOMIÆ ET BOtanices Professoris, Thesaurus Anatomicus Tertius.

Amstelædami apud Joannem Wolters, 1703, 4.
Constat plag. 9. & fig. æn. tab. 4.

Sistimus hic tertium Thesaurum Anatomicum Clarissimi Ruyschii,

ſchii, cujus binos priores ſuperioribus annis exhibuimus. Quanquam igitur hic non minori partium curioſe præparatarum apparatu ſit refertus, dum e. g. pag. 17 epidermidis duplicatura in dorſo manus, quæ hactenus non niſi in vola & planta pedis fuit demonſtrata, oculis exponitur; pag. 25 meatus urinarius penis dorſum modo p. n. tranſcurrens demonſtratur; pag. 26 & 27 prolabia oris ex papillis nerveis integumento quodam (Epithelide, non autem Epidermide vocando) tectis conſtare docetur; & pag. 53 placenta uterina non ex glandulis, ſed meris vaſis ſanguiferis conflari perhibetur &c. placet tamen jam, ſpeciminis loco, ex tabula IV Authoris renum faciem conſpiciendam præbere.

Explicatio Figurarum.

TAB. I. Fig. 1. Figura 1. Renis humani faciem exteriorem exhibet.

A. Renis ſuperficies, per quam innumera vaſa ſanguinea usque adeo ſunt contorta, & diſſeminata, ut ſimile quid in toto corpore non reperiatur.

B. Arteria renalis abſciſſa.

C. Vena renalis abſciſſa.

D. Portio pelvis ureteris extra corpus renis propullulans, per quam

E. plurimæ arteriolæ ſunt diſſeminatæ.

Fig. 2. Figura 2. oculis exponit renem humanum diſſectum, ut interiora pateant.

A. Arteriolarum plurimarum extrema, ſerpentino tractu in ductus Bellinos degenerantia & his continua; qui vermiformis vaſorum reptatus non in ſuperficie ſolum, ſed in interiore quoque renis ſubſtantia copioſiſſime cernitur.

B. Exigua portio ſuperficiei externæ.

C. C. Papillæ renales plurimis foraminulis aut oſculis pertuſæ, pro urinæ tranſitu.

D. Ureter.

E. E. pelvis aperta.

Fig. 3. Figura 3. papillam renalem ramoſam ex tribus papillis compoſitam ſiſtit.

DE-



DESCRIPTIO MODI, QUO SANGUIS EX ARteriis ad venas moveri per microscopia in quadrupedibus vivis visum fuit, suppeditata a GUILIELMO COWPERO Societ. Reg. Socio.

Excerpta ex Actis Philosoph. Anglic. Anni 1702, No. 280. & hic Latine reddita.

Ex quo circulatio sanguinis per cor, pulmones & vasa sanguinea majora, ab Harveo demonstrata fuerat, modus, quo arteriarum vasa capillaria sanguinem ad venas transmittant, dubius adhuc erat, donec per microscopia Leevvenhœkiana extremitates horum vasorum in piscibus, ranis, &c. continuas esse, fuit detectum. Verum enim vero non defuerunt, qui in humanis & quadrupedum corporibus idem contingere dubitarunt ex eo, quod hæc phænomena non nisi in piscibus & amphibiis, quæ unico solum in corde ventriculo instructa, sanguinem actu frigidum obtinent, fuerint visa, (excepto vespertilione, in quo hæc obscure admodum apparuere) imprimis cum sanguis harum creaturarum tanto cum impetu, quo in animalibus duobus in corde ventriculis præditis, circulari non soleat. In omnibus enim animalibus, quæ duos habent in corde ventriculos, vasa sanguinem ex toto corpore redeuntem cordi reddunt eodem tempore, & in eadem quantitate, ac vasa pulmonalia, non obstante viarum discrimine.

Hæc differentia circa præcipua circulationis sanguinis organa in dictis creaturis, ansam mihi dedit, instituendi experimenta hæc in animalibus, quorum organa equidem quoad figuram minorem, non autem quoad structuram intimam, ab humanis differunt.

Quem in finem felis 10 vel 12 dies nati & asseri affixi omentum per microscopium contemplatus, sanguinis globulos velocissime intra vasa exilissima, quæ non nisi in pellucida membranæ omenti parte visui se offerunt, motos observavi; sed hic motus mox remittebat, & ejus globuli a vasorum extremitatibus reducebantur; ac paulo post in ramis majoribus stagnare cœperant. Vid. Fig. 4.

Hoc experimentum non semper eodem successu adornabatur; *TAB. I. Fig. 4.

batur; aliquando tamen copia mihi fiebat canis macri, non adeo magni, in cujus omento non ſolum dicta phænomena egregie apparebant, ſed meſenterium ejus, certo inſtrumento expanſum, omnia melius exhibebat; hæc enim pars majora, magisque diaphana ſpatia, & vaſa ſanguinea magis regulariter habet diſtributa. Vid. Fig. 5.

TAB. I. Fig. 5.

Qui per microſcopia partes creaturarum viventium transparentes luſtrabit, extremitates arteriarum & venarum non ſemper in vaſa capillaria abire, uniri tamen invicem obſervabit. In cauda lacertæ aquaticæ & plerisque piſcibus, quos examini ſubjeci, quasdam ſæpe vidi communicationes arteriarum & venarum, per quas plures quam duo globuli ſanguinis ſimul tranſire poterant, & in eadem area alias, quæ unicum tantum transmittendi capaces erant globulum lente procedentem.

In piſcibus junioribus, imprimis in anguillis parvis, ſæpe adeo anguſtum vidi ramum communicantem, ut unicus globus 2″ vel 3″ intervallo vix transgredi potuerit; alio tempore majora advertere licuit intervalla, ita ut quandoque ſemiminutum, quandoque integrum, imo aliquando 2′ vel 3′ requirerentur, antequam unus globulus ſuperaſſet ramum communicantem.

Promtus liquorum in arterias ſplenicas injectorum tranſitus ad venas, communicationes horum vaſorum ibidem magis patere, quam in reliquis corporis partibus, plane evincit.

Liquores in arteriam pulmonarem ad venas non adeo libere, ac in ſplene, transferuntur.

Extremitates vaſorum ſanguiferorum in pulmonibus ranæ viventis cum conſiderarem, vidi ampliores communicationes, quam in membrana inter digitos earundem intercedente. Nec facile quis ſimiles communicationes, arterias inter & venas, in pulmonibus humanis & quadrupedum, in dubium vocabit, qui perpendet, ſanguinem ex eorum pulmonibus, in æquali temporis menſura & quantitate, ad cor redire, ac reliquus ſanguis ex toto corpore redit, prout jam diximus.

Atque exin apparet, quam neceſſaria ſint vaſa bronchialia, a Ruyſchio detecta, pro nutriendis pulmonibus, & ſecernendo

nendo

nendo liquore, ex glandulis bronchiorum; id quod a sanguine per arterias pulmonales allato, & velocissime per pulmones rapto, expectari neutiquam poterat.

Membranam digitos pedum in rana distinguentem contemplaturus, cum pedem alterutrum sæpe digitis meis tenerem, microscopio applicandum, ea membrana diaphana nullum monstrabat motum globulorum, sed paulo post redibat sanguis, jucundo spectaculo, in omnes arterias, & venas, repens quasi, & easdem successive replens.

Dum igitur sanguis lente, prout dictum, ad venas prorepit, globuli, a contractis vasorum lateribus, in figuram ovalem plus minus oblongam comprimuntur; id quod plus simplici vice in lacertarum cauda observavi.

Explicatio Figuræ 4 & 5, quarum illa portionem omenti felini, hæc mesenterii canini exhibet.

A A. Trunci arteriarum.

B B. Venæ, quas contrarii sanguinis fluxus ab illis discernit.

CCC. Extremitates arteriarum & venarum unitæ.

SACRÆ THEMIDIS HISPANÆ ARCANA, Jurium Legumque Ortus, Progressus, Varietates & Observantiam, cum præcipuis Glossarum Commentariorumque, quibus illustrantur, Autoribus, & Fori Hispani Praxi hodierna, publicæ luci exponit D. *GERARDUS ERNESTUS de FRANKENAU, S. R. M. Daniæ & Norwegiæ Secretarius.*

Hannoveræ, apud Nicolaum Foersterum, 1703, 4.

Constant 1 alph. 9. plag.

INsigne sui in Nationem Hispanicam affectus & venerationis specimen hic exhibet, eademque opera, de re literaria bene meretur Generosissimus ac Consultissimus Autor, dum in tradenda Juris Hispanici historia, dilaudandisque Scriptoribus eo pertinentibus, strenue occupatur, atque ita Hispanicæ suæ peregrinationis fructus largiter dispensat. Inclyta Hispanorum Gens magni faciet dubio procul opus, quale hactenus, ne in ipsa quidem Hispania, typis publicis innotuit, imo mirabitur historiam legum

gum suarum, in Arctois Europæ partibus, tanta solertia contextam, ut vel ab Hispano amplius quid præstari non posse videatur. Rem omnem igitur ab ovo, quod dicitur, repetiturus doctissimus Autor, primo Hispanos legibus Romanis paruisse admonet. Postquam vero Visi-seu West-Gothi, circa 410 a nato Christo annum, vastam illam provinciam labescenti Romanorum imperio subtraxere, leges Gothicæ successerunt, & licet Romanarum autoritas quoque per aliquod tempus duraverit, Flavius tamen Recesuinthus, Gothorum Rex, eas penitus abrogavit. Primam vero legum Gothicarum collectionem Euricus Rex fieri jussit: suo tempore secuta est memorabilis alia compilatio, quæ *Forum Judicum*, Hispanico idiomate *Fuero Juzgo*, dicitur, cujus originem, habitum, codices manuscriptos ac typis editos, nec non glossarum commentariorumque Autores Noster explanat & recenset. Stetit plena legibus Gothorum Judicumque libro autoritas, usque ad Alphonsum X, qui cœptam sub Ferdinando III, patre suo, legum omnium a Prædecessoribus latarum congeriem, septem partibus (unde celebre ortum *de las Siette Partidas* cognomentum) distinctam, perfici curavit. Hoc *Jus Alphonsinum* seu *Partitarum Leges*, Forum Judicum, hactenus usitatum, penitus sustulerunt. Ab eodem Alphonso aliud opus, quod *Forum Regium* dicunt, confectum est: quorum omnium indolem, laudatis pluribus Autoribus, ac injecta Fori cujusdam antiqui Castellani mentione, prolixius Noster enarrat. Post Partitarum tempora, auspiciis Ferdinandi Catholici, prodiere *Ordinationes Regiæ*, a Perezio aliisque illustratæ. Eidem Regi originem debent celeberrimæ apud Hispanos *Leges Tauri* seu *Taurinæ*, ab urbe *Toro* cognomen suum sortitæ, quarum Liber *Quaderno* Hispanis audit. Uti autem, in controversiis decidendis, legum illarum Taurinarum prima ratio habenda est, ita Scriptores Hispani gnaviter eas commentariis suis illustrarunt. Memoratis legibus accedunt *Leges Styli* & *Capita Prætorum*, seu leges nonnullæ, a Ferdinando Catholico de officio Judicum & Prætorum latæ, ut & quædam *Edicta* & *Constitutiones Regiæ*, ad Caroli V usque ætatem successive promulgatæ. Plures illas leges, hactenus enarratas, Philippus II prudentissi-

tissimus, judicio Nostri, Hispaniarum Monarcha, ac titulo elogioque Justiniani Iberici jure condecorandus, uno, eoque sat vasto, trium voluminum opere compilari, inque ordinem redigi curavit; cujus operis, Hispanis *Nueva Recopilacion* dicti, occasionem, autores subalternos, autoritatem, editiones, ac glossatores scholiastasque, Consultissimus Autor diligentia encomiisque consuetis persequitur, legesque illas Castellanas cum Jure Romano deinceps confert, praxinque fori Castellani ejusque præcipuos daduchos enumerat. Perlustratis Hispaniæ Regnorum, quæ Castellæ nomine veniunt, legibus, ad cæterorum, quæ vastam illam Monarchiam vel olim composuere, vel adhuc constituunt, Regnorum Dominiorumque leges enarrandas Noster accingitur, initium ab Arragonia facturus. Cum vero hujus æque ac Navarræ leges, ad veteres Suprarbiæ Reges natales suos referant, ideo de origine tam Regni, quam *Fori Suprarbiensis*, aliqua præmittit, eique alium non minoris famæ *Forum* (Latinitas Hispanica diverso genere hic loqui permittit) *Jaccensem* scilicet adjungit; quibus expositis, in specie *Legum Arragonensium* progressum, statum & compilatores; repræsentat, ac inspersa supremi Arragoniæ & Castellæ Regnorum Senatus, qui hodienum Madriti residet, delineatione, Legum Arragoniæ glossas & commentarios fuse laudat. Arragonicis ad finem perductis, *Catalanorum Leges* subeunt. Olim in Catalonia etiam Gothorum legibus suus stetit honos, sed Ranimirus Berengarius, Barcinonensium Comes, iis abrogatis, *Usaticos* sive *Jus municipale*, quo hodienum utuntur ejus Principatus cives & subditi, stabilivit. Nam ex decreto Comitiorum Barcinonensium, Usaticorum corpus, a 21 Viris confectum est; cui dein accesserunt *Constitutiones & Acta Comitiorum*, *Pragmaticæque Sanctiones*, quæ magnam Cataloniæ libertatem ostendunt. De cætero Usaticorum varii codices, tam manuscripti, quam impressi occurrunt, nec segniter leges Catalanorum plures Viri, consuetis cum elogiis Nostro memorati, scriptis suis illustrarunt. Valentiæ Regno, varias vicissitudines experto, ac a Mauris tandem vindicato, Jacobus I. *Foros* ac *Leges*, Arragonicis Catalonicisque legibus fere attemperatas, dedit; imo successu temporis eo deventum est, ut maxima

Regni illius, præcipue autem ejus Nobilium pars, juri Arragonico pareret. Hinc varii Legum Valentinarum codices, manuscripti ac typis impressi prodierunt; nec defuere Scriptores, qui commentariis suis lucem iis amplius affuderunt. Ex Regno Valentino, Doctissimus Autor transfretat in Balearidum Regnum. Hoc cum, ejectis Mauris, Arragonum imperio paruerit, ideo *eorum leges* apud Balearicos quoque valuerunt: accessere tamen & *Catalanæ* & *propriæ* quædam, ex quibus legibus recentioribus, peculiare volumen a Regio Regni illius Senatu compositum est, cujus ex Hispania sibi allati sciagraphiam Noster exhibet. Relictis Balearidum insulis, Hispaniam repetit, ac post enarratas *Navarræ*, *Cantabriæ*, *Gallæciæque leges*, Lusitaniam adit. In hac, præter plures *Foros speciales*, seu leges municipales, inprimis memorabile est *opus*, quod jussu Dionysii, Regis Portugalliæ, circa annum 1334 confectum, ac postea auctum interpolatumque magis est. In specie, a Dionysio illo consuetudo in Lusitania emanasse censetur, ut illi, quibus indictos, pro jure appellandi, viginti tres denarios solvendi facultas nulla esset, flexo genu Orationem Dominicam (Pater noster) & Angelicam Salutationem (Ave Maria) in animæ Regis istius salutem, recitarent; quæ omnia, cum ratione administrandæ justitiæ, in Lusitania obtinente, ut & commentatoribus & glossatoribus, ultimo loco, diligentia Nostri prolixe satis enumerat, ac exacto ita, quod Legibus Hispaniæ Lusitaniæque statutum erat, penso, adyta, unde sacra Themidos Hispanæ oracula ejus Antistites promunt, *Prætoria* scilicet vel *Auditoria*, seu stilo vulgari, *Audiencias* sive *Chancillerias*, quæ vel sub Romanorum Gothorumque imperio fuerunt, vel hodie supersunt, perlustrat aliisque spectanda exhibet. In epilogo operis doctissimus Autor monet, quod hic reticendum non videtur, animum sibi fuisse, & de jure Ecclesiastico Hispanico, decretis Conciliorum Synodorumque, privilegiis Clericorum eorumque juribus, aliisque huc pertinentibus, de Nobilitatis item Magnatumque Hispaniæ juribus, privilegiis, Majoratuum doctrina Hidalguia aliisque, de jure item maritimo, legibusque & libris eo facientibus, tandemque de Regnorum, quæ in Italia & utraque India Hispanis parent, legibus, earumque historia prolixi-

us in hoc opere agere, ſed temporis anguſtiam, bibliopolæ deſiderium, patronorumque ante omnia juſſum, ut colophonem nunc imponeret, imperaſſe. Si tamen æqua hæc ſuſcipiantur mente, fore ait, ut & partem alteram hujus operis aliquando literarum harum amantibus videre liceat.

NICEPHORI GREGORÆ BYZANTINA HISTORIA Græce & Latine, cum notis JO. BOIVINII.

Pariſiis, e typographia Regia, 1702, in fol. maj.

Conſtat 10 Alphab.

NItidiſſimam hic Nicephori Gregoræ Hiſtoriam Byzantinam exhibemus, altero tanto auctiorem, emendatiſſimaque metaphraſi ac notis variis a Jo. Boivinio, Bibliothecæ Regiæ Cuſtode illuſtratam; cujus in egregio hoc opere inſtitutum, librorumque recens additorum ſummam, paucis nunc indicabimus. Nimirum Caroli Ducangii & Camilli Tellerii ſuaſu ac autoritate, ſex librorum Gregoræ ineditorum verſionem & editionem adornandam olim ſuſceperat Clariſſimus Boivinius. In illa autem perficienda, Ducangii & Tellerii Luvoiſii morte impeditus, dilata in aliud tempus editione, per decem annos ea, quæ ſcripſerat, poſtea correxit, & accuravit, prætereaque alios Gregoræ libros eruit e tenebris, & prioribus addidit. E catalogis enim codicum MS. & inprimis e Labbeo didicerat, in Bibliotheca Scorialenſi libros ejus auctoris undetriginta latere hiſtoricos. In codice autem Regio vigeſimum octavum & vigeſimum nonum, hiſtoricos libros, cum quatuor dogmaticis conjunctos invenit. In Bibliotheca porro Vaticana Hiſtoriam Gregoræ Eccleſiaſticam, & Acta Λιτγρικῆς Συνόδυ, ac narrationem perſecutionis in Orthodoxos a Palamitis motæ aſſervari, ex Ant. Poſſevini Apparatu S. & e veteri MS. catalogo intellexit. Deinceps indicem accuratum librorum viginti & unius, in uno codice Vaticano extantium, a Jo. Mabillonio accepit. Cum igitur J. Vivantii & Stephanotii opera, Abbatis autem Camilli Tellerii ſumtibus, novem libros e codice Vaticano deſcriptos perlegiſſet, eam ipſam Hiſtoriam Eccleſiaſticam, Poſſevino in Apparatu S. commemoratam, eſſe animadvertit. Adjectis ergo ſex ſuis, & novem his, ad undecim Wolffianos libros,

bros, librorum viginti sex numerus jam conficiebatur, adeo ut post vigesimum sextum vigesimus septimus adhuc deesset; cæteri, exceptis quinque ultimis, quos Friderici Rostgaardii opera & sumtibus postea impetravit, in Bibliotheca Regia haberentur. Otio igitur dato, jussuque Ludovici Ponchartrænii, & Jo. Paulo Bignonio sic postulante, Regii Typographei prælis paratos Gregoræ libros committere cœpit Boivinius. In quibus ut Wolfium prævium habuit, ita ipse privatim non pauca singulari cum laude præstitit. Ac primo quidem tomo e MS. codice Bibliothecæ Regiæ chartaceo bonæ notæ & satis antiquo ea, quæ in libris editis manca & imperfecta erant (erant autem plurima, non in singulis modo dictionibus, sed longioribus etiam fragmentis) omnia bona fide supplevit, majoraque supplementa in marginibus indicavit, minora cancellis inclusit, & innumeras mendas sustulit. Præterea monodias, orationes, & alia ejusmodi ad historiam non pertinentia, libris quatuor postremis ostentandi ingenii caussa forte inserta, in codice autem Regio, sine contextus historici læsione, omissa, uncis inclusa notavit. Varias lectiones plurimas e codice Regio n. 2558, & alias pauciores e codice R. 2078; e codice item Colbertino n. 4950, a Stephano Baluzio sibi communicato, ipsius textus oræ addidit: nonnullas autem e codice Vaticano a Frid. Rostgaardio descriptas, quod serius allatæ essent, ad appendicem hujus voluminis rejecit. Latinam interpretationem Hier. Wolfii in eo accuratiorem reddere Autor studuit, ut Gregoræ verba etiam, non sensum modo, Lectoribus majore religione & fide redderet, & quasi appenderet; aut ubi Wolfius errasse, vel obscurius paulo autoris sententiam reddidisse, aut alia minora vitia, quæ tam egregio cæteroquin corpori deesse vix poterant, admisisse videbatur, summo studio, nec minori tamen modestia, omnia emendaret. Recognitis ad hunc modum & auctis tam Græcis, quam Latinis, librorum etiam dividendorum novam rationem, quæ in prioribus editionibus inconcinnior paulo & sine numeris erat, iniit; minores sectiones addidit; singulis capitibus argumenta vulgatis accuratiora, & ad sectionum numeros accommodata adjecit; annos, menses, dies, siderum ortus & obitus, Solis & Lunæ defectus, & varios

rios temporum characteres subinde adnotavit; notas breves (uberioribus, inprimis Ducangii, ad calcem tomi II rejectis) ubi opus fuit, adjecit, adeoque hanc primi tomi editionem sex hactenus vulgatis, quarum prima Græco-Latina, quantum conjici potuit, A. 1559 in Germania; secunda Latine Basileæ A. 1562; tertia Latine Parisiis A. 1567; quarta Italice Venetiis A. 1569; quinta Latine Francof. ad Mœnum A. 1587; sexta Græce & Latine Coloniæ Allobr. A. 1615 prodiit, longe auctiorem ac præstantiorem reddidit.

In tomo II duobus apographis, e veteribus exemplaribus Romæ descriptis, usus est Boivinius: e quorum primo ex Bibliotheca Regia n. 2079, docta & eleganti manu A. 1543 exarato, sex priores tomi II libros typis exprimendos curavit; ex altero autem recentiori, &, quod queritur Editor, valde mendoso, libri septem, qui reliquam tomi II partem conficiunt, expressi, & e Vaticano exemplarj per viros doctos, præfectorum bibliothecæ Zaccagnii & Delmiri benevolentia id concedente (ultimis tribus, qui disputationem cum Cabasila continent, exceptis) quantum fieri potuit, castigati sunt. Latinam horum librorum interpretationem ipse Boivinius addidit, in eaque, quantum autoris in multis haut parum obscuri ac perplexi evagans & circumducta dictio permisit, scriptoris Græci mentem accuratissime exprimere studuit: disputationem autem cum Cabasila libris tribus ultimis non totis (quippe a vigesimo secundo inchoato ad vigesimum quartum fere medium excurrit) comprehensam, tempore otioque destitutus, M. Claudio Capperonnerio, Theologo Parisiensi, Græce & Latine doctissimo, vertendam dedit. Cæterum tredecim hujus tomi posterioris libri, inde ab excessu junioris Andronici, decem omnino annorum, quibus summa rerum penes Cantacuzenum, Joannis Palæologi tutorem, erat, Historiam continent, & quæ tum in Republica de imperio inter Cantacuzenum, Imperatricem viduam Annam, Apocaucum, Joannem Patriarcham, ipsumque adeo Joannem Palæologum, tum vero inprimis in Ecclesia, a Cantacuzeno maxime turbata, gesta sunt, diffuse exponunt. Concilium certe Palamiticum, a Cantacuzeno A. MCCCLI Byzantii coactum, & omnia in eo dicta & transacta, inde a libro XVIII ad finem

nem usque hujus tomi prolixe describuntur. Omnia insigni chartæ elegantia, regiorum typorum splendore, & accurata sphalmatum emendatione, ita adornata sunt, ut maximopere Gregoræ de tanto addito nitore gratulemur, & reliquos ejusdem tomos pari ratione eruditorum usibus accommodari, communi doctorum nomine optemus. Continebit autem, ut præfatio tomi I pollicetur, tomus III libros quatuordecim, historicos quidem octo, sex vero dogmaticos. Tomum IV, præter ingens Poëma Græcobarbarum de bello sacro, item de Constantinopolitanis, Peloponnesiacis, & Neapolitanis Francorum expeditionibus, selecta opuscula, quæ illustrare Gregoram possunt, constituent: in quibus erunt 1) Nicetæ Choniatæ Narratio de statuis Constantinopolitanis, quas Latini capta Urbe confractas, in monetam conflaverunt. 2) Theodori Lascaris Orationes duæ, prima Encomium Patris ejus, Jo. Ducæ Imperatoris; secunda Laus urbis Nicææ, ex codice regio. 3) Testamentum Arsenii Patriarchæ, editum a Cotelerio. 4) Athanasii Patriarchæ ad Andronicum Sen. Epistolæ, & Relationes selectæ, ex codice Telleriano in Bibliotheca Regia. 5) Manuelis Philæ Poëma historicum de Michaëlis Glabæ rebus gestis, ex alio codice Regio, olim Telleriano, descriptum. 6) Tomus Pseudosynodi Palamiticæ, editus a Combefisio. 6) Excerpta e scriptis Nicephori Blemmydæ, Gregorii Cyprii, Theoduli Rhetoris, Nicephori Chumni, Barlaami, Acindyni, Palamæ, Nicolai Cabasilæ, Philothei Patriarchæ, Medici Taronitæ, Cantacuzeni, Demetrii Cydonii, ipsius Gregoræ & aliorum, omnia, paucissimis exceptis, anecdota.

De Vita Gregoræ, Operi præmissa, dicemus alibi.

DIONYSII PETAVII OPUS DE DOCTRINA Temporum, in tres Tomos distributum.

Antverpiæ, apud Georgium Gallet, 1703, fol. Alph. 19. plag. 16.

DOctrina Temporum a Dionysio Petavio tradita, eruditis jam inde ab A. 1627 in pretio fuit, tum quippe primum Parisiis in lucem publicam emissa, & A. 1630 Uranologio, quasi supplemento peculiari, adaucta. Sed qui de Dogmatibus Petavii Theologicis, ante hos tres annos denuo impressis, & passim locuple-

tatis

tatis optime meritus est Georgius Galletus, typographiæ fratrum Hugetanorum in Hollandia director, istud quoque Opus Chronologicum denuo edendum ornandumque censuit, ac eam in rem operam Lectoribus haud parum profuturam contulit. Nam præter chartæ ac typorum, quæ in oculos omnium incurrit, elegantiam magno studio sumtuque curatam, diligenter sustulit menda, quæ ad calcem operis notaverat Petavius. Præterea ampla illa additamenta, quæ utrique de Doctrina Temporum volumini subjuncta erant, omnia suis locis, prout desideravit Autor, inseri curavit, ita ut nunc commodius legi, Lectoribusque usui longe majori esse queant; quandoquidem alias paucissimi, dum opus ejuscemodi legunt, de additamentis cogitant, aut lectionem suam abrumpunt, ut, num quid sit additum in calce, satis curiose inquirant. Quinimo & alias additiones ac correctiones, Petavii ipsius manu oræ exemplaris, quo usus ille fuerat, adlitas, & a Jesuita quodam Parisiensi sibi transmissas, sub ima pagina heic exhibuit: quanquam hæ in duobus modo de Temporum Doctrina voluminibus compareant, non item in Uranologio, quod hujus editionis tertium volumen est; illi enim Petavius haud quicquam addiderat. Notæ tamen, quæ olim scriptores Græcos, quibus opus istud inchoatur, excipiebant, singulæ locis, quos illustrant, subjectæ sunt. Quia vero doctissimo Viro concertatio fuerat Chronologica, de anno Synodi Sirmiensis, cum Jacobo Sirmondo, hinc scripta utriusque, cum brevia essent, quamvis jam in collectione Parisiensi operum Sirmondi edita, recudenda duxit, ut haberet Lector, quæcunque ad rem Chronologicam illustrandam a Petavio scripta sunt, excepto tantum Rationario temporum, quod sæpius Lutetiæ, & alibi extra Galliam, est editum. Addidit Petavianas Epistolas, in quibus multa continentur Chronologica & Astronomica, quæ cum reliquis molem adeo voluminis hujus commodiorem, prioribusque similiorem reddere potuerunt. Tria insuper opuscula Petavii minime Chronologica adjecit, libros puta duos *de Lege & Gratia, Elenchum Theriacæ Vincentii Lenis*, & libellum *de Adjutorio sine quo non, & Adjutorio quo*; hæc enim in nupera Dogmatum Theologicorum editione omissa fuerant. Editioni universæ præfixit disser-

dissertationem Chronologicam de LXX Hebdomadibus Danielis, in qua sententia Joannis Harduini, contra Bernhardum Lamy, qui in Apparatu Chronologico ad Harmoniam Evangelicam eandem confutaverat, defenditur ab ipsomet Harduino; qui quidem fictum Eusebii Franco-Romani nomen assumsit, suum tamen esse laborem illum, in Epistola ad Hieronymum Langenmantelium, Canonicum Augustanum, heic itidem exhibita, nullus abnuit. Ante istam vero, quasdam Editor animadversiones Blondelli in Petavium legendas dat. Nactus enim fuerat exemplum de Doctrina Temporum, cui David Blondellus, quem Petavius vehementer oppugnavit, varia tenuissimo charactere adscripserat, quæ, qualiacunque sint, publici jam juris facere Editor constituit. In iis non semel liquido ostendit Blondellus, Petavium ad quosdam annos retulisse, quæ ad alios pertinebant. Quanquam haud inficiandum sit, brevissimas esse has animadversiones, & ab Autore procul dubio non ut ederentur, sed ut privatis usibus inservirent, consignatas.

GEORGII BULLI S. THEOLOGIÆ PROFESSORis & Presbyteri Anglicani, Opera omnia. Cum Præfatione & Annotatis JOANNIS ERNESTI GRABE.

Londini, apud Richardum Smith, 1703, fol. Alphab. 8. plag. 13.

OPera Celeberrimi Anglorum Theologi, Georgii Bulli, separatim hactenus edita, dudum innotuerunt eruditis: fama vero, quam nacti sunt, Bibliopolam impulit, ut de iis in unum tomum colligendis ceperit consilium. Rogavit ergo is Clarissimum Grabium, de quo inaudiverat, eum quondam de illis, quæ Vir Reverendus pertractavit, dogmatibus Theologicis, nonnulla in privatum usum conscripsisse, ut relectis schedis suis, si quæ occurrerent, quæ ad ulteriorem illustrationem & confirmationem eorundem pertinerent, ista parallelis locis vel capitibus subnecteret. Non abnuit ille petitis, rem præsertim uberius secum perpendens, ac Præfationem insuper luculentam addidit,

didit, in qua non fine Divini Numinis providentia factum putat, ut, posteaquam eximii antiquæ Ecclesiæ Patris, S. Irenæi, libros adversus Hæreses sui ævi, quæ unitatem Dei impugnabant, in publicum emisisset, mox ansam sibi datam agnoverit, accuratius edendi tractatus haud minus excellentis inter modernos Theologos Viri, adversus nostri seculi tenebriones, qui Trinitatem in una Deitate eant inficias. Isto enim pacto fortissima se manibus Christianorum fratrum arma insinuare, quibus Catholicam fidem semel sanctis traditam, sed haud semel, nec ex eadem parte, ab impiis hominibus impugnatam, strenue certando defendere queant.

In duas itaque classes Bulliana isthæc opera distribuit, in quarum priori ista collocat, in quibus fundamentalis *Sanctissimæ Trinitatis*, & præcipue *Deitatis Christi* fides defenditur, atque ab objectionibus hæreticorum vindicatur; in posteriori illa, quibus articuli de *Justificatione* sensus traditur & confirmatur, atque difficiliora circa hanc materiam Scripturæ loca, præsertim Epistolarum D. Pauli, explanantur, & a corruptelis adversariorum liberantur.

In prima classe agmen ducit *Defensio Fidei Nicenæ*, ex scriptis, quæ extant, Catholicorum Doctorum, qui intra tria prima Ecclesiæ Christianæ secula floruerunt; in qua obiter quoque Constantinopolitana Confessio de Spiritu Sancto antiquorum testimoniis adstruitur. Et scopum quidem ac contenta hujus scripti, nos jam pridem in Actis hisce A. 1688, p. 647 s. retulisse, meminimus. Sequitur hinc *Judicium Ecclesiæ Catholicæ trium priorum seculorum de necessitate credendi, quod Dominus noster Jesus Christus sit verus Deus*, assertum contra Simonem Episcopium aliosque; de quo nos itidem A. 1697, p. 504 s. disseruimus. Denique cum Danielis Zwickeri ductu, hodierni in Anglia Unitarii minus in antiquitate Ecclesiastica versatis persuadere conati sint, Justinum Martyrem, Simonis Magi deliriis, ac Orphei atque Sibyllarum versibus circumventum, Platonicorumque hypothesibus & aliis rationibus inductum, Λόγε ante conditum mundum præexistentiam ac divinitatem, primum Christianis Catholicis proposuisse, doctissimus Bullus fabulæ hujus refutationem jam olim

E con-

Londini apud S. Smith & B. Walford, 1702, 8.
Conft. 9. plag.

NAnum Tillemontium Apollonii Tyanei vitam Gallica lingua breviter expofuiffe, eamque Tomo II Hiftoriæ Imperatorum Romanorum aliorumque Principum inferuiffe, in Actis 1693, p. 189 jamjam obfervavimus. Quæ cum partim ob Autoris celebritatem, partim ob ipfum argumentum, digna effe videretur, ut a pluribus, quam qui Gallicarum litterarum docti funt, legi poffet, R. Jenkin cum annotationibus quibusdam ac præfatione, in cujus fine nomen fuum expreffit, eandem in Anglicum idioma translatam edere non dubitavit. Neque tamen, dum hujus libelli recenfionem adgredimur, aut ex Apollonii vita, quam Tillemontius ex Philoftrati commentariis fere in compendium redegit, quidquam excerpere, aut præfationi, in qua laudatus Tillemontius contra Clariffimum Baylium, qui in Dictionario Critico ab eo in quibusdam difcefferat, vindicatur, prolixius infiftere eft animus; potius partes noftras impleviffe videbimur, fi ex obfervationibus in Apollonium, quæ ad calcem libri a Jenkinio adjectæ funt, pauca proferamus.

Diu ante, quam Tillemontii opufculum confpiceret, eas fe confeciffe Autor adfirmat, eoque in illis omne confert ftudium, ut ea, quæ religionis Chriftianæ contemtores, ad enervandam illius veritatem, ex Apollonii vita urgere folent, nullo plane niti fundamento, luce meridiana clarius exponat; qua quidem in re Eufebii preffit veftigia, qui, cum Hierocles inter Chriftum atque Apollonium comparationem inftituere non erubuiffet, hoftem hunc veritatis infenfiffimum eruditiffimo fcripto jam olim refutavit. Duo autem imprimis funt, quæ demonftranda fibi effe, Jenkinius exiftimat: unum, quod ea, quæ de Apollonio narrantur, præter fabulas nihil contineant; alterum, quod quamvis, quæ de ifto homine traduntur, vera fuiffe quis fingat, Chriftianæ religioni nullum tamen exinde periculum enafcatur, contra quam adverfarii fentiant. Primum ergo ut evincat, ad varia exempla ex Apollonii vitæ curriculo defumta provocat, eaque a fabulis propius abeffe, recte judicat. Ita fane cygnorum cantus, qui circa ipfius nativitatem editus fuiffe fertur, Proteusque,

que, qui matri ad pariendum vicinæ, eum ex illa nasciturum esse, annunciasse dicitur, aptum commentitiæ narrationi præstant exordium. Nec sui bene memor fuisse videtur Philostratus, qui Apollonium jam nullo plane linguarum interprete sibi opus esse, *Dami*, socio suo, adfirmasse, jam aliquo usum fuisse refert, quo tamen facile supersedere poterat, cum ipsi Indiarum incolæ, non modo Græcorum doctrinæ atque sapientiæ, sed etiam linguæ eorum gnarissimi ab eodem Philostrato fingantur. Quod si præterea quis perpendat prolixissimos sermones, quos Apollonius cum Vespasiano habuisse dicitur; consilia, quæ eidem Imperatori dedit; rationes, quibus eundem ad imperii habenas capessendas adduxit; singularem gratiam, qua apud Imperatorem floruit; familiaritatem, quæ ipsi cum Vespasiano non modo, sed & cum Tito atque Nerva intercessit; circumstantias, quæ circa judicium, in quod a Domitiano vocatus fuit, enarrantur: ea omnia a veritatis specie multum abesse videbit, cum neque Suetonius, neque Tacitus, neque Dion Cassius, neque alii scriptores rerum Romanarum gravissimi, quicquam eorum memoriæ mandaverint, quorum tamen multa ita comparata sunt, ut, nisi falsa fuissent, accuratissimi autores dubio procul ea litteris consignassent. Neque majori fide digna sunt, quæ de Apollonii scientia rerum futurarum atque miraculis, de illius cum anima *Achillis* conversatione, & de avium loquela enarrantur; ne alia memoremus, quæ aut contradictionem plane involvunt, aut in quibus nec verum, nec verisimile continetur; nobis enim ex pluribus pauca retulisse sufficit.

Uti vero hæc a Jenkinio non alium in finem adducuntur, nisi ut Apollonii historiam fabulis annumerandam, & a Philostrato solum ingenii ostentandi causa compositam fuisse demonstret: ita porro probat, licet ea vera fuisse ponatur, non tamen id exinde consequi, quod religionis Christianæ hostes extorquere ex ea studeant. Nihil enim illorum in Apollonio occurrere ostendit, quo necessario eum instructum esse oporteat, qui Divina virtute atque autoritate præditus, religionis cujusdam fundamenta debet sternere; id quod facile ait elucescere, si quis Apollonii doctrinam, miracula atque prædictiones penitius consi-

 side-

sideret. Doctrinam enim illius fuisse falsissimam, utpote quæ eo tenderit, ut & gentilium Deorum cultus stabiliretur, & fati necessitas probaretur; miracula, præterquam quod sublestæ admodum sint fidei, vel ea saltim de causa defectibus laborare, quoniam ad impietatis atque erroneæ doctrinæ confirmationem omnia dirigebantur. Prædictiones vero Apollonii fuisse vel earum rerum, quæ evenisse ab ipso fingebantur, aut quarum certior reddi sive ex ipsis circumstantiis, sive etiam ab aliis hominibus facile poterat; quamvis præterea nihil impediat, quominus ipsum Diabolum eidem futurorum eventus aperuisse dicatur. Cum vero miraculorum hic præ reliquis videatur habenda esse ratio, circa ea in fine suarum annotationum plura erudite Auctor monet, quæ tamen brevitatis studio omittimus.

SAMUELIS STRIMESII, DOCTORIS THEOLOGI in Regia Viadrina & Ecclesiastæ Primarii, Annotationes ac Strictura in Controversias cum Arminianis Spanhemianas, lectionibus & disputationibus publicis propositæ.

Francofurti ad Viadrum apud Joh. Völcker/ 1703, in 8.

Constant Alphab. 1, & 9 plagulis.

CUm Celeberrimo Autori ex Elencho Controversiarum, a Clarissimo Friderico Spanhemio ante sedecim annos edito, & in Actis nostris anno 1688, mense Februario, p. 57 recensito, Arminianismus lectionibus publicis pertractandus esset, cujus jam olim Universalismum Reformatum in universum omnem, per errorem atque inscitiam insimulare, nonnulli haud veriti fuerint; consilium cepit, Elencho cum Arminianis Spanhemiano annotationes, maxime quod ad quinque Arminianorum stricte dictorum articulos attinet, adjicere, ex quibus tum de insigni, quo Universalismus Reformatus, sigillatim Marchicus, ab Arminianismo dissideat, discrimine, tum de fundamentali universæ Ecclesiæ Reformatæ inter se consensu, ad oculum cuivis constare queat. Missis jam aliis, quæ ex annotationibus hisce eruditis in medium afferri possent, lectu dignissimis, ea saltim, quæ Autor doctissimus, ut Reformatam de Universali Dei Gratia doctrinam ab Arminiana simili discrepare ostenderet, adduxit, cum Benevolo Lectore communicare placet. In Heptade Annotationum, annotatione

ſione tertia, poſtquam oſtendiſſet Clariſſimus Autor, de Redemtione lapſi generis humani recte Scripturæque ſacræ convenienter docere Arminianos, primo, eam a Deo Patre, reſpectu omnium & ſingulorum hominum, intentam fuiſſe; ſecundo, eandem redemtionem etiam a Chriſto Domino, reſpectu omnium & ſingulorum hominum lapſorum, qua tales ſunt, intentam, ipſoque actu partam eſſe: tradere pergit, duo falſa veris illis propoſitionibus a ſemetipſo defenſis improvide annecti, quorum prius in eo poſitum ſit, quod, juxta Spanhemium, ſtatuant, redemtionis ſolius interventu, omnes & ſingulos homines in fœdus gratiæ a Deo Patre cooptatos eſſe, ſublato reatu peccati & mortis æternæ, jusque Deo Patri acquiſitum absque læſione juſtitiæ ſuæ homines ſalvandi; poſterius autem in eo conſiſtat, quod aſſerant, Chriſtum pro omnibus & ſingulis, æqualiter omnino & indifferenter, atrociſſimam crucis mortem ſubiiſſe, ultronea iſtorum liberi arbitrii determinatione applicandam. Etſi enim, quod ad prius attinet, non male ab Arminianis doceatur, interventu redemtionis Chriſti, jus Deo Patri homines, absque læſione juſtitiæ ſuæ, ſalvandi, acquiſitum eſſe; nec male ab iisdem doceatur, tum fœderis gratiæ, tum cooptationis in illud, redemtionem per Chriſtum, futuram partim, partim factam, unicum fundamentum eſſe; tamen omnes homines in fœdus gratiæ, *ſolius redemtionis* Chriſti interventu, divinitus cooptatos ita actu eſſe, ut reatus peccati & mortis æternæ ſublatus omnino ſit, in Scripturam S. fideique analogiam haud leviter impingere aſſerit, ac neminem redemtorum hominum in gratiam actu cooptari, & a reatu peccati ac mortis æternæ abſolvi, niſi in Chriſtum credat, ex Rom. III, 25. Eph. II, 8. Eph. I, 7. evincit. Cæterum monet, ſe non facile invenire ab Arminianis Quinquarticularis, quod locis e Scriptura S. modo citatis adverſetur, doceri; potius ſemet deprehendere, ab Arminio æque ac Limborchio, ad actualem in fœdus gratiæ cooptationem, fidem requiri. *Poſterius vero*, Arminianis omnibus commune aſſertum, dicit *duo continere* Scripturæ adverſa, ſe tamen inter tam arcte connexa, ut ſeparari haud poſſint, quin alterum ab altero neceſſario inferatur, utrumque vero iſtud abſurdi progignat, quod homo

ſui-

ſeipſum ab alio discernat. Etenim ſi Chriſtus omnes æqualiter redemit, non tamen omnibus per redemtionem Chriſti bene eſt, ſed alii actu credentes & converſi juſtificantur, æternumque ſalvantur, alii vice verſa non credentes, æternum damnantur, dicendum eſſe cenſet Autor, ipſam actualem fidem, converſionem & ſalutem, uti non his, ita nec illis impetratam a Chriſto fuiſſe, ne alioquin inæqualiter pro hominibus mortuus Chriſtus intelligatur, eoque porro ipſos credentes, uti fidei, ſicque converſionis, ita & æternæ ſalutis, per liberi ſui arbitrii ultroneam determinationem, cauſam ſibi a non credentibus discernentem eſſe. In annotatione quinta, cum Arminianorum de gratia convertente ſententiam expoſuiſſet, ſub finem ſubjicit, etſi gratia quædam univerſalis, etiam ad ſalutem, remote ſaltim, ſufficiens, qua potentiam inſuperabilis, qua actum & operationem vero ſuperabilis ac reſiſtibilis, concedi queat Arminianis, præveniens Dei gratia ab Auguſtino & Theologis communiter appellata, & gradu minor, quam quæ Electis ſuperadditur; tamen, præter hanc ipſam, aliam quoque tenendam arbitratur, quæ ſit, etiam qua operationem, inſuperabilis & irreſiſtibilis, eoque gradu inſignior altera, non ſuadens tantum, ſed perſuadens, non excitans tantum & exſtimulans, ſed trahens pertrahensque. Ad hanc talem defendendam ſe permoveri dicit, partim plurimorum Scripturæ S. dictorum autoritate, qualia ſint Jer. XXXI a v. 31 ad 35. Ezech. XI, 19. 20. Cap. XXXVI. v. 26 27. Matth. XI, 25. I. Cor. I. a v. 26 ad 31. Tit. III. a v. 3 ad 7, a ſe prolixius vindicata in tractatu de conciliatione gratiæ univerſalis & particularis; partim ratione, per fidei analogiam imperata, qua, non noſmet, ſed Deum, eumque ſolum, ſalutis noſtræ autorem celebrandum doceamur. At vero, ſi gratia Dei nulla determinans admittatur, ſed omnis determinatio libero hominis arbitrio, ad poſſe converti a gratia ſublevato, vindicetur in totum, & ab eo ſolo acceſſatur, evidens fieri, hominem non minus ſalutis ſuæ æternæ, per converſionem inchoatæ, cauſam autoremque evadere, quam quarumcunque actionum ſuarum liberarum & moralium, a ſemet determinatarum, cauſa & autor exiſtit, hoc ſolo diſcrimine, quod iſthic ſe determinet, acceptis ad determinationem, a ſe inſtitu-

ftituendam fupernaturalem, viribus a Deo fupernaturalibus: hic naturalibus duntaxat, ad determinationem fcilicet naturalem perficiendam. Ex his jam fatis conftabit, Theologos Reformatos, in docenda Dei gratia univerfali, cum Arminianis non plane convenire. Unum adhuc addimus, quod laudatus Autor Spanhemii præcipuas Controverfias cum Arminianis & Remonftrantibus hodiernis, A. 1694 Amftelodami iterato editas, ob exemplarium defectum, Francofurti ad Oderam recudi, & annotationibus fuis fubjungi, confultum duxerit.

BURCARDI GOTTHELFFII STRUVII INTRO-ductio ad notitiam rei litterariæ & ufum bibliothecarum. Acceffit Differtatio de doctis impoftoribus.

Jenæ, apud Ern. Cl. Balliar, 1704, 8.
Conftat 1 Alphab.

RΕcenfuimus menfe Julio anni fuperioris Clariffimi Auctoris Bibliothecam Juris: nunc, quam tum promifit, Introductionem ad rem litterariam exhibemus. Animus Auctori eft, integram hiftoriam litterariam fcriptis exponere; quare, antequam ad alias difciplinas progrediatur, præmifit in hoc fcripto, quæ ad generalem faciunt cognitionem. Primo quidem loco agit de bibliothecis Germaniæ, ita ut primum de bibliotheca Imperatoris Vindobonenfi, Regia Berolinenfi, Electorum, Ducum, Principum Imperii, Academiarum & Collegiorum bibliothecis fingulatim differat, harum originem, brevem hiftoriam, & quæ in eisdem reperiuntur memorabilia, codices præfertim manu exaratos exponens, & fcriptores notans, qui de fingulis bibliothecis fpeciatim egerunt. In altero capite progreditur ad ufum bibliothecarum, ubi tradit non folum, quid in ipfa bibliothecæ perluftratione obfervandum, fed & duodecim criteria proponit, quæ in judicio de libris formando locum habere poffint. Tertio capite agit de ratione difponendæ rei litterariæ, & fcriptoribus, qui ad generalem notitiam faciunt. Ubi primum dicitur de fingulis Ephemeridibus Eruditorum, quæ apud varias gentes fuerunt editæ. Dicitur inde de fcriptoribus, qui introducunt ad rem litterariam, librariam, & difpofitionem rei litte-

riæ atque bibliothecarum, catalogis librorum præstantioribus, ordine disponendarum bibliothecarum & similibus. Capite quarto excerpta rei litterariæ adornare docet, & quidem alia fieri debere præscribit librorum, alia vitarum atque elogiorum. Agit porro de scriptoribus catalogorum & vitarum, tum generalibus, tum speciatim iis, qui vitas eruditorum certæ nationis scripserunt; differit quoque de scriptoribus pseudonymis, anonymis, homonymis & plagiariis. Exponuntur scriptores, qui dicta clarorum virorum per *ana* congesserunt, vel alia de libris judicia, etiam qui dictionaria realia, epistolas, itineraria, aliaque, quæ ad statum rei litterariæ generalem faciunt. Non solum autem scriptores tum antiquiores, tum recentissimos & rariores recenset, atque librorum titulos adducit, sed etiam de iis judicat, quis selectus servari debeat, docet, & singula justa serie atque ordine exponit, prolixius tractans ea, quæ a Morhofio in Polyhistore vel plane non, vel obiter solum exposita sunt. Cum autem in rei litterariæ notitia, non leve quoque momentum præbeat editionum varietas, capite quinto atque ultimo agit de typographiæ origine atque historia, cujus denique inventionem Moguntinis vindicat, Harlemensibus tamen typorum in tabulis ligneis incisorum inventione relicta. Addit celebriores quoad omnes nationes typographos, & speciatim agit de Manutiis, Stephanis, Plantinis, Wæcheliis, aliisque. Accessit Dissertatio de doctis impostoribus, in Academia Jenensi ab eodem haut ita pridem ventilata, ubi non quidem ad omnes imposturæ species se adplicat, sed tantum primo de illis agit, qui scriptis suis illustrium nomina præfixerunt. Ubi primum Hegesippum ex impostorum catalogo delendum esse judicat, & quis fuerit, exponit. Inter doctos impostores vero numerat eos, qui sub nomine Hunibaldi & Turpini scripta sua venditarunt. Singularia sunt, quæ de libro de tribus impostoribus magnis habet; ubi primum varias eruditorum adducit opiniones, quas de ipsa libri editione ejusdemque auctore foveant, & concludit, nunquam talem librum fuisse editum. Progreditur ad exemplum Joannis Annii, Viterbiensis, qui fabulas suas sub nominibus antiquis venditare solitus, scripta Fabii Pictoris, Myrsilii Lesbii, Catonis, Sempronii, Archilochi,

Me-

Metasthenis, Philonis, Berosi & Manethonis finxerit, atque probatur, Annium omnino esse impostorem, quidquid alii contradicant. Annio subjungit Alphonsum Cicarellum, qui imposturas suas capitis pœna luit. Spurcissimi scripti, quod sub Aloysiæ Sigeæ, fœminæ alias pudicissimæ, nomine prodiit, auctorem facit Joannem Westrene, JCtum Hagiensem, falso alias Joanni Meursio imputati. Porro Carolum Sigonium librum Ciceronis de Consolatione effinxisse, demonstrat. Dari autem impostores ait, qui non quidem libros, manuscripta tamen recentiora pro antiquis venditare ausi fuerunt, atque diplomata supponunt. Ubi & Curtium Inghiramium notat, qui Antiquitatum Hetruscarum fragmenta efficta pro antiquis venditavit. Similem imposturæ speciem latere in nummis docet. Alteram autem imposturæ speciem facit eorum, qui manuscripta quædam, quæ in bibliothecis repererunt unica, supprimentes, eadem postea vel integra, vel potiora ex iisdem, sub proprio nomine ediderunt. Adducit exemplum Petri Alcyonii, qui Ciceronis librum de gloria expilasse dicatur, Joannis Joviani Pontani, qui multa ex scriptis Ciceronis transumsisse dicatur, Angeli Politiani, qui versionem Herodiani Georgio Tiphernati debeat, Georgii Rüxneri, qui librum suum torneamentorum ex antiquo codice Magdeburgensi transcripserit. Tertiam speciem facit eorum, qui manuscripta librosve ex bibliothecis fuerunt suffurati, atque ad hanc classem exemplum Didaci Mendozæ, Henrici Lindenbrogii, Isaaci Vossii, Leonis Allatii, atque Matthæi Flacii ducit, singula explanans uberius. Promittit etiam tractatum singularem de libris prohibitis, & Bibliothecas reliquarum disciplinarum, ex quibus Bibliothecam Philosophicam jam sub prelo esse audivimus.

LETTRES CURIEUSES DE LITTERATURE & de Morale.

Id est:

EPISTOLÆ CURIOSÆ, QUARUM ARGUMENTUM ex elegantioribus litteris & morum disciplina petitum. Auctore ABBATE De BELLEGARDE.

 Pari-

Parisiis, apud J. & M. Guignard, 1702, 12. plag. 20.

QUi editis *Animadversionibus circa ridiculum*, *aliisque circa morum elegantiam*, nec non *Cogitationibus Christianis*, alisque hujus generis opusculis, inter Gallos innotuit, *Abbas Bellegardius*, Epistolis his Matronæ cuidam de rebus majoris momenti per litteras sciscitanti respondit, eo, ut apparet, consilio, ut sexum debiliorem a nugis ad rerum utilium curam avocaret. Ac *prima* quidem *Epistola* de sano judicio (*du bon gout*) agit, ubi Auctor primum monet, quod judicia sensusque hominum plerumque a voluntate potius atque affectibus, quam ab intellectu dependeant; eum vero sanum esse sensum, qui rationi correctæ obtemperet, ejusque sub imperium affectus cogat; eruditos vero, ideis quippe supervacaneis abundantes, sæpe sensu isto carere. Animadvertas hic gloriationem, quod Gallica natio in præsens cultu
p. 32. literarum omnes orbis nationes superet, nec non Sceptici-
p. 26. ssmi Physici lacinias quasdam; ubi inter alia Auctor suspicatur, colores pro diversitate oculorum variare. *Epistola II* de studio Historico, quantum ad fœminas pertinet, agit, ac non solum Historiam monarchiarum in compendium mittit, verum etiam auctores, ex quibus fontes Historiæ peti possint, enumerat, tandemque cimelia quædam historica, sive narrationes singularis indolis colligit. Multa cumulantur *Epistola III.* Auctores Græcos Romanosque dignos omnino laude sua esse, sed non præferendos insignibus nostri seculi scriptoribus: excusandos esse veteres, quod sæpe genio nostro non respondeant, cum alii omnino temporum istorum mores fuerint: dignissimum laude Homerum esse, eo vero nomine infelicem, quod nostro tempore, ad ideas quippe excellentiores gignendas aptiori, non vixerit: mores veterum æque corruptos fuisse, ac nostrorum hominum: Sibyllas revera extitisse, atque ad ternarium numerum commode reduci; Cumanam vero a Cumæa distinguendam esse: extitisse etiam peculiares Gigantum populos, & Patriarcharum annos nostris æquales fuisse. Fœminini sexus laudes *Epistola IV* deprædicat, quem Auctor ad literas pariter virtutesque omnes æque aptum esse, ac masculinum, censet, causasque cur ad talia non ascendat, in maritum invidiam, fœmellarumque educationem prorsus informem confert, ac tandem in Elisabethæ Anglorum Reginæ, Zenobiæ, Pulcheriæ & similium laudes digreditur.

Palmam

Palmam reliquis eripit *Epistola V*, de re Comica disceptans. Hic postquam Abbas scriptores Comicæ Poëseos recitasset, vocabula artis, veterum usu in Tragico Comicoque instituto recepta, interpretatur: qualia sunt, *terror*, *mores*, *episodium*, *peripetia*, *catastrophe* &c. Tum regulas conficiendi Dramatis, exemplis illustratas, singulari cum cura tradit, atque inter alia, actiones horrendas, homicidia præsertim, non repræsentandas esse in Scena, sed tantummodo narrandas, pronunciat, eoque nomine veteres, velut sanguinarios, reprehendit. Nec minus Homerum Virgiliumque castigat, quod Heroibus suis aniles sæpe lamentationes attribuant. Inita postremum disceptatione, utrum scenicos ludos frequentare consultum sit? ostensoque discrimine inter eas, quas Patres reprehendebant, nostrasque Comœdias, in negantem sententiam se pronum esse fatetur. p. 363.

Sed hæc omnia eo, qui Gallis hodie arridet, more, citra curiosam ordinis observationem, prout in mentem Auctori venere, stylo elegantissimo proponuntur.

THEOLOGIA DOGMATICA ET MORALIS. Autore R. P. F. NATALI ALEXANDRO. Tomi duo.

Parisiis, apud Antonium Dezallier, 1703, fol.

Alphab. 22.

EAm præsens opus consecutum est celebritatem, tantamque de se concitavit spem capiendæ exin utilitatis, ut una hactenus vice post alteram, sub diversa facie, in lucem prodierit. Posteaquam enim A. 1693 decem voluminibus in forma, quam vocant, octava, primum editum esset, aliquot annis post eam est adeptum amplitudinem, ut Dissertationibus Auctoris Historico-Ecclesiasticis, junctim A. 1699 evulgatis, pro appendice peculiari annecti potuerit. Nunc iterum in duos tomos dispertitum separatim comparet, ac superpondii loco, duplicem secum affert appendicem. Et operis quidem ipsius contenta & scopus pridem innotuere, optimeque constat eruditis, quod sepositis Autor quæstionibus, quæ Criticam, Chronologiam, Historiam, & antiquam Ecclesiæ disciplinam spectant, quarum tractatione curiosa delectatur eruditio, & in quibus ille alias versatus fuit, ea duntaxat pertra-

ctaverit, quæ in Tridentino Concilio definita atque tradita ſunt dogmata, vel in ejusdem Concilii Catechiſmo expoſita, cum aliis nonnullis, quæ ſcire ſacerdotes, rectores animarum, conſcientiarum moderatores, ac verbi divini prædicatores debent, ſuo ut miniſterio rite fungantur. Nec eſt, cur de his nunc plura in medium afferamus, uti nec de iis, quæ nominatæ modo continent appendices; quandoquidem iſta nihil aliud ſunt, quam epiſtolæ dogmata, diſciplinam moresque ſpectantes, & monumenta aliquot, doctrinam pariter ac morum diſciplinam confirmantia, quæ ſeorſim jam A. 1701 prodierunt, titulumque Paralipomenων Theologiæ Moralis adepta, & a nobis eo ipſo anno, p. 421 ſqq. prolixe recenſita fuerunt, quorſum adeo benevolum Lectorem remittimus.

HISTOIRE DES FAVORITES.

i. e.

HISTORIA FOEMINARUM, QUAE MULTUM Apud Principes gratia valuerunt. Auctore Virgine De la ROCHEGUILHEN. Tomi duo.

Amſtelodami, apud Paulum Marret, 1703, 8.

Conſtat Alphab. 1. pl. 15. figuriſque Fœminarum æneis.

TAmetſi non novus ſit hic libellus, vel ideo tamen ejus hic mentionem facere nobis viſum eſt, quod, quæ nomen ſuum hactenus celaverat, Auctor elegantiſſima, nunc primum illud promulgari, doctisque innoteſcere voluit. Præterquam vero, quod huic editioni novas de Hercilia & Arſinoë hiſtorias addidit, quarum illa ſub Romuli Romanorum Regis, hæc ſub Philadelphi Regis Ægypti imperio floruit, plura alia opuſcula, tecto quidem nomine, partim Pariſiis, partim in Belgio excuſa compoſuit, quorum catalogum huic libro præmiſſum huc tranſcribi, non erit forte ingratum. Sunt autem *Arioviſte: Almanzaide: Aſterie: le Comte d'Eſſex: Anne de Boulen: Eronime: Guerres Civiles de Grenade*, quem librum tribus voluminibus conſtantem ex Hiſpanico idiomate traduxit: *Agnes de Caſtro: Scanderberg: Zamire: Zingis: Dom Juan d'Autriche: Nouvelles Eſpagnoles: Intrigues des Anciens Grecs: Innocente Juſtifiée: Amours de Neron: le Duc d'Ariene: Sappho: Amours du Cardinal*

dinal de Richelieu : la Nouvelle Taleſtris : Abregé de l'Hiſtoire Chronologique d'Eſpagne, qui liber tribus tomis diviſus prodiit. Præterea prælo parata habet *la Foire de Beaucaire : Jaqueline de Baviere* , & plura alia opuſcula, e quibus duo publici ſe propediem juris facturum , Bibliopola promittit. Utrum vero in hoc libro, quem in manibus habemus , omnia ad verum exacta ſint, quemadmodum Auctor in præfatione ſcribit, an vero idem fabulis Romanenſibus, quales ceteri plerique ejus libelli ſunt, accenſeri quodammodo poſſit, penes lectores eſto judicium.

LIBRI NOVI.

Euclidis, quæ ſuperſunt, Omnia. Ex recenſione Davidis Gregorii. Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1703, *fol.*

Coſmography, by Peter Heylin. Improvd' with an Hiſtorical Continuation to the preſent times, by Edmund Bohun. London, printed for Edw. Brewſter, R. Chiswel &c. 1703, *fol.*

Ezechielis Spanhemii, Liberi Baronis & Legati Regii, Orbis Romanus, ſeu ad Conſtitutionem Antonini Imperatoris, de qua Ulpianus L. 17. Digeſtis de Statu Hominum, Exercitationes duæ. Londini, apud A. & J. Churchil, 1703, 4.

Geographiæ Veteris Scriptores Græci minores, cum Interpretatione Latina, Diſſertationibus & Annotationibus. Volumen II. E Theatro Sheldoniano, 1703, 8.

And. Tacquet Elementa Geometriæ, & ſelecta ex Archimede Theoremata, cum Corollariis & novis Schematibus Guil. Whiſtoni. Cantabrigiæ, typis Academicis, 1703, 8.

Rogeri Aſchami Epiſtolarum Libri IV. Acceſſit Jo. Sturmii aliorumque ad Aſchamum Anglosque alios eruditos Epiſtolarum Liber unus. Editio noviſſima, aliis auctior. Oxoniæ, apud Henr. Clements, 1703, 8.

C. Plinii Cæcilii Secundi Epiſtolæ & Panegyricus, cum variis lectionibus & annotationibus. Accedit vita Plinii, ordine Chronologico digeſta. Oxoniæ e Th. Sheld. 1703. *Venales proſtant Lond. apud G. Weſt.*

Euripidis Tragœdiæ, Medea & Phœniſſæ, Græco-Latinæ, cum Scho-

Scholiis Græcis integris, nonnullis nunc primum editis. Accesſit ejusdem Vita jam denuo conſcripta. Studio Wilh. Piers. Cantabrigiæ, typis Academicis. Proſtant Londini, apud S. Smith & B. Walfort, 1703, 8.

A Preſervative againſt Socinianiſm, by Jonathan Edwards D. D. The fourth and laſt Part. Oxon. printed at the Theater for H. Clements, 1703, 4.

Eccleſiaſtical Caſes reſolved by the Right Reverend Edw. Stillingfleet, late Lord Biſhop of Worceſter. London, printed for H. Mortlok, 1702-1704, 8.

Civil Polity. A Treatiſe concerning the Nature of Government. London, printed for R. Wilkin, 1703, 8.

The Character of a Generous Prince, drawn from the great Lines of Heroick Fortitude. London, printed for Edw. Evets, 1703, 8.

Miſcellaneous Works written by His Grace George, late Duke of Buckingham. London, printed for J. Null, 1704, 8.

Reliquiæ Bodlejanæ: or ſome genuine Remains of Sir Thomas Bodley. London, printed for John Hartley, 1703, 8.

A True Collection of the Writings of the Author of the True Born Engliſch-man. London, by moſt Bookſellers, 1703, 8.

An Impartial Hiſtory of all that happen'd between the Kings and Kingdoms of England and Scotland. By James Drake. London, printed for J. Hartley, 1703.

The London-Spy complead. By the Author of the Trip to Jamaica. London, printed for J. How, 1703, 8.

The Hiſtory of the Apoſtles Creed, with Critical Obſervations on its ſeveral Articles. The ſecond edition. London, printed for J. Robinſon, 1703, 8.

A Defence of Moderate Nonconformity. By Edm. Calamy. London, printed for Th. Parkhurſt &c. 1703, 8.

A Serious Admonition to Mr. Calamy, occaſion'd by the firſt part of his Defence of Moderate Nonconformity. By Benj. Hoadly. London, printed for Tim. Childe, 1703, 8.

A Conference with a Theiſt, being a Prof of the Immortality of the Soul. By Will. Nicholls, D. D. Part V. London, printed for T. Bennet, 1703, 8.

A Journey from Aleppo to Jeruſalem A. 1697. By Henry Maundrell. Oxford, printed at the Theatre, 1703, 8. Sold by Tho. Bennet, London.

* * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii, Anno M DCCIV.

ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ, *TESTAMENTUM NOVUM, cum Scholiis Græcis. Opera ac ſtudio JO. GREGORII, olim SS. ac Individuæ Trinitatis Collegii apud Cantabrigienſes Socii, nuper Archi-Diaconi Glocestrienſis.*

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, impenſis Th. Kennet, 1703, fol. Conſtat Alphab. 4.

MAgnam ſuſtinuit expectationem, quod jam exhibemus, volumen, multorumque votis expetitum eſt, propterea quod de inſtituti rationibus egregie ſtatuerent, & de Auctore optime ſperarent. Natus eſt Gregorius generoſa & antiqua familia Wottonæ, juxta Woodſtochium, non procul Oxonio, cujus quo minus alumnus fieret, impedivit inteſtinum bellum, quod Angliam tum magnopere affligebat, inque diverſas partes trahebat. Adiit proinde Cantabrigiam, Collegiique S. Trinitatis Socius factus inchoavit hoc opus; an perfecerit ibi, dici non poteſt. Reddito Angliæ Carolo II, factaque rerum converſione, Gymnaſio Glocestrienſi præfuit, Langlæio ac Ruſſelio, eruditiſſimis viris, ſucceſſor datus: inde Archi-Diaconum ipſum conſtituit Maxime Reverendus Præſul, Guilielmus Nicholſonus. Ope vero, præſidio, auctoritate Gregorium inprimis juvit, ac omnes Patroni partes peregit Jo. Scudamorus, Vice-Comes de Slego in Regno Hiberniæ, quo annitente, quietem diu deſideratam adeptus, ædeque a fundamentis exſtructa, ac cenſu ad Eccleſiam reſtituto donatus, chartas in ſeceſſu expolivit perpurgavitque, imo in eo fuit, ut idoneam edendi operis rationem iniret. Aſt obiit inter hæc diligentiſſimus

Vir, atque adeo impeditus est, quo minus editionem operis ipse curaret, omnesque rationes ejus confectas daret. Cujus proinde curam suscepit, ac editionis negotium moderatus est Henricus Aldrich, S. Theol. D. ac Professor, nec non Ædis Christi Oxonii Decanus, Vir ex omni numero, ad juvanda literarum studia, a natura delectus & formatus. Id quod prospere evenit, quandoquidem initis consiliis, susceptisque rite laboribus, eo rem perduxit, ut prodierit tandem opus, Augustissimæ Principi ANNÆ, Magnæ Britanniæ, Franciæ ac Hiberniæ Reginæ, inscriptum, & ita comparatum, ut singulæ paginæ textum Novi Fœderis, loca parallela, variasque lectiones & subjecta scholia exhibeant. Depromta ista sunt tum ex sacris, tum profanis scriptoribus, quorum plerorumque, unde petita sunt, loca consignavit, & partim in cujusvis scholii fine notavit, partim peculiari indici, operi præfixo, inseruit Vir Clarissimus, Jo. Ernestus Grabius; ea vero, quæ ex Chrysostomi, Oecumenii & Theophylacti commentariis selecta fuerant, designavit Andreas Rinmanus, natione Suecus, Oxonii per aliquot annos literarum studia consectatus. Hæc dum peregit Grabius, ac scholia a Gregorio congesta cum auctorum textibus contendit, observavit, subinde verba aliqua compendii ergo omissa, contra aliquando quædam, quo aptius cohæreret oratio, sensusque obvius magis expositusque redderetur, addita aut mutata esse. Ast non mutavit solummodo hinc inde, & paulo aliter ordinavit, Auctorum verba solertissimus Gregorius, sed inspersit quoque passim sua scholia, quæ a reliquis eo distinguuntur, quod ipsis nullius auctoris nomen suffixum sit. Cæterum non vanam esse hanc aut incongruam operam, quam in illustrando Novo Fœdere collocavit Gregorius, inde patet, quod scholia collecta & antiquorum interpretandi modum tradant, & Græci textus lectores hinc inde juvare, iisque lucem accendere queant. Sane enim sunt passim, quæ & scopum dicentis aperiunt, rerumque sensum explanant, aut contra secus sentientes tuentur. Pertinet huc scholion Chrysostomi, quo Matth. I, 23 illustratur, & ratio redditur, cur Christus non fuerit Emanuel nominatus. Sed eum locum, cum paulo prolixior sit, huc non transscribimus. Prætermittimus etiam Epiphanii scholion eundem

eundem locum explicans, ac contra eos vindicans, qui de Ezechia sermonem ibi esse affirmant. Ast exhibere hic non dubitamus scholion Theophylacti, quo Matth. II, 6 vindicatur hoc modo: λέγουσι οἱ Ἰουδαῖοι, ὅτι περὶ τοῦ Ζοροβάβελ τοῦτο προεφητεύθη. ψεύδονται δὲ περιφανῶς· καὶ γὰρ Ζοροβάβελ οὐκ ἐν τῇ Βηθλεέμ ἐγεννήθη, ἀλλ' ἐν τῇ Βαβυλῶνι. Ἴδε γὰρ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. Ζορὸ δηλοῖ τὴν σπορὰν καὶ τὴν γέννησιν, Βάβελ δὲ τὴν Βαβυλῶνα, τουτέστιν ὁ ἐν Βαβυλῶνι σπαρεὶς ἢ γεννηθείς. Ἀλλὰ καὶ ἡ προφητεία φανερῶς ἐλέγχει αὐτοὺς, λέγουσα· αἱ ἔξοδοι αὐτοῦ ἀπ' ἀρχῆς, ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος. Τίνος δὲ ἄλλου αἱ ἔξοδοί εἰσι καὶ ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐξ ἡμερῶν αἰῶνος, ἢ τοῦ Χριστοῦ? Ad Matth. VI, 7 istud scholion ab ipso, uti videtur, Gregorio adjectum legitur: τῶν γὰρ ἐπικλήσεων πλήθει καὶ πολυωνυμίᾳ τοὺς θεοὺς ἀρέσκεσθαι ἐνόμιζον. Quo haud obscure indicatur, perstringi eo loco ex parte illam Gentilium consuetudinem, quam, cum vota ac preces nuncupabant, tenere solebant. Ii enim tum vel maxime Deorum nomina cumulabant, in iisque recensendis cum cura versabantur. Credebant quippe, Deos uno præ cæteris nomine inprimis delectari; quod cum sigillatim non nossent, omnia, quæ noverant, adferebant, ut Deus sibi gratissimum eligeret: imo vero & precationis formula utebantur, qua, si gratissimum forte omisissent, erroris veniam orabant. Passim apud Græcos Latinosque auctores, v. g. Æschylum in Agamem. v. 168, Clementem Alexandrinum Stromat. lib. V, Platonem in Cratylo & Philebo, Julianum in Oratione VII, Catullum, Horatium & reliquos, vestigia hujus rei extant, neque difficile fuerit, ex antiquis scriptoribus ista plenius deducere. An vero mos iste originem inde ceperit, quod Deus Abraamo, ac postmodum Mosi, nomen suum revelaverit, hoc loco exquirere non libet. Id certum est, & confectum, istum morem hymnorum scriptoribus vel maxime familiarem fuisse, cumque Battus quidam ea in re cæteris præstitisse videatur, verosimile judicat celeberrimus aliquis Vir, hunc ritum inde βαττολογίας nomine insignitum fuisse. Præter ista, qualia jam annotavimus, vocum quoque ratio habetur, utpote quarum modus significandi & vis hinc inde eruitur, & diligenter enodatur. Quid γυνὴ Græcis denotet, tradit scholion ex

G 2 Pho-

Photii epiſtolis depromtum, & ad Math. I, 24 allegatum, quod tale eſt: Γυναῖκας ἔθος ἦν καλεῖν παλαιὸν, ἃς μόνος ὁ τῆς μνηστείας δεσμὸς συνεδέσμει, κἂν ὁ τῆς ὁμιλίας αὐταῖς νόμος οὐκ ἐγινώσκετο; cum quo conferri merentur, quæ ad v. 20 adnotata ſunt. Γενεσίων ſignificatum explanatum reddunt hæc ad Matth. XIV, 6. allata verba: Τὰ γενέσια οὐ μόνον ἡμέραν τὴν γενεθλιακὴν σημαίνει, ἀλλ' ὅταν περὶ βασιλέων λόγος ᾖ, καὶ τὴν ἐν ᾗ βασιλεῖς χειροτονηθέντες τὴν ἀρχὴν πρώτως ὑπεδέξαντο· αὕτη τοίνυν παρ' Ὠσηὲ ἡμέρα βασιλέως καλεῖται. καὶ ἐκ ταύτης, καθάπερ ἐκ γενεθλιακῆς, τὰ ἔτη ἐξηρίθμησαν· ὅθεν τοσοῦτον χρόνον βεβιωκότες ἐλέγοντο, ὅσον ἐβασίλευσαν· οὕτω Σαῦλος, υἱὸς ἐνιαυτοῦ λέγεται, ἵνα μόνον ἐνιαυτὸν ἄρξας. ά. Βασιλ. ιγ'. ά. Fit & interdum, ut vox, de cujus ſignificatu ambigi poterat, per clariorem magisque perſpicuam illuſtretur. Exemplum hujus rei Philipp. II, 7 ſuppeditat, ubi μορφὴ ex Chryſoſtomo redditur per φύσιν, apte profecto ac ſcopo dicentis congrue. Indicatur quippe, quod nos addimus, Chriſtum non ſervi modo ac hominis ſpeciem retuliſſe, ſed eandem quoque naturam induiſſe, imo eodem loco ac numero, quo vilis ac contemtus homo eſſe ſolet, fuiſſe. Ita enim explicanda ducimus, quæ ibi ſequuntur, verba: καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος. σχῆμα enim dignitatem, ſeu locum ac numerum, quo aliquis eſt, notare, ἄνθρωπον vero pro vili homine accipi, nemo Græcæ literaturæ paulo intelligentior negaverit. Non multum inde diſcedit aliud ex Chryſoſtomo ad 1. Cor. XV. 54 allatum ſcholion, quod εἰς νῖκος explicat per εἰς τέλος, *in perpetuum*; melius certe & indoli Græci ſermonis convenientius, quam vulgo fieri ſolet, quando vertitur *in victoriam*, uti demonſtravit eruditiſſimus Vir, Stephanus le Moyne, in notis ad Varia Sacra. Imo vero paſſim quoque differentiæ vocum, e. g. εὐχῆς καὶ προσευχῆς, ad Matth. VI, 9; ὑπομονῆς καὶ μακροθυμίας ad Col. I, 11 traduntur. Nempe de ὑπομονῇ καὶ μακροθυμίᾳ ita commentatur Chryſoſtomus: Μακροθυμεῖ τις πρὸς ἐκείνους, οὓς δυνατὸν καὶ ἀμύνασθαι· ὑπομένει δὲ, οὓς οὐ δύναται ἀμύνασθαι. Διὰ τοῦτο ἐπὶ μὲν Θεοῦ οὐδέποτε ὑπομονὴ λέγεται. μακροθυμία δὲ πολλαχοῦ. Non attingemus tandem ea, in quibus aut de ſermonis Græci ſtructura diſſeritur, aut ratio, cur vocabula quædam maxime

ne adhibita fuerint, altius repetitur, aut aliud quodcunque præcipitur, unde ad Novi Fœderis lectores utilitas fructusque redundare possit.

THE HISTORY OF THE APOSTLES CREED, with Critical Observations on its several Articles &c.

HISTORIA SYMBOLI APOSTOLICI, CUM OBservationibus Criticis ad varios ejus Articulos. Editio secunda.

Londini, apud J. Robinson & J. Wyat, 1703, in 8.
Constat 1 Alph. 5. plag.

AMplum ac illustre Autor argumentum aggressus, cum definitos ipse sibi limites posuisset, quos intra universa se contineret tractatio, haud abs re fore censuit, si de ipsius instituto ac mente, & quid in toto, qua patet, opere polliceri sibi lector queat, in præfatione paucis moneretur. Cum enim quos ante ipsum hic idem exercuit labor, ita in explicando Symbolo versatos fuisse constet, ut ex sacris Theologorum fontibus sententias illustrarent, Divinaque S. Codicis firmarent autoritate: longe aliam ingressus Autor viam, Historicam Symboli & Criticam adornavit recitationem, ut quoad posset ac liceret, autores ejus designaret, indagaret ætatem, occasionem notaret singulorum articulorum & mentem, quam ex autorum sustineant scopo; insertis, ubi ferret occasio, observationibus criticis, & usu præstantibus, nec lectu injucundis. Hinc ea Lector ut æquitate sit, rogat, ut sicubi Autoris explicatio minus ipsi ad palatum sit, meminerit, Historici duntaxat partes eum egisse, qui ex vetustissimis monumentis, primorum Symboli autorum referre solum mentem, non ad vivum item resecare, constitutum habuerit. A. 3. A. 4.

Hæc præfatus rem ipsam aggreditur, & cap. I varia Patrum, quibus hanc fidei formulam ornarunt, encomia, & honorificas ejusdem appellationes in unum congestas exhibet: tum vero maxime in genuinam vocis Symboli notationem inquirit, in qua definienda in tres cumprimis eruditos abire sententias animadvertit. Sunt enim, qui vocis originem ad Græcum συμβάλλειν referunt, nec aliud notare symbolum putant, quam singu- p. 4. 6.

las diverſorum hominum in commune epulum ſua conferentium
fercula, portiones. Pari ſcilicet ratione Apoſtolorum ſuam quem-
que veluti pericopam, ad communem componendam fidei con-
feſſionem contuliſſe: eamque Ruffino, quem Caſſianus deinceps
p. 7. & Auguſtinus fuerint ſecuti, acceptam fert derivationem. Cui
quo minus ſuum adjiciat calculum, & naturam vocis prohibere
ait, & πρῶτον cui innitatur ψεῦδος, quaſi ipſos agnoſcat Apoſto-
los autores; id quod ſecus tamen ſe habere, infra demonſtrandum
p. 8. pollicetur. Sunt porro & alii, qui caſtris & militiæ ſuos hanc vo-
cem debere credunt natales, teſſeramque deſignare militarem, qua
& dignoſcantur ſocii, & ab hoſtibus diſtinguantur: qua quidem
in ſententia Maximum Taurinenſem eſſe animadvertit, quod hac
p. 9. veluti teſſera, qui ſub Chriſti ſignis ſtipendia merent, internoſci
ab hæreticis, ceterisque Chriſtianum nomen fruſtra jactantibus
conſueverint. Hanc vero, licet non ita multum a vero abeſſe
fateatur Autor, non tamen genuinam prorſus & veram exiſtimat
originem eſſe: quin e Gentilium potius arceſſendam eam ſacris pu-
tat, quibus initiati, & in Epoptarum numerum relati ac cenſum,
certa adhibebant ſigna, quibus a profano dignoſcerentur vulgo,
iisque editis viam ſibi ad interiora templi iſtius, cujus Numinis in-
ſtructi ſymbolis acceſſiſſent, adyta aperiebant, quæ claudeban-
p. 11. tur iis, qui his deſtituti notis, procul eſſe jubebantur. Eaque mu-
p. 11-18. ta alia fuiſſe, alia vocalia obſervat, exemplisque ex Cereris, Cybe-
les, Mithræ item & Bacchi depromptis ſacris illuſtrat. Eadem
namque lege, hanc fidei Chriſtianæ notam profanæ Gentilium tur-
bæ diligenter celatam, nec ipſis quidem Catechumenis, niſi bre-
vi ante ſuſcipiendum baptiſmum tempore, expoſitam fuiſſe tra-
p. 20. ſq. dit: indeque ſymbolo hæſiſſe nomen autumat, eo quod qui eſ-
ſent inſtructi, in Eccleſiæ pomœria, per ſolennem initiationis ri-
p. 20. tum, vel recepti jam eſſent, vel propediem intromittendi. Hinc
ad autores pergit, quos quidem Apoſtolos fuiſſe, perſuaderi ſibi
non patitur: quanquam largiatur facile, Apoſtolorum jam æta-
p. 24. te haud abſimilem huic profeſſionis formulam in uſu fuiſſe. Gra-
ves equidem & perantiquos adverſæ ſententiæ teſtes, Ambro-
ſium laudat, Ruffinum, Hieronymum, Caſſianum; quin & ex
p. 26. Auguſtino, quæ ſua cuique ſymbola tribuantur Apoſtolo, recenſet:
ſub-

subscribere tamen cur eidem nolit, rationes subjungit, & dubiam primo sublestamque Ruffini fidem, tum Lucæ in Actis silentium, & Synodorum primæ ætatis neglectum, demum Symbolorum in Ecclesiis diversitatem, in contrarium urget. Neque tamen eapropter Apostolici denominatione defraudandum illud statuit, cum ætatem ex parte ferat vere Apostolicam, testibus hujus rei fide dignissimis, Irenæo & Tertulliano: quanquam inficias nemo facile iverit, adeo id studiose ista tempestate fuisse celatum, ut vel literis mandare religioni ducerent; unde & traditionis nomine haud infrequenter veniat apud Patres. Quare haud facile factu sit, ut certa omnia & explorata, tum circa autores, tum circa autorum mentem, erui ac tradi possint. Id tamen satis constare, non unius fœtum hunc esse, nec eodem tempore in hanc, qua hodie conspicitur, formam redactum, cum temporis successu novæ subinde ipsi accreverint partes. Fuisse sane aliquos, a prima inde Apostolorum ætate, in Neophytorum baptismo articulos usurpatos, quorum etiam ex Actis produci exempla queant; eosque non literis consignatos, sed a parentibus liberis, ab his posteris narrando traditos. Postquam vero, haud ita multo post variæ orirentur hæreses, rei Christianæ exitium minitantes, discernendos turbatores fuisse ab orthodoxis, veramque amplexos sententiam confirmandos. Quo factum, ut statores veritatis ac vindices, novos subinde Symbolo articulos insererent, qui, dum jugulum peterent erroris, magno statim applausu in Ecclesia recepti, & in baptismi solennibus, cum priscis illis & Apostolicis adhibiti, parem brevi tempore cum illis autoritatem obtinuerint: non quod ignoti hactenus, nec usurpati unquam fuissent, sed cum libere antea ac pro re nata, qui sacro tingebantur fonte, summa doctrinæ Christianæ capita recitare consuevissent, ortis postmodum hæresibus, hanc nostram potissimum, nec aliis temere conceptam verbis, formulam perorare tenerentur. Hinc itaque cum ortum trahat Symbolum, haud obscurum esse intelligere, genuinam ejus mentem non tam ex sacris petendam literis esse, quam scriptis Patrum, hæresiumque indole quibus singuli sigillatim articuli opponebantur. Ceterum tantam sequioribus seculis nactum esse autoritatem, ut in publi-

p. 26.
p. 27.
p. 28.
p. 29.
p. 31.
p. 32.
p. 35.
p. 36.
p. 39.
p. 40.
p. 43.

publicis olim Orientalis juxta ac Occidentatis Ecclesiæ sacris, so-
p. 44. sqq. lenni ritu populo prælegeretur.
p. 51. Cap. II ad accuratam verborum Symboli considerationem progreditur, primique, ut vocant, Articuli singula ad examen vocat momenta. Credendi vocem in singulari positam, priscum referre autumat confessionis ritum, quo Catechumeni, sacro mox flumine abluendi, singuli pro se quisque suam fidei ediderint professionem. Notare vero plenam, nec fluctuantem, men-
p. 52. tis nostræ consensionem cum veritatibus Symbolo comprehensis. In Deum autem dum nos credere dicimus, & quod sit fateri, & quod unus sit: quæ posterior tanti apud veteres momenti visa sit quæstio, ut in publicis Orientis pariter ac Occidentis Ecclesiarum Symbolis, expressam unitatis mentionem facere, necesse
p. 54. judicarint. Non ut Judæorum equidem falsa de Deo reprimerent effata, quos Dei unitatem, vel ad hunc usque diem in dubi-
p. 55. um nunquam vocasse, in confesso sit; nec ut Gentilium insana retunderent, de infinita Deorum turba, deliria; quorum sin minus potior, sanior certe pars in unitate Dei consensisse, ipsorum
p. 57. pariter ac Christianorum testimoniis evincatur: sed ut hæreti-
p. 62. corum primæ ætatis blasphemias hac formula detestarentur. Quæ
p. 64. si in se spectetur, nec ad reliqua simul Symboli dogmata traha-
p. 67. tur, Valentinianos cumprimis, Deo adjungentes materiam; Marcionitas hinc duos, bonum alterum, alterum malum, hinc tres,
p. 68. bonum, qui idem Pater Jesu Christi sit, Creatorem mundi, & Diabolum introducentes Deos; Cerdonem cum asseclis; imo Simonem Magum, communem illum hæreticorum parentem, feriat
p. 69. ac profliget. In cujus rei fidem Irenæi, Epiphanii, Tertulliani
p. 73. autoritatem in partes vocat. Sin vero ad id referatur, quod de productione rerum omnium statim consequitur, tum unum hunc notare Deum effectorem totius esse universi, & Simonianis opponi, Carpocratianis, Marcionitis, malarum rerum originem
p. 74. malo, quem fingebant, Deo tribuentibus; quod satis luculenter ex antiquis symbolis Patrumque appareat testificatione. Porro, ut Patris adjiceretur appellatio, non tam Ethnicos, uno o-
p. 75. mnes ore Deum Patrem celebrantes, quam Gnosticos & Valentinianos in causa fuisse, in inerti quippe Deum, quem angu-
stis

stis perquam circumscribebant limitibus, otio ponentes, aliumque fingentes & inferiorem Deum, cui rerum productionem, indeque Patris deferrent nomen. Maxime vero hoc titulo æternam Filii generationem indicari, testis cum Ruffino Augustinus p. 79.
est. Omnipotentem dum Symbolum Deum celebrat, & immensum Numinis designat virtutem, qua vastam hanc mundi fabricam p. 79.
ex nihilo, nulliusque vel Angeli adjutus vel alia ope, condiderit; eoque Gnosticorum, XXX fingentium Æonas, ceterorum- p. 81.
que hæreticorum, Angelos creatores statuentium, somnia, Au- p. 83.
gustino, Origene, Irenæo testibus confutat: supremum ipsius p. 85.
in res universas subindicat imperium, sapientissimumque conditi a se orbis moderamen. Hanc enim vox παντοκράτωρ p. 88.
vim sustinet, expositore Ruffino, Salviano, Cyrillo Hierosoly- p. 89.
mitano; eamque Gnosticorum, quibus ea opponebatur, & Marcionitarum postulat hæresis, qua sublimiorem existimabant Deum esse, quam quem cura tangat rerum humanarum, imo, quod horrendum dictu, vel Diabolo (quod Epicuræis quoque Irenæus p. 91.
tribuit) vel inferiori cuidam Deo, mundi ceu domicilii sui clavum tradebant ac imperii habenas, quem omnipotentis & cosmocratoris ideo nomine mactabant. Demum vero etiam hac vo- p. 95.
ce ad infinitam Numinis respicitur naturam, qua nullis inclusum terminis, aut circumscriptum limitibus, rebus omnibus & potestate & auxilio præsto est. Nam occurrendum ita erat Gno- p. 96.
sticis, πλήρωμα fingentibus, cui Deum includerent, unde prodi- p. 98.
ret nunquam, ubi ipse in se sibi sufficiens, reliquis cum Æonibus in silentio & æque iners ageret ævum. Sic Adamantius, sic Cyrillus Hierosolymitanus, sic Theophilus Antiochenus vocem declararunt. Ad postremum, ubi cœli terræque conditorem Deum profitemur, creationis vox, de productione ex nihilo cœli terræque, de omnibus, tam quæ incurrunt visum, quam quæ fugiunt, creaturis, Augustino interprete, intelligenda. Hæc enim Deo adserenda dignitas erat, cum in hoc doctrinæ cœlestis caput omnes ferme communi quasi consilio hæretici impingerent, ut p. 99.
vel Angelos, quod Simon ille Magus cum familia sua delirabat; p. 101.
vel monstrosam Æonum conjunctionem, ex Valentinianorum sen- p. 107.
tentia; vel sævum quendam & minorum gentium Deum, quod

H Cerdon

Cerdon voluit & Marcionitæ, creationi rerum præfuisse fingerent. Quas ut retunderent blasphemias, hanc cumprimis Sym-
p. 108. bolo insertam esse formulam, Patrum testimonia confirmant.

Pari itaque orationis filo ac tenore cum ceteros excutiat articulos, ex hoc primo, veluti specimine, quomodo in singulis versatus Autor fuerit, facile intelligi potest. Quos si exacta omnes recensione referre huc vellemus, verendum esset, ne Lectori graves, nec satis instituti memores, brevitatis, quam nobis posuimus, legem violaremus. Id tamen neutiquam B. L. latere volumus, Autorem, ubi Cap. III, ordine sic ferente, in explicationem nominis Filii Dei devolvitur, quatuor recensere rationes, ob quas
p. 129. Dei Filius dicatur Salvator: quod & insigni miraculo a matre virgine in hanc lucem editus, & gloriosa ex mortuis resurrectione ad aliam quasi vitam a Patre prognatus, teste gentium Doctore Act. XIII, 33, & sublimi in officio, Patre sic jubente, constitutus, & summam demum nactus fuerit autoritatem, quum ad cœlum eve-
p. 130. ctus, proximo a Patre loco ad dextram Majestatis divinæ consedit. Has vero inter etsi nullam præcipuæ rationis, quæ æterna a Patre generatio est, mentionem facit, eam tamen ad unigeniti vocem
p. 131. refert; & ex Scripturis declarat, Patrumque, ad hoc explicandum
p. 133. mysterium, adhibitis similitudinibus illustrat.

Et hic quidem pedem figere, cœptamque abrumpere telam institueramus: sed manum nobis injicit articulus de Christi ad inferos descensu, in quo explicando & singularis esse amat Autor noster, & veterum, quos in partes suas trahit, testimoniis fi-
p. 184. dem dictis suis conciliare, prolixe allaborat. Ipsum quidem, recte observat, nunquam vocatum in dubium esse, quod claris Scripturæ niteretur oraculis; interim in ejus expositione mirum quantum in diversum abiisse autores. Statim vero primo in limine e re sua existimat, ut Anglicanæ Ecclesiæ autoritate suæ viam muniat ac sternat sententiæ, quam licet non diffiteatur, sub Edvvardi VI. R. imperio ita de hoc cœlestis doctrinæ capite sensisse, ut Salvatoris nostri animam malignorum Spirituum penetrasse claustra, detentisque tenebrarum vinculis præconem egisse assereret; proxima tamen decem post annis, regnante Elisabetha, synodo coacta, mutasse sententiam, majorique usam moderatione, ipsam quidem

quidem descensus veritatem sartam tectam servare, modum vero
ejusdem & circumstantias cujusque definiendum relinquere liber-
tati voluisse affirmat, eamque in rem D. Fullerum allegat L. IX. p. 185.
Hist. Eccl. Dein & duo rerum capita statuit, quæ ante accuratam
articuli expositionem occupare, necesse judicat. Et primo qui-
dem loco omnia, quæ in hoc articulo a Patribus sunt dicta, de
una solaque Christi anima intelligenda esse docet; quod & ar- p. 186.
ticulorum nexus ac ordo, & Gnosticorum, quibus hæc opponeba-
tur sententia, error, & manifesta demum Hieronymi, Epipha-
nii, Ambrosii &c. requirant testimonia: deinde vero singularem p. 187.
quandam Christi animæ, corporis mortalis exsolutæ vinculis, actio- p. 188.
nem his verbis indicari, ex Petri Act. II, 27 verbis evincit, Patrum- p. 190.
que, Athanasii cumprimis & Fulgentii, explicationibus confir-
mat. Quibus præmissis, ad ipsum articulum pergens, omnem
ejus tractationem ad duo capita revocat, distincteque tum in In-
ferni vocem, tum in Descensus rationem ac modum inquirit. Il-
lam, quæ Græcis ᾅδης audiat, tanti esse ponderis ac momenti, ut
ex Europæis nulla facile lingua vim ejus æque feliciter reddere p. 191.
atque exprimere queat: ceterum locum eam designare invisibi-
lem, quo omnes corporum ex ergastulo liberatæ per mortem a-
nimæ, sive recte se in corpore gesserint, sive minus, recipiantur;
cuique exoletam Anglorum vocem *Hell* olim respondisse, ex pre-
cibus publicis, priscaque Bibliorum translatione appareat. Com- p. 193.
mune vero hoc omnibus, seu puræ illæ fuerint sanctæque, seu
impuræ, animabus receptaculum Gentilibus fuisse creditum, ejus p. 196.
quidem rei vestigia apud Homerum reperit, Diphilum item teste p. 198. 199.
Clemente Alexandrino, & Virgilium. Idemque Judæis visum p. 201.
esse, vel ex Ambrosio, Josepho ipsorumque precum libro pate-
re: nec in diversum ab his abiisse primos nascentis Ecclesiæ Chri-
stianos, Archelaum testem esse, Origenem, Clementem Alex.
Hilarium, Cyprianum. Nam in infernum sanctorum quoque p. 204.
morte animas delatas fuisse, ubi gaudio perfusas suavique fruen-
tes dulcedine gloriosus resurrectionis maneat dies, persuasum
habuisse veteres, ex Irenæo, Justino Martyre, oraculis Sibyllinis p. 208. 213.
(quæ pia fraude a Christianis hominibus vergente seculo II, p. 216.
composita, & in lucem protrusa credit p. 213) magna-

 que

testium nube operose tuetur. Quanquam non dissimulet, successu temporis, apud Latinos maxime, Inferorum vocem in sequiorem trahi sensum cœpisse; quo factum, ut Græcorum aliqui, tempore Origenis, ante Christi in carnem adventum sanctorum animas in infernum descendisse, dubitarint. Quos cum ad priscam
p. 217. revocare sententiam Origenes allaboraret, ipsum ab eadem aliquantum deflexisse; quum puras sanctorum mentes, ex quo Christus tempore resurrexerit, non ad Infernum, ut antea, sed in Paradisum migrasse statuit, quem distinctum & alium ab Inferis
p. 218. locum credebat. Hæc Origenis sententia mox admiratores suos in Occidente nacta est, nec tamen æque in Orientali Ecclesia, quæ priscum semper tuebatur dogma, ut ex Gregoriorum fratrum, nec non Andreæ Cæsareensis Archi-Episcopi monumentis constat.
p. 220. Quid? quod & hodie, Sandio teste, Græcis & Armenis eadem mens hæreat; quæ & Moscovitarum ac Abyssinorum sententia est, adeoque per mille sexcentos annos parum mutationis passa,
p. 221. in Orientali Ecclesia perpetuo obtinuit. Longe vero secus accidit in Occidente, ubi vergente Latini sermonis puritate, Inferni vocabulum in malam accipi partem magis indies magisque consuevit, donec aliquando prorsus ad tormentorum ac supplicii de-
p. 222. signandum locum adhiberetur. Primus, qui in Occidente, missa
p. 223. veteri doctrina, Origenis amplectebatur sententiam, Ambrosius erat, quem secutus Hieronymus easdem secum in partes pertraxit Augustinum; qui tamen hoc in articulo minus sibi constans nutat, nec certi quid statuat, habet. Ceterum Autor, pluribus non opus esse testibus ratus, quibus medii ævi Patres Latinos in Origenis ac Ambrosii pedibus ivisse sententiam, & hinc alios subinde aliosque hinc modos, hinc fines, descensus Christi excogi-
p. 225. tasse, evincatur; demum ita ponit calculum, ut in Symbolo non alio Inferni vocem sensu sumi statuat, quam quo commune notat animarum utriusque sortis receptaculum, in quo novissimum cupide expectent diem.

p. 228. Ad modum vero descensus hujus quod attinet, (id quod secundo expendendum erat loco) docet Usserius, decies in Actis hanc vocem legi, nec ullo tamen in loco descensum ex superiori in inferiorem regionem, sed nudam semper migrationem ex uno in

in alium notare locum: a qua trita consuetaque significatione ut in Symbolo recessum credatur, prægnantem nullam apparere rationem. Causam vero, qua sancti Patres moti, hanc præ ceteris hic adhibere vocem vellent, haud dubie inoletam ista tempestate opinionem fuisse, qua separatarum mentium infra terram, vel in ejusdem locarent visceribus, ideoque ibidem infernum constituerent; maxime quod ad Jonæ præludium & exemplum, Filium hominis triduum in terræ recondendum visceribus, Matth. XII, 40 legerent; quod dictum utplurimum ad Salvatoris, quoad illa a corpore excesserat, animam applicuerunt. Sic apud Hieronymum videas, Tertullianum, Damascenum & Origenem &c. Quanquam vero satis de eo inter omnes conveniret, infernum animarum mansionem esse, multum tamen in regione ejus describenda dissentiebant. Tertullianus in visceribus terræ ponit; infra terram collocat cum aliis Damascenus; omnes ita, ut migrationem in infernum, descensum dicere possent. Nihil ergo aliud Salvatoris in Symbolo sibi velle descensum, quam animæ ipsius, postquam e corpore excesserit, veram ac localem transitionem versus invisibilem illam Spirituum regionem, ubi ad legum mortis præscriptum, sanctas inter purasque defunctorum mentes media, corporis sui resuscitationem, quæ tertio post die contigit, expectarit. Nativam hanc articuli sententiam esse, satis ex finibus constare Autor existimat, propter quos, ex Patrum mente, Christus descenderit. Horum primum dicunt, ut sanctum hunc redderet animæ e corpore discessum, omnemque ejus excuteret nobis metum, Irenæo sic exponente & Athanasio; secundum, ut hac præcipua & necessaria humiliationis suæ parte defungeretur, quo iidem respexisse Patres videntur; tertium, ut ipse, ceu Ecclesiæ gentisque suæ caput, in potestatem redigeret infernum, quo allusisse veteres, ex Julio Firmico, Epiphanio, Sibyllinis vaticiniis, & Athanasio probat; ultimum eumque potissimum ac principem, ut se *ipse* mortis submitteret imperio, nobisque per omnia similis evaderet, quorum cum exsangue corpus terræ mandatur, anima ad tartara vadat, sic idem ipse perpessus fatum eodem tenderet, diemque ibi resurrectionis expectaret, Irenæo & Tertulliano autoribus, nec non Leone M. & Athanasio.

p. 229. p. 230. sqq. p. 233. p. 234. p. 235. p. 238. p. 240. p. 241.

Restat, ut de tempore nonnulla, occasione & causa inserti
p. 243. ti hujus Symbolo articuli pauca subjungat. Ansam itaque dedisse credit Arianorum & Eunomianorum, maxime vero Apollinaristarum errores, quos inter haud ita multum differentiæ intercesserit; quod jurati omnes humanitatis Christi hostes, humanam ipsi & rationalem denegarent animam, divinam in ejus locum substituentes naturam. Et viam quidem Apollinario Arianos monstrasse & Eunomianos, Epiphanius testis est ac Athana-
p. 244. sius. De Apollinarii vero Junioris, Laodiceni Episcopi (summi
p. 246. cæteroquin Viri, meritisque in Ecclesiam inclyti, ac eruditionis
p. 247. laude suo tempore clari) hæresi integram texuit historiam Grego-
p. 250. rius Nazianzenus; affirmantque Augustinus, Cassianus, Vincentius Lirinensis, quod, cum Christum ἔνσαρκον quidem diceret, ἐμψυχώμενον tamen docere recusârit. Quam pestilentem hæresin cum multa post se trahere absurda, facile intelligerent Patres, quod sic ea quoque tribuenda Deitati essent, quorum illa capax
p. 251. non est; neque hac ratione integer Christus perfectusque fuisset
p. 252. homo; imo nec perfecte nostri loco Deo satisfacere potuisset, non poterant, quin grassanti morbo remedium pararent, ipsumque hunc Symbolo insererent articulum, quo vel uno ariete ipsius feliciter & ferire errorem & quassare atque concutere poterant,
p. 254. cum quæ alia ex S. literis, cumprimis ex Joh. X,10, Matth. 38 contra ipsum argumenta proferrent, scita omnia pictaque eluderet
p. 256. responsione; hoc unum fugere non posset. Hinc adeo frequens
p. 257. ejus contra Apollinarium mentio apud Epiphanium, Theodoretum, Athanasium, Autorem Dialogorum de S. Trinitate, alios.
p. 259. Ad tempus denique quod attinet, quo locum hic articulus in Sym-
p. 260. bolo obtinuit, perquam id sero Autor contigisse existimat, cum in Aquilejensi primam Symbolo compareat, nec ante istud tempus, vel in Romanæ, vel Orientis Ecclesiarum confessionibus reper-
p. 261. tum Ruffinus memoret. Quod Ruffini tamen testimonium de publicis & in baptismo adhiberi solitis Symbolis capiendum esse, Autor monet, cum in privatis fidei formulis omnino, etiam ante isthoc tempus, ab Epiphanio hic articulus & a Cyrillo Hierosolymitano legatur. Sed quicquid ejus rei sit, publice sane & in Catholico Symbolo ante Ruffinum, annumque adeo CCCC a N. C. nul-

nullibi comparet; quanquam ab Arianorum aliquibus; in Concilio Ariminenfi congregatis, in ipforum, (fed privatum illud) Symbolum, aliquot jam ante annis, receptus legatur: qua de re, ipfaque adeo Ariminenfi Synodo, quod lucis aliquid affufura hæc videretur narratio, paulo prolixius hic loci Autor agit. Ex *Aquilejenfi* in Romanum poftmodum & Orientalia Symbola *relatus*, proximum a fepultura locum obtinuit, quam tantum abeft ut fignificet, ut fupra memoratam potius, quam fub finem capitis velut in compendium mittit, brevique paraphrafi illuftrat, retineat mentem. p. 261. p. 262.

IDEA MACHINÆ HUMANÆ ANATOMICO-PHYfiologica, ad obfervationes recentiores conformata, & ad methodum fectionum folennium accommodata, a JOHANNE MAURITIO HOFFMANNO, Phil. & Med. D. Confiliario & Archiatro Ducali Onoldo-Brandenburgico, in Univerfitate Altdorfina Chemiæ, Botanices & Anatomiæ Prof. Publ. &c.

Altdorfi, typis Henrici Meyeri, 1703, 4.
Conftat Alphab. $2\frac{1}{2}$.

TRactatum hunc Anatomico-Phyfiologicum cum potiffimum in finem delineavit Author Clariffimus, tum ut pro fupplemento effet Differtationum in Hornii Microcofmum quondam ab ipfo editarum, tum ut doctrinæ inferviret Philiatrorum, quoties adminiftrationes Anatomicæ publicæ exhibentur. Et quemadmodum in exponenda fingularum partium corporis humani ftructura, in id potiffimum, ipfo in Præfatione fatente, incubuit, ut recentiorum Anatomicorum obfervationes eas præcipue attenderet, quas folerti facta indagine, fenfuum & experimentorum fide comprobatas perfpexit, atque illas ipfas Inventoribus fuis ex æquo & merito ubique vindicaret, falfasque, quas in Authoribus deprehendit, hypothefes modefte redargueret, cuivis lectoro optime fe commendaturum fore librum hunc, penitus confidimus. Nos ea faltem delibabimus, quæ vel tanquam nova ab Authore celeberrimo per 27 annos publico fecandi muneri vacante allata, vel ab aliis tradita confirmata funt.

Pan-

Pag. 12. Panniculum carnosum nullum in homine existere, sed id, quod ostenditur, nil aliud quam pinguedinis membranam esse,
p. 21. cum Petro Dionis statuit. Omentum eum in finem diversis partibus annexum esse credit, ne visceribus oneri sit, utque vasorum sanguiferorum ductuumque adiposorum expansioni, pro motu contenti fluidi necessariæ, inservire,& striis membranaceis pin-
p. 24. guedine turgidis locum cedere queat; quæ pinguedo fœminas steriles reddat,non quod orificium uteri internum comprimat, uti visum fuit Hippocrati sect. V. aphor. 58, sed quod ultra consuetum terminum versus inferiora detractum ovarium utrumque comprimat, aut lentore oleaginoso potius obvolvat, sicque spiritus genitalis masculini vim energeticam supprimat, vel intercipi-
p. 39. at. Glandulæ mesenterii conglobatæ fluidum lymphatico-chylosum non tam percolando depurare, quam spiritus animalis connubio exaltare, & exacte subigere dicuntur, cum septem plexus
p. 80. nervei in mesenterio conspiciantur. Humor in renibus succenturiatis secretus bili analogus salino-volatili-oleosus pronunciatur, ut sanguis, relicto in renibus majori serosi vehiculi parte,a grume-
p. 98. scentia immunis sit. In fœmina 4 menses gravida, arteriolarum tubulos in uteri cavitatem hiantes, ac calices & folliculos apertos præsentantes, dignoscere haud potuit Noster, bene tamen tunicam interiorem placentæ contiguam cavernulis spongioso-glandulosis excavatam, intra quas acini glandulosi placentæ immersi erant, cum tuberculis quibusdam intermediis perspexit, quæ pressæ nil quicquam sanguinis, sed seri mucaginosi tantillum funde-
p. 108. bant. In fœtu quadrimestri separavit suspensa manu tertiam tunicam a chorio, cujus internæ superficiei ante connexa erat, ita ut ambigat, utrum pro distincta membrana, an pro chorii duplicatura haberi debeat eadem, nec tantillum fluidi eam inter & a-
p. 110. mnium intercessisse, observare potuit. Per tunicas fœtus serum matris transcolari, & ad amnii ambitum deponi, quondam credidit Noster; nunc autem Hobokenii dubiis motus, persuasum sibi habet, aut per vascula embryonis venosa, ovuli membranas transgressa, radicesque suas ad superficiem uteri internam defigentia, aut per peculiares canaliculos chorii, utero quoad totum sui ambitum interiorem connexos,ex lacunis uteri,post conceptionem

seri

lacti materni chylosi moleculas ad amnium deduci. Geminum in canibus cerni diaphragmatis musculum, in homine vero rem haud adeo expeditam esse, pronunciat. In œconomiæ animalis statu naturali aquam pericardio inesse confirmat, in majori tamen vel minori quantitate, pro temperamenti discrimine, & rerum n. n. prægresso vario usu, cumprimis etiam aëris ambientis diversa habitudine, & crasi: quod autem in conspectum sectionum magistris non ubique se dederit, evenisse putat, aut quod tunc temporis a vasis lymphaticis maximam partem resorpta fuerit, aut aquæ consistentiam non habuerit, in vaporem resoluta tenuem; pro materia vero hanc agnoscere lymphæ portionem, id quod color & sapor non modo, verum etiam illud phænomenon doceat, dum aqua hæc in subjectis biliosis magis flava, in scorbuticis rubicunda, in hydropicis turbida vel lixiviosa, respectu coloris notetur. Scaturiginem nancisci ab aspredinibus glandulosis minimis, duabus membranis interjectis, a Malpighio descriptis: usum eum possidere, ut fibras cordis motrices, blanda sua alluvie vel rorido madore, flexiles mollesque præstet, suam membranam mollem servet, & sui cum corde coalitum impediat. Intimam pulmonum substantiam omni fere sensu destitutam dicit, non quidem, prout Vieussenio videtur, quoniam fibræ nerveæ, quibus intertexitur, funiculorum formam retinent, nec in membranas explicantur, sed potius quoniam eædem inter vesicularum substantiam arctius compressæ, in minimis propaginibus spirituum activitate derelictæ, aut potius membranaceis velamentis sensibilibus destitutæ, ἀναισθησίαν patiuntur; aut adeo profunde immersæ sunt, ut a violenta læsione utplurimum immunes persistent. In fatali laqueo suffocatis cadaveribus, observavit membranam crassissimam & laxissimam, supra epiglottida extensam, carneis fibris instructam, quam Hier. Fabr. ab Aquapendente descripserat, eamque musculi attollentis officio parem esse judicat. Musculos autem humanam epiglottidem deprimentes vel occludentes, nondum exacte dignoscere ipsi licuit, nec forsan necessarios, quales in brutis, prono ad terram capite incedentibus cibumque ruminantibus, robustos & carnosos, ab arytænoidibus superne ad basin epiglottidis internam exporrectos,

p. 126.
p. 132.
p. 152.
p. 171.

p. 177. conſpexit. Clariſſimi Verhayn collaudat ſagacitatem, quam in glandulis pluribus, & ultra centum numero, circa aſperæ arteriæ divaricationem eruendis adhibuit, etiamſi jam olim earum quatuor (Verhaynio id minus advertente) ab Olao Borrichio repertas fuiſſe, Thom. Bartholinus Anatom. lib. II. cap. 10. teſtetur. Glandulam thymi chyli aliquam partem ex arteriolis recipere, ſicque diverticulum eidem præbere, autumat, ne ſi omnis ſimul & confeſtim ad cerebrum perveniret, aut cerebrum nimia copia aggravaret, aut ad minimum corticis exterioris poros & meatus ultra modum infarciret. Hunc demum chylum ex parte a venis & vaſis lymphaticis reſorberi, aut per peculiaria vaſcula paulatim ductui thoracico infundi. Chordam tympani membranæ ſubtenſam, ad ſenſationem mobilitatemque hujus membranæ, fibrasque ejusdem per elaſticitatem in æquali tenſione ſervandas, comparatam eſſe exiſtimat; dum ipſa membrana aëri per aurem externam admiſſo, ab interna quidem arcendo, ſed ſonorificis ejusdem impulſibus primum ſuſcipiendis, dein oſſiculis & aëri in cavitate ſubjecta concluſis communicandis, inſervire videtur. Ipſum autem labyrinthum, pro formali & proximo auditus organo habet. Utrum perioſtium figuram ac formam externam oſſium circumſcribere, ac certis limitibus determinare queat, uti Haverus ingenioſe commentatus eſt, ſubdubitat, perſuaſus, membranaceo-tendinoſo-nerveas perioſtii fibrillas, flexiliores tenſilesque, rigidioribus oſſium ſtaminibus & lamellis cedere tantum debere, in quantum eorum incrementum expoſcit, dum ceſſans augmentatio & induratio oſſeæ ſubſtantiæ, ipſa ſibi limites ponit ac præfigit.

Margin notes beside the paragraph above: p. 182. (at "iſſe, Thom. Bartholinus"); p. 232. (at "thoracico infundi"); p. 241. (at "cta concluſis"); p. 337. (at "labyrinthum").

De cætero adjuncta eſt operi huic decas Programmatum Academicorum, a Clariſſimo Authore Anatomiis ſolennibus præmiſſorum, in quorum I. Anatomiæ ſtudium omnibus, quodcunque etiam profiteantur diſciplinarum genus, commendat. In II. contra eos diſputat, qui Anatomes exercitium, oculata manu celebrandum, Medico minus neceſſarium eſſe contendunt, adminiculis aliis proſtantibus. In III. Chemiam & Anatomiam omnibus, ad Artis Medicæ faſtigium adſpiraturis, neceſſariam eſſe docet. In IV. ſexui fœminino parem cum maſculino perfectionem competere demonſtrat. In V cuncta animalia torum

tum suum ex ovo habere probat. In VI. & VII. hominis & brutorum, quoad præcipuas partes, notabile discrimen delineat. In VIII. Artem Medicam ab Anatomiæ sydere illustratam sistit. In IX admirandam corporis proprii structuram negligere, nefas pronunciat. In X. Virorum, qui Artem Anatomicam exercuerunt, catalogum pandit.

HISTORIA MORBORUM, QUI ANNO MDCCI Vratislaviæ grassati sunt, adornata a Leopoldinæ Academiæ Naturæ Curiosorum Collegis Vratislaviensibus.

Vratislaviæ apud Johann. Jankium, 1703, 4. plag. 14.

Cum morborum Historia tantæ sit dignitatis, ut Ars salutifera & ortum & incrementum ei debeat, imo & dignitatem omnem vix aliunde tueatur, immortaliter sibi omnes atque singulos, qui veram amant coluntque Medicinam, devincire, atque obstringere, conjunctissimos Academiæ Naturæ Curiosorum Collegas Vratislavienses, qui tertium jam Historiarum annum publicæ exponere luci non dedignati sunt, quis non videt? De quo, prout hactenus soliti sumus, unum alterumve appositurì sumus specimen.

In febribus malignis & contagiosis curandis, pro more suo venæsectionem & calidiora alexipharmaca omiserunt Viri hi Clarissimi. Cujus methodi ratio ut unicuilibet pateat, de morbis contagiosis doctrina fusius explicatur, & tandem concluditur, materiam, quæ sub halitus forma, in quantitate exili in corpus irrepsit, nec per venæsectionem, nec per volumina intestinorum, ex corpore eliminari posse; inutilem quoque esse prorsus profusam fieri per sudores nimios excretionem. Circa herniarum curam, non infeliciter ipsis cessit usus compositionis a *Blegny* excogitatæ, quam hic *in Arte Herniarum Curatrice pag. 232.* describit; interne autem vulnerariæ potiones, utpote quæ, præter alia incommoda, alvum adstringunt, quam liberam esse omnino ægris expedit, item aquæ artificiales Blegny, cum alumine & vitriolo paratæ, vel Fallopii chalybs præparatus cum saccharo, & spiritus salis rejiciuntur. Oenopola quidam ex podagra, per agyrtam retropulsa, colica nephritica truculentissima laborans, aliis omnibus frustraneis, sanitati ex

pag. 1. pag. 25. pag. 27.

voto restitutus dicitur, usu tincturæ Tartari, & haustuli tepidi unciarum trium vel quatuor, mistüræ sequentis diuretico-laxativæ:

Rec. Decoct. emoll. contra Calcul. Foresti
aperit. major. ana ℥IV.
▽ contra calcul. Conrad.
Fragor.
Cinamom. bugloss.
Syrup. Regii
Byzantini ana ℥j. M.

pag. 50. Multa egregia insuper de hæmorrhoidibus oris & vesicæ proferuntur; hæmorrhoidum enim vox, a Celso & Galeno ad venas sedis & uteri restricta, ante horum tempora latiore gaudebat significatione; nec commode fluxus oris, sine præcedanea cephalalgia, aliisque symptomatibus, statis periodis prorumpens, ad hæmoptysin vel vomitum cruentum potest referri; quales oris hæmorrhoides agnovisse dicitur *Hippocrates Lib. II. Prædict. Sect. II.* ita scribens: *Quibus fauces sanguine noctu & interdiu replentur, dum neque capitis dolor prægressus fuerit, neque tussis, neque vomitus, neque febris prehenderit, neque pectoris aut dorsi dolor tenuerit, in his nares & fauces inspiciendæ, num quod ulcus in eo loco compareat, aut ἢ βδέλλα*: per quam vocem ultimam, non hirudines, sed varices intelligi debere, uberius pro-
p. 96. batur. De catarrho suffocativo dum sermo est, pro hujus causa proxima paralytica pulmonum, ac forte etiam musculorum thoracis debilitas accusatur; hinc salia volatilia urinosa, cum tinctura tartari acri remixta, pro scopo congrumatum non solum & coagulatum sanguinem resolvendi, verum etiam tonum partium
p. 99. restituendi, commendantur; quemadmodum etiam sequens formula, ad eliminandam aquam intercutem, magni usus fuit deprehensa:

Rec. Rad. enulæ, asari, ana unc. sem.
Herb. salv. eupator. cichor. veronicæ,
cuscutæ ana manip. unum.
gran. paradisi drachm. unam cum semiss.
macer. drachm. unam.
sem. carthami, anis. petrosel. ana drachmas tres.
Rhabarb. Alex. drachm. duas.

Coqv.

Coqv. in Vini Menf. iij.
Rec. Colat. ℔. iij. adde
Syr. Byzantini uncias tres. M. F. Potio.

Tacemus curiofam Anatomen fœminæ, abdominis intumefcentia poft partum laborantis; fingulare exemplum de apoftafi κατ' ἀπόθεσιν in fcirrhum fanguineum degenerante; egregium de gonorrhœa virulenta difcurfum; & rarum molæ exemplum. p. 19. p. 34. p. 79. p. 99.

ΕΥΚΛΕΙΔΟΥ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

EUCLIDIS QUÆ SUPERSUNT OMNIA. EX RE-cenfione DAVIDIS GREGORII M. D. Aftronomiæ Profefforis Saviliani, & R. S. S.

Oxoniæ e Theatro Sheldoniano, A. 1703, fol.
Conftant Alph. 7. plag. 17.

INter Eruditos, quorum fcripta ætatem tulerunt, publicoque emolumento ad feros pofteros fuerunt propagata, dubium non eft, quin poft Homerum Euclides emineat, non Megareus ille, cujus vitam Laërtius edidit, fed qui, quacunque patria ortus, regnante in Ægypto Ptolemæo Lagi, Alexandriæ primus omnium Scholam Mathematicam aperuit, ex qua tot deinceps infignes Mathematici prodierunt. Bis mille enim lapfi jam ab eo tempore, quo doctrina is inprimis Geometrica floruit, anni funt, & hodieque tamen, ut alia ingenii ejus monumenta, quæ fuperfunt, in pretio habentur, ita Elementa præcipue ejus Geometrica, ob quæ Proclo & veteribus aliis κατ' ἐξοχὴν dici Στοιχειωτὴς confuevit, in Scholis Geometricis regnant, & nobiliffimæ fcientiæ ftudiofis, velut folida bafis, cui uberiora feliciffime fuperftruant, ex merito commendantur. Non provocabimus ad veterum, Pappi, Procli & omnium, qui Geometriam excolere fuftinuerunt, teftimonia; e recentioribus vel unius Cardani, at quanti Viri! adduxiffe fufficerit elogium, qui libro XIII de Subtilitate, ita de his Elementis pronunciat: *Horum inconcuffa dogmatum firmitas, perfectioque adeo abfoluta, ut nullum opus jure huic aliud comparare audeas. Quibus fit, ut adeo veritatis lux in eo refulgeat, ut foli hi in arduis quæftionibus videantur poffe*

a vero falsum discernere, qui Euclidem habent familiarem. Ut profecto scriptor Gallicus, Claudius Verderius, in *Censione autorum omnium veterum & recentiorum*, qui splendidus est miseri libelli titulus, dum Euclidem *indigestum esse & incompositum* ait, moxque subjungit: *Oedipodem esse necesse est, qui hunc velit intelligere; proponit enim sua problemata, nec manum ad circinum adhibet; proponit quoque theoremata, nec ullum demonstrat*; nonnisi ridendum se omnibus propinaverit, & vel uno hoc inepto judicio, reprehensionem beati Morhofii nostri meruerit, qui Polyhistoris L. I. c. XVI de eo memorat, *manifestam hominis phrenesin facile deprehendi, ubi censuram suam exerceat*. Equidem non dissimulamus, fuisse, qui non inutilem operam illustrandis Euclidis Elementis præstiterint; ut facile est, inventis addere. Nam jam ex veteribus Theonem nonnulla adjecisse Euclidis Elementis, ipse agnoscit in Prælectionibus suis celeberrimus Savilius; tametsi & eorum, qui propositiones Elementorum Euclidi, demonstrationes Theoni tribuunt, & Petri Rami, qui tam propositiones quam demonstrationes Euclidi abjudicat, universa Theoni attribuens, opiniones velut stultas falsasque explodat. Nostra vero ætate haud parum luminis Elementis affuderunt Geometræ clarissimi, Barrovius, De Chales, Pardies, Sturmius, Tacquetus aliique, seu illustratis & faciliori methodo exhibitis, quæ incipientibus difficiliores videri poterant, demonstrationibus; seu compendiosa magis via propositis, quæ per ambages nimias ab Euclide erant exposita; seu adjectis corollariis practicis, & propositionum vario usu indicato, modisque quibuscunque aliis. Verum hi omnes tamen tantum abest, ut erga communem orbis in Geometria per viginti secula præceptorem reverentiam exuerint, ut ipsius fundamenti feliciter positi gloriam Euclidi relinquant, nec nova ipsi Elementa condere, sed Euclidea excolere sustineant. Ipsi temporum nostrorum Heroës, quibus calculum differentialem, methodum indivisibilium, Arithmeticam infinitorum, & novissimam fluxionum doctrinam aliaque debemus, verecundantur de sede sua Euclidem dejicere; quin ejus potius Elementa a studiosis prælibari, imo in succum velut ac sanguinem converti, ex iisque syntheticam illam ve-

veterum Geometrarum constructionem, tanquam scientiarum Mathematicarum basin inconcussam, addisci cupiant, antequam ad altiora illa progrediantur. Quæ cum ita sint, non sine applausu ac tripudio exceptum iri arbitramur, ab omnibus horum studiorum æstimatoribus, novam eamque elegantissimam & accuratam omnium Euclidis, & quæ a nonnullis illi tribui solent, operum editionem Græco-Latinam, quæ nuperrime Oxoniæ in Anglia, e theatro Sheldoniano, felicibus auspiciis prodiit. Probe meminimus, talem jam ante viginti, & quod excedit, annos meditatum fuisse Virum celeberrimum, Eduardum Bernardum, Astronomiæ in illustri Oxoniensi Academia, dum viveret, Professorem Savilianum. Sed quod ille morte præventus præstare non potuit, præstitit felicissime, qui Savilianam cathedram hoc tempore cum laude tenet, David Gregorius, ingenue tamen in Præfatione professus, ex laudati Bernardi libris, qui in Bibliotheca Bodlejana asserventur, Latinam Federici Commandini Elementorum versionem, infinitis in locis a se castigatam, & in expoliendis Græcis, editioneque universa, a vitiis etiam typographicis liberanda, plurimum auxilii Clarissimum Virum, Joannem Hudsonum, S. T. P. & Protobibliothecarium hoc tempore Bodlejanum, attulisse. Sed videamus, quæ in nova hac editione, & quo ordine contineantur. Et primo quidem loco ipsorum *Elementorum libri quindecim* comparent; etsi Gregorius noster facile assentiatur iis, qui postremos duos Euclidis non esse existimant, sed Hypsicli Alexandrino, qui ducentis post Euclidem annis floruit, malunt tribuere. Uti vero operam Editor clarissimus dedit, ut & Græcus textus, & Latina versio, mendorum quorumque expers prodiret: ita notas nullas adjecit, nisi eum textum corruptum restituere, aut scholium a sciolo interpolatum restituere, opus esset. Sic enim persuasum habet, Elementa hæc clariora esse & intellectu faciliora, ubi sola exhibentur, quam ubi scholiis & lemmatiis innumeris obrutus ipse Euclides vix appareat. Sequuntur Euclidis *Δεδομένα*, seu *Data*, quibus Marini Philosophi *εἰς τὰ Δεδομένα Προθεωρία* præfigitur. Cumque *Data* hæc comparata ad Analysin Geometricam, & ejus quasi Elementa sint, veteribus Geometris familiaria, in Præfatione sua Gregorius insi-

insignem locum ex Pappi Alexandrini præfatione ad L VII Collectionum Mathematicarum, quo veterum Analysis Geometrica accurate describitur, & quidem, cum Græce nondum extet, Græce exhibet, adjuncta Commandini versione. Dein tractatus Musici sistuntur, *Introductio Harmonica*, & *Sectio Canonis*, quos e nuperis scriptoribus quidam Euclidi tribuerunt: etsi Gregorius ab iis dissentiat. Nam posterior quidem ille adscribi Euclidi plane non potest, cum Sectionem Canonis primus introduxerit Ptolemæus, ante quem de ea cogitaverat nemo: prior vero, cum Aristoxeni hypothesin per omnia sequatur, potuit quidem ab Euclide proficisci, sed id tamen affirmari certo nequit, cum veterum nemo ejus uspiam meminerit. Qua occasione Gregorius in præfatione accurate de duplici veterum hypothesi Musica, Aristoxenea & Ptolemaïca, disserit. In tractatibus vero ipsis edendis, Meibomii editionem Veteris Musicæ Scriptorum Amstelodamensem A. 1652 secutus est, ejusdemque etiam versionem, paucissimis immutatis, retinuit. Tractatus Musicos excipiunt *Phænomena*, liber unicus, quo cœlestia Euclides attigit. Eorum textus Græcus nunc primo lucem aspicit: versio Latina Josephi Auriæ ex editione Romana A. 1591 est, at passim emendata. Sequuntur porro *Optica & Catoptrica*, cum versione Latina Joannis Penæ, & notis celeberrimi Savilii, quas margini codicis sui adscripserat. Ast ut Savilius agnoverat, Euclidis Opticæ & Catoptricæ libros non magni esse momenti: ita Editor noster suspicatur, ex rationibus non contemnendis, opus esse spurium, aut certe temporis lapsu prorsus corruptum. Hinc exhibetur liber de *Divisionibus*, qualem ab Euclide scriptum, Proclus quidem testis est, sed num hic genuinus ille codex sit, in medio a Gregorio relinquitur. Editur etiam tantum Latine, cum Græce nullibi reperiatur. Agmen claudit fragmentum de *Levi & Ponderoso*, Euclidi a nonnullis tributum, sed haud dubie spurium.

ANDREÆ TACQUET ELEMENTA GEOMETRIÆ, & Selecta ex Archimede Theoremata. Summa cura emendata &c. a GULIELMO WHISTON.

Can.

Cantabrigiæ, typis Academicis, impensis C. Crovvnfield, 1703, 8.
Plag. 16.

Quam universis Euclidis scriptis operam Gregorius, eam speciatim Elementis impendit Vir Clarissimus, Gulielmus Whiston, Matheseos apud Cantabrigienses Professor Lucasianus. Recudi enim ea, in studiosæ Mathematum juventutis usum, quam nitidissime curavit, juxta editionem Tacquetianam, sed novis nunc accessionibus ornatam magisque illustratam. Præterquam enim, quod quadraginta schemata nova æri incisa adjecit, cum in secundo Elementorum libro, methodum demonstrandi discentibus paulo difficiliorem, in quinto autem proportionum doctrinam, in se quidem facillimam, per ambages expositam deprehendisset, ipse secundi libri demonstrationes plerasque, tum rectangulorum constructione, tum exemplis numericis illustravit, doctrinam vero de proportione, quæ quinto libro continetur, summatim & brevissime exposuit. Quod vero palmarium ipse arbitratur, varios propositionum usus, faciliores illos & discentium captui accommodos, in corollariis, partim ex penu proprio depromptis, partim ex aliis, De-Chales, Barrovio, Pardies, Sturmio, Newtono, mutuo acceptis, condimenti instar ac incitamenti, passim apposuit: ut dubium adeo non sit, quin rem gratissimam æque ac utilissimam studiorum horum cultoribus, nova hac & elegantissima Elementorum Euclideorum editione præstiterit.

JOH. JAC. SCHUDT JUDÆUS CHRISTICIDA gravissime peccans & vapulans.

Francofurti ad Mœnum, sumtibus Autoris, 1703, 8.
Alph. 1, pl. 3.

IN Disputationibus cum Judæis, ea felicius in usum trahi argumenta, quorum robur gentem, ex pertinacia stupidam, constringit validius, & externos velut eorum sensus ferit, nemo vocaturus est in dubium. Itaque cum nihil iis acerbius accidat, quam diuturnum adeo a patria, hæreditario olim jure tanto tempore possessa, exilium, ab eo initium colloquii de religione cum

ipsis instituendi faciendum, Clarissimus eruditi hujus operis Autor existimat. Docendi nempe Judæi sunt, & exilii illius, & gravissimarum miseriarum, quas per tot secula sustinuerunt & hodieque sustinent, unicam atque genuinam causam esse impiam majorum suorum in Jesum Nazarenum crudelitatem, quam ipsimet hodienum non tantum non damnent sed probent potius atque collaudent. Conciliandus dein eorum animus significatione doloris, quod gratissimus olim Deo & electus ex omnibus aliis populus, tam acerbum, tamque diuturnum, experiatur iræ divinæ judicium. Hinc porro explicanda Prophetarum oracula, atque ex iis tristis ille rerum prædictarum eventus demonstrandus: ut ita in conscientia stimulum sentiant, paulatimque ad veritatis agnitionem perducantur. Ex quo Auctoris celeberrimi scopo facile intelligitur, non tam Judæis scriptum hunc librum esse, ut ex eo fructum capiant, quos constat scripta nostratium omnia magno fastu velut conculcare, & ab eorum lectione toto animo abhorrere, quam Christianis methodum commonstratam efficacissimam, qua in convincendis pertinacibus felicius, quam ulla alia, utantur.

Partes Operis duæ sunt, quarum prima demonstratur, tot tantorumque malorum, quibus Judæi affliguntur, causam nullam esse posse aliam, quam rejectionem & cædem Jesu Christi, veri Messiæ: altera falsæ, quibus mala ista tribuunt Judæi, causæ, & exceptiones jejunæ, quod Christi cædes causa eorum esse nequeat, excutiuntur atque refelluntur. De quibus plura nobis dicenda nunc essent, nisi otium nobis fecisset Autor ipse, subjuncta operi Dissertatione Philologica, summam universæ tractationis complexa, & a quovis brevi tempore perlegenda.

JO. CHRISTIANI L. BARONIS DE BOINEBURG ad Virum Clarissimum JO. CONRADUM DIETERICUM, Professorem Giessensem, Epistolæ, nunc primum ex autographis editæ a RODOLPHO MARTINO MEELFUHRERO.

Norimbergæ apud W. Michaëllis & J. A. Schwobachium, A. 1703, 12, plag. 15.

Quo

QUo illustrius magni seculo elapso literarum statoris, *Jo. Christiani*, Liberi Baronis *de Boinebourg*, S. Cæsareæ, cum in vivis esset, Majestatis, & Eminentissimi Electoris Moguntini Consiliarii Intimi, ac Supremi Aulæ Mareschalli, in Orbe literario nomen est: eo minus hedera suspensa opus habent Illustris ejusdem Viri ad *Jo. Conradum Dietericum*, Historiarum, dum viveret, in Academia Giessensi Professorem Clarissimum, Epistolæ, quas nunc primum *Rodolphus Martinus Meelfuhrerus*, sacræ Theologiæ Licentiatus, Norimbergæ ex autographis, typis publicis exscribi curavit. Promiserat has Clarissimus Meelfuhrerus Orbi literario jam ante, in suis ad Theod. J. ab Almeloveen, Polyhistoris & Medici Harderovicensis, Bibliothecam promissam ac latentem Accessionibus, Norimbergæ A. 1698 editis, & cum jam ille sui promissi memor fuerit, non ingratior Reipublicæ literariæ foret opera, si &, quæ in Illustrium Virorum, *Ezech. Spanhemii* & *G. G. Leibnitii* bibliothecis, ac in *archivo* Electorali *Hannoverano* & Ducali *Cellensi*, nec non in Illustris *Weisenbornii*, L. Baronis *de Ehrenquell*, museo latent, Boineburgii Epistolæ, propediem in lucem protraherentur. Sane religioni semper erat Boineburgio, aliquid minus Latine, vel minus ornate ac intelligenter dixisse: unde, si quid etiam forte præter regulas & incomposite aliquando scripserit, id nec scriptum aut dictum se velle, Dietericum suum sæpius, & inter cetera Epist. IV, XII & XLVI, ipse serio admonet. Ea de re dictio harum quoque, quas jam recensere suscepimus, Epistolarum tersa satis est & fluida, concisa & subinde quoque sententiosa, prout varium decus est epistolarum familiarium, nonnunquam tamen & copiosa admodum, ac tumultuaria; cum ipse Boineburgius, se nec ingenio suo interdum leges, nec scriptioni terminum dare posse, Ep. LXXXIV & XXVIII non dissimulaverit. Deinde vero, quod maximum, rerum, quæ ad Historiam Literariam faciunt, sunt plenissimæ, adeo, ut nisi Conringii epistola, quam jussu Augusti, Ducis Brunsuicensis vere Augusti, de Bibliotheca Guelferbytana ad Boineburgium nostrum exaravit, & quæ jam publice extat, satis superque loqueretur, quantam rei literariæ curam cognitionemque habuerit Boineburgius, id ipsum vel

solæ hæ ejusdem ad Dietericum perscriptæ epistolæ, abunde id testari possent. Cujus rei ut exempla quædam demus ac testimonia, *Epistola XXVI, XXXI & XXXIII*, nec non *XIX*, magno numero & cumulo, præstantissimos & selectissimos omnis eruditionis scriptores recenset, ac qui vel in Historia ecclesiastica aut profana, & summorum per orbem Imperiorum notitia, vel in universa Philosophia, & Philologiæ, Critices, Chronologiæ, nec non literarum elegantiorum studiis, vel in Theologia, & Jurisprudentia, vel in alio quocunque eruditionis genere, legi possint, & ducum instar seligi, laudat atque commendat. Quo ipso Auctor, suasor & impulsor esse volebat Dieterico suo, ut non solum Bibliothecam suam Græcam, quam tum parabat, seu de Græcis scriptoribus opus, eo alacrius deproperaret, sed & desideratissimo dudum Verulamio, ac omnibus Eruditis, universæ Historiæ Literariæ operi, eo promtius, eoque felicius se accingeret, & cum neque Xenophon, qui primus dicitur Philosophorum vitas scripsisse, neque Socion, qui libros successionum elucubrasse fertur, amplius extet, de Viris doctrina præcellentibus, eorumque monumentis, ut & in universum de scientiarum incrementis & augmentis in eo ageret. Non minor propemodum est Auctorum selectorum apparatus, quem ut Hortlederi, cujus labores Saxoniæ ministris fructuosissimos esse censet, aliorumque Virorum in eo genere clarorum exemplis, Archivum Principum, seu quod vetustas Latinior dixisset, *Memoriam Principum publicam*, Antiquarii recens munere auctus Dietericus suus, paulo accuratius in ordinem redigeret, & exornaret, *Ep. XLIII* & *XLIX* aliisque congessit. Et inde etiam *Ep. XLVII* honestissimam sibi laudem commeruisse scribit *Dietericum*, optimæ frugis libro suo, quo Breviarium, seu Historiam Reipublicæ Hebræorum, ac IV catholicorum per orbem imperiorum, quæ sub eulogio Monarchiarum inclaruerunt, summa per capita est complexus. In aliis epistolis, quo loco suæ suiq; Principis res sint, & quid rerum vel in Suecia, ubi tum Legati fungebatur munere, vel in Hassia agatur, perscribit: & in harum censum ex prioribus quam plurimæ pertinent. In ceteris vero Boineburgius tum de Eruditorum operibus, olim vel recens editis

iis & ineditis, tum de eorundem morte ac litigiis, tum quoque de omni re literaria differit, &, quod ipse Ep. LXVIII præcipuum epistolarum familiarium decus esse censet, liberum suum subinde quoque de uno alterove viro erudito judicium æque,ac jocos & sales immiscet. Sic *Epist. IV.* magni Viri, *H. Grotii*, Rostochii mortem, & *Ep. LXI* Hottingeri, Orientalium doctrinarum doctissimi, & Arabicarum præcipue literarum callentissimi interpretis, fata deplorat; at tamen & ipsum Hottingerum, & quot in Belgio floreant eidem pares, G.H. Velschio fasces dudum submisisse, in suæ nostræque Germaniæ gloriam, simul addit. *Ep. LXII* Taboris dissertationem, seu potius conscribillationem hiulcam & mancam de Legatis, sibi multis ait nominibus displicere, adeo, ut famuli opera eam conflatam credat: cum tamen alioquin omnia hujus Viri soleant esse e meliore luto nata. *Ep. LIX* graviter Dieterico suo irascitur, quod non nisi fabulis ridiculis, & gerris totiens contritis, oppletam de Papissa Joanna disputationem conscripserit, quam tamen esse fabulam, ex ipsis Protestantibus, Blondellus, Reformatorum ille Varro & Photius, Conringius, Vossius, Grotius, P. Molinæus, Bochartus, Camero, Chamier, Curcellæus, Sarravius, Boxhornius, F. Lindenbrogius, Barlæus & Isaacus Gruterus, ceu quoque *Ep. XV* testatur, abunde confirmaverint. Et utut Salmasius, pro sua in Catholicos vehementia & rabie, Blondellum se esse refutaturum, sæpius minatus fuerit: postea tamen eum, sæpe ab hoc provocatum, nunquam vel mutire ausum fuisse, & sic morte præventum, veritatem ultra nequivisse stomachari. *Epist. XX* operis sui singularis, de usu errorum in Imperiis Rebusve publicis meminit, & Leonem Allatium, cum quo, teste etiam *Ep. LI*, creberrimum alebat literarum commercium, in eruendis Græcis Antiquitatibus, Jo. Meursii diligentiam prope superare, existimat. *Ep. XXII* & *XXV* optat, ut negotium & lis cum Calixto mollius paulo leniusque ageretur, & multi laboris futurum suspicatur Calovio, Hülsemanno, Dannhauero, Dorscheo, Wellero, Scharfio & horum Archi-Theologorum congregibus, Calixtinam sententiam penitus convellere, diruere, tollere. *Ep. VI & L*, occasione libelli cujusdam Cas-

ſellanorum Theologorum de religionis negotio recens editi, qui confutari mereatur, dummodo id ſine importuno zelo fiat, ac ſolito moderatius, in eos in univerſum Theologos vehementer invehitur, qui nimio zelo adverſarios ſuos tractare ſolent. Nec enim genuinum frangendum eſſe, ubi res alia eſt, quam adparet forinſecus, neque anathema vel maranatha ſtatim intorquendum adverſus in divinis circa fundamenta tantum, non in fundamentis, diverſum abs nobis ſentientes. Secus qui faciant, & cum Zacharia Hogelio, in ſuo ſuper Apocalypſin libro, ad Papæ caput conterendum bellum produci malint, quam pacem coire, illos demum veros eſſe, *Ep. XI* ait, litium incentores & bellorum concitatores, eoque nomine non invalidis argumentis ab H. Grotio in Jure Belli & Pacis Lib. II Cap. XXII commate 15 exagitari. Etſi enim contra ac ſentiat cum Bellarmino Grotius, Romam adhuc ſemel interituram, cum H. Conringio, ſub cujus tutamine etiam aliquando de Germanorum Imperio Romano diſceptaverit, ac Calixto credat: propterea tamen bellum protrahendum eſſe, nec ſemet, nec alium quempiam ſtatuere, niſi cui cerebrum ſit in calcaneo. *Ep. XXXII* unam gentem eſſe memorat Bemelbergiorum in Suevia, & Boineburgiorum in Fuldenſi, Haſſica, Franconica & Thuringica ditione, ſuosque iſtos in Suevia agnatos Barones de Bemelberg plerorumque Sueviæ Comitum, quin & Marchionum Badenſium, Ducumque Mantuæ propinquitatibus eſſe innexos; ceu id quoque P. Bucelini Benedictini Genealogiæ nuper editæ teſtentur. *Ep. LXIII*, *LXVI* & *LXVIII* ſui, quod ipſemet paret, operis literarii de Scriptoribus Bibliothecariis, & in quo etiam de Scriptoribus Epiſtolarum fuſe agat, meminit. *Ep. LXIX* Dietericum ſalſe & facete exagitat, quod in ſua de amoris literarii exceſſu exercitatione, adeo in elegantias omnes & venuſtates Græcas, pro ſua, qua plenus inſoleſcat, petulantia invectus fuerit, ut Diabolorum & Furiarum excrementa ibi loqui videatur. *Ep. LXXXI* Schurzfleiſchium, egregium tum ac magnæ ſpei juvenem collaudat, eumque poſt ſua & Dieterici ſui fata, magnum aliquando in literarum dignitate nomen tuiturum, fauſto perquam omine auguratur. Addit quoque eadem epiſtola & Hankium,
tum

um quoque adhuc juvenem, quem Dieterico per Klockium commendarit, eruditorum amorem mereri. Et quæ sunt reliqua.

Ceterum sicut ii, qui literas eruditorum Virorum amant, & reliquas Boineburgii Epistolas ad Grotium, Bœclerum, Conringium, G. H. Velschium, Freinshemium, Allatium, Lambecium, Hottingerum, aliosque ejusmodi per universam Europam paulo doctiorem Viros celebres, cum quibus creberrimum literarum commercium aluit, scriptas avide quoque cum Meelfuhrero expectant: ita & J. Ludolfum, J.C. Wagenseilium, T. J. ab Almeloveen, J. Bernardum, J. Gussetium, F. Rostgaardum, Benzelium Bibliothecarium hodie Upsaliensem, J. U. Meurerum, & qui sunt plures, Cl. Meelfuhrerus in præfatione sua his, quas jam recensuimus, Epistolis Boineburgicis præfixa, publice compellat, ut & aliorum Virorum clarorum, quas possident, Epistolas propediem luci publicæ dare ne morentur.

LE NOUVEAU TESTAMENT &c.

i. e.

NOVUM TESTAMENTUM JESU CHRISTI, JUXta antiquam Editionem Latinam Gallice redditum, Tomis IV.

Trevoltii, e typographia Supremi Dombarum Principis, A. 1702, 8. Alph. 3. plag. 21.

RIch. Simonem, cujus celebre est in Orbe literario nomen, parentem agnoscit hæc interpretatio, quæ ciendis in Gallia controversiis hactenus perfœcunda fuit. Auctor admonitus ab aliis, ut interpretationem Gallicam totius S. Scripturæ, cum fontibus exquisite convenientem conficeret, ejus loco, ad normam Vulgatæ, quam vocant, præsentem Novi Testamenti translationem elaboravit. In Præfatione sub initium Genebrardi sententiam approbat, qui Henrico III Regi ex eo sciscitanti, quantum temporis atque impensarum ad interpretationem Bibliorum perfectam requireretur, respondit, triginta annos, totidem doctissimos viros, ac ducenta millia imperialium nummorum se poscere, neque tamen omni reprehensione vacuum opus polliceri posse. Dehinc cum iis in disceptationem venit, qui Vulgatam juxta

juxta Ebræam Græcamque veritatem corrigi debere, inficias eant, aliamque Concilio Tridentino mentem fuisse opinatur, quippe quod solennioris tantum in Ecclesia usus ac ordinis gratia, eandem authenticam declaraverit: quam in sententiam Richardum Radulphum, Hiberniæ olim Primatem, adducit. Invehitur præterea in eos, qui hactenus, relicta omni sacræ Critices cura, velut alteri Gnostici, solis notis mysticis in editione S.Literarum operam dederint, quos in meras aliquando visiones sensum verbi divini conversuros ominatur. Vulgatam vero interpretationem sæpe ambigue loqui, ejusque sensum genuinum ex fontibus esse investigandum pronunciat, adductis in eam mentem aliquot exemplis, quibus præsertim recentiorem Jesuitarum translationem Gallicam identidem sub censuram vocat, ac errorum arguit. Hinc digressione facta, de particularum Biblicarum emphasi disserit, multumque sibi tribuit, quod vexatum Rom.IX, 3 locum recens explicaverit de Paulo optante, ut non *a Christo*, sed *propter* Christi honorem, anathema fieret, ostenderitque voculam ἀπὸ hoc loco idem significare ac *propter*. De vocibus Biblicis cautissime transferendis, multa etiam admonet, suamque translationem a perfectione adhuc abesse, ac tentaminis loco esse habendam, ingenue confitetur.

Ea vero non perfunctorie conscripta, sed singulari cum cura, ad correctissimum Vulgatæ exemplar, confecta est; interdum quoque, ubi fas erat, ab ea discedit, & Græcos fontes assequitur, nonnunquam uberius aut saltem cautius ea reddit, quæ in ista vix intelligi poterant; sæpius tamen mendas ejusdem studio retinet. Sic Tomo præsertim IV p. 44, ambiguitatem Vulgatæ in exprimendo loco Tit. II, 13 reprehendit, quam tamen immutare non est ausus. Consimiliter Matth. VI, 11 vocem *supersubstantialis* panis conservat, addita nihilominus observatione, rectius exponi panem ordinarium, quotidianum, Tomo I p. 16.

Præfixæ a Simone cuivis libello Biblico præfationes, non sane proletariæ sunt, sed recondita doctrina refertæ. In ea, quæ Marcum præcedit, refutatur Baronii de Latino Marci Evangelio sententia, observaturque, Petrum, & ejus assеclam Marcum, Græco sermone usos, non Latino, quippe quem auditores eorum vix intel-

intellexiſſent. In Præfamine Epiſtolæ ad Romanos, Grotii ſententiam circa fidem & juſtificationem amplectitur, & per iſtam, novam legem (quæ phraſis Simoni domeſtica eſt) pietatis, Chriſtianis datam intelligit, ſolaque opera veteris legis excludi a juſtificatione putat. Digniora lectu ſunt, quæ ad Epiſtolam ad Hebræos præfatur, deque diverſa ejus in Eccleſia Orientali & Occidentali auctoritate diſſerit.

Præ cæteris vero perlegi merentur a ſacræ Critices ſtudioſis obſervationes, quas ſingulis paginis Auctor ſubjecit, in quibus, multa cum induſtria, codices vetuſtiſſimos MStos & veteres translationes confert, additis etiam Patrum lectionibus variis; ut adeo parvorum Bibliorum Criticorum Novi Teſtamenti loco, hic liber eſſe poſſit. Utinam vero hanc diligentiam ad refellendam ordinariam Græcorum codicum lectionem, ac ſtabiliendos Vulgatæ interpretationis nævos, Auctor non uſurpaſſet! Quotiescunque enim vel leviſſima occaſio datur, Cantabrigienſem, Claromontanum & San-Germanenſem, codices pervetuſtos, velut cum Vulgata convenientes allegat, de quibus tamen & in Prolegomenis confitetur, male eos ab Ameloto Apoſtolicos appellari, paſſimque, cumprimis Tom. I p. 110. 244. 280, & Tom. III p. 80 largitur, eos immutatos, atque emendatos eſſe. Quin ipſemet ingenue affirmat Tom. I p. 310, quosdam MStos codices Græcos ad normam Vulgatæ fabricatos eſſe.

Enotabimus nonnulla, quæ Lectori ſpeciminis vice ſint. Veſtitum Joannis Baptiſtæ non ex cameli crinibus contextum, ſed ex pellibus conſutum fuiſſe, Tomo I pag. 10 tradit. Gehennam pag. 20 eleganter explicat de igne perpetuo in valle Hinnom conſervato, quo excrementa atque cadavera comburebantur. Judæos metempſychoſin docere, ſaltem ſubtiliorem, ſive quod ſubtiliſſima pars animæ mortui in corpus hominis vivi transmeare poſſit, pag. 83 obſervat. Herodianos eos fuiſſe, qui dominatum gentis Judaicæ in Herodis familia ſervatum volebant, p. 114 obſervat. Difficile Chriſti verbum, Marc. IX, 48, de falſura igne facta, interpretatur p. 214 de damnatorum corporibus in igne inferni conſervandis. Cenſum Auguſti, tempore nati Chriſti exactum, non primum in univerſo Imperio Romano, ſed pri-

mum in Palæſtina,& Cyrenium extraordinarium Syriæ Præſidem fuiſſe, p. 286. annotat. Tomo II de Origenis fraude, qui Hiſtoriam adulteræ, a Chriſto liberatæ, e codicibus multis abſtulerit, p. 54 tractat, nardumque Piſticam a Piſta urbe dictam, p. 82 conjicit: novum vero præceptum Joh. XIII, 34, ſtylo Scripturæ idem eſſe, atque excellens, p. 94 tradit, & translationem LXX Interpretum ab Helleniſtis recentioribus confectam, p. 168 pronunciat. Tomo III Eraſmi Roterodami emendationem dicti Rom. IX, 5, Socinianis faventem, omni antiquitati contrariam p. 44 judicat, & Pauli verba 1. Cor. III, 13 de igne judicii extremi pag. 96 explicat, quæ Pontificii de purgatorio igne plerumque interpretantur. Peculiaris Simonis opinio eſt, quam p. 133 proponit, verba 1. Cor. XI, 20 ſeq. non de S. Cœna, ſed de convivio eandem comitante, eſſe intelligenda. Ita 2 Cor. XI, 5 per magnos Apoſtolos, non Petrum aut Jacobum, ſed Pſeudoapoſtolos indicari, noviter obſervat.

Non potuit non hæc res in Eccleſia Romana turbas excitare, quas recenſio ſequentium ſcriptorum Benevolo Lectori accuratius repræſentabit.

ORDONNANCE DE S. E. M. LE CARDINAL de NOAILLES &c.

i. e.

EDICTUM EMINENTISSIMI CARDINALIS NOAILLII, Archiepiſcopi Pariſienſis, complectens condemnationem Verſionis Novi Teſtamenti, Trevoltii A. 1702 editæ.

Pariſiis apud L. Joſſe, 1702. 8. plag. 1.

ARchiepiſcopus, poſtquam de difficultate lectionis Biblicæ, ac Romanæ Eccleſiæ cura circa S. Scripturæ editiones atque translationes, differuiſſet, decretis Conciliorum Gallicanorum, Pariſienſis, Bituricenſis & Narbonenſis, cautum eſſe tradit, ne quis Biblia, in vernaculam linguam translata, ſine Epiſcopi permiſſione publicaret. Itaque vel eo nomine condemnationem mereri translationem Trevoltii, ſine permiſſione, & non expreſſo Auctoris, qui ob defenſas aliquot opiniones religioni pernicioſas, diu ſe ſuſpectum reddiderit, nomine editam pronunciat. Eſſe vero eandem, etſi hæc ſepoſueris, plenam erroribus ac temerariis opi-

opinionibus, mirumque videri, quod a duobus Theologis Sorbonicis fuerit approbata. In Prolegomenis reprehenditur, quod de Vulgata dicatur, eam conjecisse interpretes quosdam in errorem, atque ordinis solum gratia in Concilio Tridentino authenticam pronunciatam esse; quod sua ipsius confessione, Auctor explicationem loci Rom. IX, 3. afferat, omnibus Patribus ignotam; quod loca Veteris Testamenti in Novo Testamento citata, in Deras Judaicum, sive sensum mysticum convertat. In ipsa autem translatione, id Auctori vitio vertitur, quod licentia intolerabili utatur, & verba institutionis S. Cœnæ transferat *C'est-là mon corps*, Hic est corpus meum, (quæ formula Lutheranis favere dicitur;) quod Joh. XV, 5, loco verborum *sine me* nihil potestis facere, habeat *separement de moi*, *seorsim a me*, (quod Pelagianis non adversum sit;) quod phrases Scripturæ emolliat, & pro *odisse* Luc. XIV, 26, Rom. IX, 13, ponat *minus amare*; quod 2. Cor. I, 9. verba *responsum mortis habuimus*, sensu prorsus contrario reddat, *in animo nostro certi fuimus*, *nos non morituros*. In annotationibus culpatur, quod Auctor sæpe rem in suspenso relinquat; dicta peccatum originale, prædestinationem, necessitatem gratiæ, justitiam inhærentem, resurrectionem mortuorum, baptismum, extremam unctionem, efficaciam sacramenti confirmationis, & Divinitatem Christi probantia enervet; quod de cœlibatu nimis abjecte loquatur, ejusque commoda in absentia turbarum consistere doceat; quod virginitatem Mariæ perpetuam dubiam reddat, in nota ad Luc. I, 34; quod per phrasin, *filius hominis*, Christum non perpetuo denotari affirmet; quod Calvinianis faveat, statuendo, Deum Judæos reprobare potuisse, etsi culpa vacui fuerint; quod locum 1. Joh. V, 7. iterum impugnet; quod denique sanctitatem verbi divini vilissimis formulis interdum profanet.

REMONSTRANCE A MONSEIGNEUR, &c.

i. e.

RESPONSIO AD CONDEMNATIONEM TRADUctionis Novi Testamenti Trevoltii editæ, publicatam ab Archiepiscopo Parisiensi.

A. 1702. 8. plag. 2.

 Nec

NEc reverentiæ versus Præsulem, nec causæ suæ in hac responsione deest Simon. Initio in memoriam Cardinali revocat, quod triginta abhinc annis in ejus notitiam venerit, binisque literis, nec non per amicum, placare ejus iram contra translationem hanc susceptam tentaverit. Monet, non suam, sed librarii, cui totum negotium traditum fuerat, culpam esse, quod sine Episcopi permissione ea sit edita, cum idem ab aliis bibliopolis, Du Pinii Psalmos aliosque libros Biblicos edentibus, hactenus fuerit neglectum. Placuisse libros suos Antecessori Archiepiscopi, aliisque magnis viris. Vulgatam se magni facere, sequi & defendere, nec dixisse unquam, quod ipsa, sed quod ejus Latine loquendi ratio *(le Latin de la Vulgate)* in errorem quosdam conjecerit; & consentire secum ex Protestantibus Vorstium, affirmantem, quod translatio ista recte se habeat, dialectus vero ad genium barbari ævi accedat. Concilium Tridentinum non prohibuisse unquam novas Scripturæ explicationes, sed defensionem eorum dogmatum, quæ Patribus Conciliisque hæretica visa fuerint. In transferendis institutionis S. Cœnæ verbis, recte se egisse Simon contendit; neque enim pronomen demonstrativum aliter reddi posse, ipsamque Vulgatam non pronunciare, *hoc est sanguis meus*, sed *hic est sanguis meus*, imo Græcum τῦτο Hebræorum *hinne*, *ecce*, omnino respondere: Gallicos vero interpretes in transferendis his verbis variare; P. Mauduit consimili modo eadem reddidisse, nec non Jesuitam quempiam, imo illum peculiari libello hanc phrasin defendisse; Lucam etiam Brugensem & C. Jansenium manifeste secum sentire. Post hæc fatetur, citationes Veteris Testamenti in Novo Testamento, non semper juxta literalem, sed alium sæpe subtiliorem sive mysticum sensum, traditione tamen veterum nitentem, fieri; idque Hebræis suetum. Neque male se transtulisse Joh. XV, 5. *seorsim a me nihil potestis facere*, cum vis particulæ χωρὶς istud postulet, ac præterea Gagnæus Doctor Parisiensis, & Beza Calvinista, non aliter verba isthæc reddiderint. Quod pro *odisse*, *minus amare* quandoque substituerit, id se Estii, Toleti, Salmeronis aliorumque auctoritate fecisse; dictum vero 2 Cor. I, 9, cum Heinsio recte se reddidisse, ipsa textus cohæsione hoc postulante.

Acerbe porro conqueritur, annotationibus suis crimen negati

gati peccati originis &c. cumprimis vero Divinitatis Christi sublatæ, (nulla tamen addita probatione,) impingi, cum tamen postrema a se summo studio sit defensa, multis etiam locis ad eam confirmandam noviter a se allatis. De cœlibatu idem se dixisse cum Paulo, plura autem addere & hic & alibi noluisse, cum annotationes non dogmaticas, sed criticas conscribere constituerit. Eadem ratione suspicionem vocatæ in dubium virginitatis perpetuæ B. Virginis amolitur. Quod per filium hominis non ubique Christus intelligatur, Tostatum se auctorem habere docet. Formulam, quod Deus repudiare Judæos etiam insontes potuerit, non de prædestinatione, sed de speciali quadam gratia, de qua Rom. IX agatur, intelligendam esse, eoque sensu illam a se usurpatam. Denique testimonium de Trinitate 1 Joh. V, 7 non se vocare in dubium, sed critico more profiteri, quod in MStis codicibus plerisque non exstet. Longe majori cum licentia Jesuitas nuper contra Clericum scripsisse, *se nihil quod moneant habere, si quis locum istum valde dubium, cum antecedentibus & consequentibus non cohærentem, & Patribus ignotum dixerit.* Postremo phrases a se liberius adhibitas, nec tamen majestati sacrarum rerum adversas, excusat, atque de pietate & reverentia sua Præsul rectius sentiat, iterum iterumque rogat.

HERMANNI WITSII MELETEMATA Leidensia.

Lugd. Batav. apud Jordanum Luchtmans, 1703, in 4. Alph. 3.

DUm ad æternitatem magis magisque se componit Celeberrimus Witsius, monumenta præclarissimi sui ingenii, a quibus famam sibi posthumam certo polliceri potest, ab interitu vindicaturus, novam nunc eorum sistit syllogen, in qua primo loco comparent eruditæ *de vita Pauli Apostoli* prælectiones, accurate excutientes, quicquid ad sancti hujus Viri memoriam spectat. Exorsus enim Autor a natalibus Pauli & vita in Judaismo, occasione prosapiæ ejusdem inquirit, an ad ipsum pertineat Jacobi de Benjamine oraculum, Gen. XLIX, 17; quod quidem vero minus arbitratur consentaneum, & probabilius eo referendum judicat effatum Davidis, Psal. LXIIX, 28. Aversum ejus a Christianis animum inter alia exin patere ait, quod Christianos in Synagogis fla-

gellari fecerit. Ubi nemini mirum videri debere autumat, in domo precibus ac religioni dicata, forensia judicia executioni mandata fuisse; flagellationem enim partem vocat disciplinæ, excommunicatione minorem atque honestiorem, unde eam in Synagogis suo quoque tempore receptam narret Epiphanius, & superiori seculo eandem in Synagoga Amstelodamensi passum se fuisse, flebiliter commemoret Uriel Acosta. Pergens ad vocationem Pauli ad Christianismum & Apostolatum, multa de Damasco, & quid juris Hebræorum Pontifici aut Senatui in Damascenos fuerit, disquirit. Jesum a Paulo visum censet oculis omnino corporeis, & si de loco quæras, in aëre forsan terræ viciniori, aut etiam in cœlo ipso, ubi ordinariam esse Domini in cœlis mansionem, sueta Reformatis loci Act. III, 21 interpretatione nixus, statuit. In triduana ejus cœcitate apparitionem Christi subsecuta, mysteria multa quærit, ejusque affinitatem ostendit cum cœcitate Regis Iberorum, a Theodoreto memoriæ prodita. Hinc, quinam Apostoli dicti sint Græcis, qui Hebræis, qui Christianis, indagat, & Apostolorum κατ' ἐξοχὴν sic nuncupatorum prærogativas recenset. Tertiam vitæ Pauli periocham, a vocatione ad apostolatum, usque ad Synodum Hierosolymitanam protendit; atque hoc fere temporis intervallo, accidisse ipsi conjicit memorabilem in Paradisum raptum, quem uberiori commentario illustrat, & surculum, infixum carni, ad retundendam superbiam, quæ ex supereminentia revelationum oritura fuisset, pro morbo aliquo dolorifico habet, quem, quoties recurrerit, Satan intendere allaborarit, sive colaphis proprie sic dictis, sive alio quocunque modo, qui symbolica dictione exprimatur. Acta Synodi Hierosolymitanæ, & quæ hanc proxime consecuta sunt Antiochiæ, in sectione quarta expendit, & post prolixam istius considerationem, Pauli cum Petro disceptationem, Antiochiæ factam, non arguere innuit contrarietatem in doctrina fidei, sed utrinque exhibere insigne virtutum exemplar. Humanæ autem infirmitatis indicium facit παροξυσμὸν inter Paulum & Barnabam, in quo hic quidem naturali affectui erga cognationem carnalem plus, quam oportebat, tribuerit, ille vero vehementia quoque sua, extra æqui limites aliquantulum abreptus fuerit. Quintum locum impetrant res a Paulo in Macedonia gestæ, & præ-

& præter cætera, illustrationem accipiunt proseuchæ, eo, quod Paulus, apud Philippenses commoratus, egressus legitur ad προσευχὴν. Et Synagogas certe proseuchas quoque dici potuisse, non dubitat; in narratione tamen Lucæ Act. XVI, 13 προσευχὴν fortassis non tam ædificium aliquod notare dicit orationi sacratum, quam ipsum orandi actum, & verba, οὗ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι, sic vertit, *ubi recepto more erat*, *sive fiebat*, *oratio*. Gesta a Paulo Athenis perpendit in sectione sexta, & de convitio, quo Paulus dictus fuit σπερμολόγος, multa affert, conversionem quoque Dionysii Areopagitæ multis fabulis nobilitati declarat, Areopagitarumque officium & dignitatem pandit. Conversationem Pauli cum Corinthiis in peculiari sectione, quæ septima est, excutit, inque hac Gallionem, Judæos Paulum accusantes a tribunali suo abigentem, neque culpandum universim, neque in omnibus laudandum esse putat. Moderati sane animi argumentum videri, quod ab una quidem parte liberam Judæis de religione sua arbitrandi facultatem permiserit, ab altera autem nihil inclementius in Paulum, sub religionis obtentu, statuendum existimaverit. Cæterum excusandum non esse, quod totum illud divini cultus negotium, tanquam levem quæstiunculam, gravioribus occupationibus indignam, tam superciliose ab inquisitione sua rejecerit. Cenchreis, qui portus Corinthi, non Paulum, sed Aquilam totondisse caput, & hunc, non illum, votum habuisse statuit. Octavo Ephesina Pauli acta contemplatur, quorum expositionem ab ejus collatione cum discipulis Johannis instituta orsus, nihil lucrari reputat Anabaptistas hodiernos, etiamsi illi rebaptizati fuisse perhibeantur; qua in re Vossii vestigia legit, qui etsi utrumque baptismum, tam Johannis, quam Christi, ratione οὐσίας recte unum baptisma vocari concedit, tamen, cum & inter utrumque discrimen sit, satis liquere putat, non, si concedamus, a Johanne baptizatos iterum fuisse baptizandos ab Apostolis, eo sequi, quod Christi baptismate baptizatos iterum immergi oporteat. Pauli pugnam adversus bestias metaphorice, quam proprie, interpretari mavult. Incestuosum Corinthiacum Satanæ traditum censet, non speciali quadam potestate Apostolica, sed Ecclesiastica excommunicatione, eaque gravissima, quæ sub Apostolica directione fieri consueverit. In sectio-

ctione nona, quæ negotiis a Paulo, dum noviſſimo itinere proficiſceretur Hieroſolymam, transactis eſt deſtinata, mox poſt initium, ubi ſcriptæ ad Romanos epiſtolæ mentionem facit, quæſtionem movet: undenam repente Romæ tanta Judæorum & Chriſtianorum multitudo emerſerit, & unde, quod mirabilius, tam bene inſtituta, tam pulchre decorata Eccleſia nata ſit? iſtamque felicitatem non Petro, ſed aliis Romæ docentibus acceptam refert. Circa Pauli vincula in Judæa ſectio decima occupatur, & undecima circa ejus navigationem verſus Romam. Duodecima vero Romanam ejus captivitatem illuſtrat, & a varia carcerum Romanorum ratione auſpicium ſumit. Aliis deinde interjectis, Oneſimi hiſtoriam recenſet. Porro Epiſtolæ ad Hebræos autorem Paulum ut agnoſcamus, multa ſuadere oſtendit. Ad extrema Pauli delatus, incertum eſſe obſervat, an ante capitis truncationem virgis cæſus fuerit. Neque pluris facit, quæ de velo Plautillæ, & de lacte ex venis Pauli fluente, & de ſepulcro Pauli paſſim perhibentur. Sectione decima tertia Pauli proſopographiam exhibet, dotesque animi celebrat, ejus cœlibatum ſtatuminat; ac decima quarta denique de ſcriptis ei ſuppoſitis commentatur.

Hæc primam & primariam fere Meletematum præſentium partem conſtituunt, quam duodecim excipiunt Diſſertationes ſelectæ, eæque inprimis exegeticæ. Prima harum *ſeditionem & exitium Coræ* reſpicit, & Coram æque, ac Dathanem & Abiramum, a terra abſorptum fuiſſe, contendit. Secunda inſcriptionem gerit *de Jeſu Nazareno*, locumque excutit Matth. II, 23. Jeſum nempe habitaſſe cenſet Nazarethi, ut ſatisfieret oraculis, prædicentibus, Meſſiam vocandum eſſe Nazarenum: quale quidem oraculum neque ex traditione, neque ex deperdito libro accerſendum ſit; videri autem probabile, Matthæum attendiſſe ad ea oracula, ubi Servator vocetur Notzer, quod vocabulum vel idem, vel ferme idem ſit cum Nazareno. Tertia dictum Chriſti Joh. I, 51. 52 explanat, *cœlumque apertum* notare docet demonſtrationem luculentam præſentiæ Dei, in effecto aliquo prodigioſo, quod cum omnium ſubcœleſtium cauſarum virtutem exſuperet, originem ſui cœlo afferat, præſertim, ſi in locis mundi ſuperioribus ſpectetur. Vidiſſe autem addit diſcipulos frequenter cœlum apertum, velut in mirabili illa transfiguratione Chriſti, atque

alias.

alias. *Ascensum & descensum Angelorum super Jesum*, notare ministerium, quod Christo præstitisse Angeli sæpius legantur, & propter Christum fidelibus, qui unum cum ipso corpus mysticum constituant. Quarta *glorificationem Jesu in monte*, juxta circumstantias potiores declarat. Tres proxime sequentes Exercitationes *miracula Jesu* ita exponunt, ut ex iis Evangelii probetur veritas, eademque contra Judæorum & Gentilium objectiones vindicentur, imo & argumentum, pro adstruenda Evangelii veritate inde petitum, a Gentilium & Judæorum exceptionibus liberetur. Octava Dissertatio, quomodo Prophetia Jesaiæ cap. XLII, 1, impleta sit in Jesu, ex Matth. XII, 16. manifestum reddit. Nona locum Matth. VIII, 16. 17. cum Jesa. LIII, 4. confert, & *Jesum portantem morbos, quos sanabat*, sistit. Decima *ficum diris a Christo devotam* proponit. Undecima anquirit: *an Christus eodem quidem cum Judæis die, sed non eadem diei parte, ultimum suum Pascha manducaverit?* & eos, qui Christum die incipiente, Judæos autem die vergente ad finem, hoc egisse perhibeant, hypothesibus incertis aut falsis niti, evictum dare laborat. Duodecima verborum Jacobi Cap. IV, 5. 6, quæ *de Spiritu concupiscente ad invidiam* agunt, hanc esse mentem innuit: Spiritus Sanctus, qui in fidelibus habitat, quo reguntur, ducuntur, aguntur, nequaquam ἐπιποθεῖ, id est, vel ὁρμᾶται, ingenti desiderio fertur, vel ἐπιποθεῖν ποιεῖ, facit ut ingenti desiderio ferantur ad invidiam; quo pravo prorsusque diabolico affectu optimo huic Spiritui nihil magis est contrarium. Sed ex adverso, idem ille sanctissimus Spiritus majorem potius dat gratiam, efficitque, ut quisque fidelis non modo non invideat fratri ea, quæ possidet bona, iisque ipsum carere optet, sed majora etiam ac plura apprecetur, & si possit, reapse conciliet. Neque hoc tantum, sed & homini fideli, ita comparato, insignia gratiæ suæ augmenta confert, ut ista in proximum liberali propensione, non solum nihil ipsi decedat, sed vel ob eam ipsam rem divinæ gratiæ muneribus largiter locupletetur.

Desinunt tandem hæc Meletemata *in Epistolæ Judæ* brevi quidem, sed & nervosa *expositione*, e qua specimina nonnulla afferemus. Judam se Jacobi potius, quam Domini ipsius, fratrem dicere voluisse notat Autor, ne videretur eo honore superbire, illo

potiſſimum tempore, quo nemo nunc amplius Chriſtum cognoſcere ſecundum carnem debet. Verba verſus 6, *reliquerunt domicilium ſuum*, ad pœnam æque ac ad culpam referri poſſe monet, quaſi dixerit Judas: non contenti (Angeli mali) ſua felicitate, & quaſi pertæſi cœleſtis beatitudinis, res novas moliti ſunt, & ſic glorioſam rerum ſuarum ſedem inconſiderate reliquerunt, ſed & juſtiſſima Dei indignatione, glorioſa regia iſta exturbati ſunt, quippe qua ſua ſe rebellione indignos fecerant. Ad verſ. 7. diſpicit, qua mente Judas *æterni ignis pœnam Sodomæ ac Gomorræ* attribuat, cum Deus earum urbium reſtitutionem in meliorem ſtatum, haud obſcure promittere videatur Ezech. XVI, 53. & obſervat, heic non tam cogitandum eſſe de urbibus, quam de poſteritate & reliquiis iſtarum urbium. Per *Michaëlem Archangelum*, cujus pugna cum Diabolo v. 9. ſiſtitur, Filium Dei intelligit. Ad verſ. 12. delatus, a Lightfooto diſcedit, qui per *agapas* intellexit exceptionem peregrinorum hoſpitum, ſumtibus Eccleſiæ factam; quin eas potius dicit convivia fraterna Chriſtianorum, tam pauperum, quam divitum, in publico conventus loco, ad conſervationem atque excitationem mutuæ charitatis celebrata. Circa *Prophetiam Henochi* acquieſcit in illa ſententia, quæ conjicit, habuiſſe eam Judam ex nota & confeſſa illo tempore traditione, quam veram eſſe Spiritu magiſtro cognoverit, dignamque judicaverit, quam ſua hac epiſtola æternitati conſecraret.

GEORGII MELCHIORIS LUDOLPHI, Conſiliarii Ducalis Saxo-Iſenacenſis Aulici, de Introductione Juris Primogenituræ Tractatus Nomico-Politicus.

Jenæ, ſumtibus Bielkianis anno 1703, in 4. [1. alph.

SUcceſſiones in bona defunctorum, uti ex inevitabili moriendi lege invaluerunt, ac tam inter privatos, quam imperantes obtinent, ita non iisdem illas dirigi regulis, notius eſt, quam ut hic commemorari debeat. Inprimis ſucceſſiones illuſtres, a plebejis, diſcernere ſolet Jus Primogenituræ. Hoc, poſt varios aliorum, in præfatione laudatorum labores, dignum judicavit Conſultiſſimus Au-

Autor, cui curas ſuas impenderet, eo potiſſimum tractandi diſcrimine intercedente, ut, cum cæteri jus primogenituræ introductum præcipue ſpectaverint, ipſe ad introducendum reſpicere, adeoque introductionis moralitatem, ex juſtitiæ pariter ac prudentiæ placitis, expediendum conſiderare velit. Tractationis ſuæ initium facturus doctiſſimus Autor, in parte generali cenſet, in ſtatu integritatis, nulla ſeu imperia, ſeu rerum dominia extitiſſe; his vero poſt lapſum introductis, naturali rationi fuiſſe conveniens, ut jura, in rebus acquiſita, inter homines, ab uno in alium, derivarentur. Hæ autem jurium acquiſitorum translationes, uti naturaliter hominum conſenſu peraguntur, ita ex præſumta etiam defunctorum voluntate, invaluere ſucceſſiones ab inteſtato, in quibus, juxta communem mortalium inclinationem, prima cauſa eſt liberorum, inter quos etiam, deficiente alia diſpoſitione, ſucceſſionis æqualitas obſervatur. Neque tamen iſta voluntatis conjectura adeo immota eſt, ut urgentibus circumſtantiis, in aliam devenire, ac inter liberos inæqualitatem introducere & aſſerere non liceat. Ex quibus principiis, prima juris primogenituræ origo Noſtro repetenda videtur. Hinc non eſt, ut cum Tiraquello, ex naturali erga primigenitos affectu id deducas, cum ex libera diſponentium voluntate, utilitatis tamen rationibus ſuffulta, ſecutisque deinde legibus, ſecurius illud derivetur. His præſuppoſitis, in Principatu hæreditario, æqualitatem ſucceſſionis inter liberos, naturæ civitatis adverſam eſſe, ratione & moribus Gentium ſatis comprobari, Nobiliſſimus Autor exiſtimat, ac ex eodem utilitatis principio, ſucceſſionem ſorti naſcendi eſſe committendam, oſtendit, eumque Principatus nonnulli jure feudali hæreditario teneantur, eandem quoque ſucceſſionis legem, in dubio in his eſſe ſervandam, amplius cenſet. Ad Germaniam ſi reſpiciamus, in antiquorum ejus populorum moribus, juris primogenituræ veſtigia fruſtra quæruntur, cum & in Regno Germaniæ, ſucceſſio electitia potius, quam hæreditaria olim obtinuerit, & feuda regni, libera Regum collatione, non hæreditaria ſucceſſione, fuerint acquiſita; etſi ſucceſſu temporis, hæreditario & patrimoniali jure, ad liberos hæc devolvi cœperunt. Admiſſa ergo ſucceſſione, quæritur, an juris primogenituræ uſus in Germania ſtatim cœperit? Quod

licet communius fere negent, ac pro divisione feudorum illustrium calculum ponant, Noster tamen, pro jure primogenituræ, rationibus non contemnendis pronunciat. Atque utinam (sic verbis Dn. Schilteri, sententiam suam Consultissimus Autor eloquitur) moribus feudorum priscis stetissent & Alemanni & Saxones! Sed seculo potissimum XV, quo jus Romanum in Germaniam penetravit, perniciosus dividendi dignitatum feuda mos incrementa sumsit: nec tamen adeo immemores propriæ salutis fuere illustres familiæ, ut consuetudinem dividendi territoria, perpetua observantia adamaverint, sed animadverso errore, successiones ad civilis prudentiæ regulas, magis magisque sunt institutæ, adeo ut hodie paucæ recenseantur illustres familiæ, quæ jure primogenituræ non utantur. Ubi tamen æqualitas successionis hactenus fuit retenta, ad eandem a filiis jure provocatur; quanquam & hisce in casibus, dissectionem feudorum regalium minime licitam, sed eorum integritatem omni modo conservandam esse, censeat Autor doctissimus. An vero in familiis, in quibus æquales successiones hactenus fuerunt observatæ, introductionem juris primogenituræ fieri expediat? definire suum non putat: quid tamen in utramque partem afferri possit, facunde docteque edisserit, ac nonneminis, inter neglectas status Cæsarei rationes, promiscuam juris primogenituræ confirmationem referentis, argumentis respondet. Pars specialis, juris primogenituræ affectiones, ejusque introductionem, in consentaneis & dissentaneis, explicat. Post adductam igitur expositamque juris primogenituræ definitionem, ejus finem, illustrium scilicet familiarum conservationem, essentialia, substantialia, naturalia & accidentalia laudat Noster, ac commemoratis personis, ad acquirenda primogenituræ jura habilibus, objectum, rerum, puta, maxime immobilium universitates, a superiori imperio immunes, vel ei subjectas, recenset, cumque hæ vel nexu feudali adstrictæ sint, vel allodiorum conditione gaudeant, de utrisque nonnulla præmittit, ac in specie, feuda tam nova quam antiqua, a patre, cum domini consensu, invitis filiis, valide posse alienari, contendit. Quibus præsuppositis, non tantum in allodio, sed & feudo, tam novo, quam antiquo, vasallum illustrem jus primogenituræ, inter descendentes suos, adhibito tantum consensu

ſenſu domini, introducere, jure feudorum communi poſſe, Conſultiſſimus Autor pronunciat, nec vel perſonarum dignitatem, vel territoriorum qualitatem obſtare, quo minus idem de familiis Germaniæ illuſtribus, earumque ditionibus aſſeratur, ulterius exiſtimat. Alias in Principatibus liberis, jus primogenituræ introducitur lege publica, conſuetudine, vel etiam diſpoſitione ſummi Imperantis, ſi territorium eſt patrimoniale: in ditionibus vero, ſuperiori imperio ſubjectis, laudati juris introductio, lege publica, vel pacto familiæ, fieri ſolet. Hoc cum inprimis conſiderandum videatur Noſtro, hinc ejus requiſita, Betſio præcipue probata, idem expendit, ac conſtitutionem apanagii, Imperatoriſque confirmationem, pro ſubſtantialibus habendas eſſe concludit, additis deſignatione ſumtuum, pro confirmatione juris primogenituræ impendendorum, ſupplicationis exemplo, ac formulis, in memorati juris confirmatione adhiberi ſolitis. Inter cæteros conſtituendi modos, occurrit diſpoſitio teſtamentaria, eujus illuſtre exemplum in Ducali domo Saxo-Iſenacenſi occurrit; de cætero illa, ad ſui validitatem, eadem, quæ pactum vel ſtatutum, requirit, præterea vix ex ſententia Noſtri valebit, ſi ſolennitates teſtamentariæ deficiant, niſi confirmatio Imperatoria omnem ſolennitatis defectum ſuppleat. Solent etiam, inter modos introducendi jus primogenituræ, referre conſuetudinem; ſed illum modum ſuis laborare incommodis, & nullum etiam facile repertum iri exemplum, quod ſola nitatur conſuetudine, Noſter admonet. Diſſentanea juris primogenituræ poſt hæc expoſiturus Conſultiſſimus Autor, de his ſummatim disquirit, (1) num impediri poſſit aliqua ratione ſucceſſionis iſtius introductio, ita ut in familia illuſtri nullo unquam tempore habeat locum? (2) quem ad modum, ob defectum requiſitorum, facta introductio reſcindatur? (3) qua ratione ordo iſte ſucceſſorius, in familia conſtitutus, queat tolli, idque tum ratione perſonæ primogeniti, hujusque facto vel licito vel illicito, tum ipſius ſucceſſionis modi, iterumque vel ex parte, vel ex toto? Ac iis, pro inſtituti ratione, ſufficienter diſcuſſis, ſubnectit appendicem, in qua Ducum Mecklenburgicorum, Suerinenſis & Strelitzenſis, transactio, ſucceſſionem Guſtrovienſem concernens, nec

non responsum Facultatis Juridicæ Jenensis, ad casum juris primogenituræ dubium, exhibentur.

BAPTISTÆ GUARINI, VERONENSIS, DE ORdine docendi & studendi libellus, ex MSto emendatus, addita Præfatione de formandorum studiorum scriptoribus, cum BURCARDI GOTTHELFFII STRUVII.

Jenæ, sumptibus Henrici Christophori Kröckeri, 1704. 8. plag. 7.

Notum inter eruditos est nomen Guarinorum, quorum tres fuisse, Editor in præfatione memorat. Primus Grammaticus erat: tertius Ferrariensis Professor, insignis Poëta, cujus vitam descripsit Erythræus p. I. n. LI. Medius erat hic Guarinus, qui sub finem seculi decimi quinti claruit, qui præter alia scripta, quæ enumerat in Bibliotheca sua Gesnerus, hunc de ordine docendi & studendi libellum edidit. Hic Heidelbergæ primum excusus fuerat apud Jacobum Knoblocherum A. 1489, post ex ædibus Schürerianis Argentorati A. 1514. Cum vero rarus admodum liber esset, elegans tamen, Clarissimus Editor, collato cum Argentoratensi editione exemplari manuscripto, quod in instructissima bibliotheca Jenensi adservatur, eundem denuo recudi curavit. Manuscriptum autem commendat, quod nitidissime scriptum, auro atque coloribus distinctum, pars olim fuerit bibliothecæ Budensis Matthiæ Corvini; quod testentur insignia Regis, quæ in fine primæ paginæ adpareant, atque forsan ipse codex Corvino ab auctore fuerit oblatus. Perbrevis autem Guarini est libellus, sed elegans, ad Maffeum Gambaram, Brixianum, adolescentem generosum, discipulum suum perscriptus, hoc potissimum fine, uti ipse Guarinus innuit, ut ex eo
pag. 63. tam Græce quam Latine, & præceptoris in erudiendis adolescentibus, & ipsorum discipulorum in studendo, tum officium, tum ordinem perciperet. Hoc autem præ cæteris agit, ut quo ordine scriptores, tum Græci, tum Romani, prosaici & poëtæ, legendi sint, inculcet, idque multa oris venustate. Hinc etiam utriusque linguæ bene addiscendæ præcepta tradit, & quid quisque inter scriptores classicos, poëtas maxime, præcipuum ferat, demonstrat. Addidit

dit Struvius præfationem, in qua de scriptoribus formandorum studiorum edisserit, ita ut ætatis ratione habita, de antiquioribus primum, post, prout sibi invicem tempore successerunt, de recentioribus quoque agat, additis etiam hinc inde censuris atque judiciis.

Schau-Bühne der Welt ꝛc.

i. e.

THEATRUM MUNDI, SEU DESCRIPTIO RERUM, toto terrarum orbe, seculo XVII gestarum. Pars secunda.

Francofurti ad Mœnum, apud J. D. Zunnerum, 1701. fol. Constat 10 Alphabetis & multis figuris æneis.

SPlendidissimi operis hujus autorem esse Virum Illustrem Dn. *Jobum Ludolphum*, in Actis nostris A. 1700, mense Februario, cum primum ejus tomum repræsentaremus, significavimus, & quæ sit universi operis ratio, breviter tradidimus, vitam Autori celeberrimo, & animi corporisque vires, ad absolvendum tantum opus apprecati. Neque is ex illo tempore laborem hunc reliquit, quandoquidem abhinc triennio, alterum Theatri tomum vulgavit, in quo rerum, ab A. 1631 ad A. 1650, passim in Europa gestarum, seriem complexus est. Cumque eandem in eo, quam in priori tomo, rationem servet, non est, quod hic addamus, nisi forte ut moneamus Lectores, varios subinde Historicos, in adjectis notulis, ab Autore perspicacissimo castigari atque emendari. Sic ad A. 1633 p. 211, pacis leges, quas ab Electoribus, Saxone & Brandenburgico, subscriptas, & a Wallensteinio probatas, rursusque mox ex levi causa discussas tradunt, quasque Theatri Europæi tomo III p. 123 insertas legimus, multis argumentis supposititias esse arguit. Ad A. 1637 p. 549, falli ait scriptorem Italum, Victorem Siri, qui in *Memoriis reconditis* Vol. VIII, p. 497, Rhætos scribit Oeniponte cum Marchione de Leganes, & Archiduce Leopoldo, fœdus iniisse; cum ille Mediolani, quod vicaria potestate regebat, hæserit, hic vero jam tum A. 1632 e vivis exiisset. Rursus ad eundem annum p. 596, denunciationem belli, tomo III Theatri Eur. p. 766 insertam, ab homine rerum Turcicarum prorsus ignaro, absurde confictam esse censet. Refutat & Priolum ad A. 1639, p. 704, qui Bernardum Du-

Ducem Vinarienſem, non veneno, ſed peſte extinctum ſcripſerat. Ad A. 1646, p. 1327, Petrum Gazotti Italum carpit, qui Balthaſarem Carolum, Philippi IV, Regis Hiſpaniarum, filium, mortem ſibi nimia Venere conſciviſſe putat, cum variolis eum deceſſiſſe, abunde conſtet. Imprimis vero ad A. 1649, p. 1663, acriter perſtringit Victorem Siri, qui dum conſtantiam ipſos quoque gentiles, morti proximos, exhibuiſſe ſcribit, Caroli I Regis Angliæ laudi detrahere nititur. Præterea Illuſtris Autor ea etiam quandoque refert, quæ vel a viris fide dignis relata accepit, vel ſuis ipſe oculis vidit, quod paginas 114, 521, 1457 evolventibus pateſcet.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI DE CANdore Liber ſingularis, variis Antiquitatibus, Memorabilibus & Curioſitatibus illuſtratus.

Francofurti & Lipſiæ, impenſis Joh. Chriſtophori Stöſſelii Bibliop. Erffurtenſ. 1703. 8. plag. 18.

PHilologum eſſe πολυμαθέςατον Clariſſimum Paullinum, tum alia, quæ in vulgus hactenus prodire juſſit, ſcripta, tum præſens teſtatur libellus, qui agit de Candore, non illo, qui in hoc ævo res intermortua pene eſt, ſed qui a candido colore nomen habet.

Sect. I. Poſtquam enim in nomen & originem ejus inquiſiverat, uſum candoris ſacrum exponit, qui potiſſimum in baptizatis, ſa-

Sect. II. cerdotibus, ſacrificiis, Diis, precantibus, fidei imagine, Adamo,

Sect. III. auſpiciis & præſagiis fuit obſervatus. Pergit tum ad uſum poli-

Membr. 1. ticum tam togatum, quam ſagatum, & circa priorem regum, nobilium, ſenatorum, gratulantium, honores ambientium, lugentium, ſenum, virorum & ſervorum deprædicat candorem, nec nuptialem, convivalem, & natalitium oblitus; quemadmodum & quicquid in inſignibus, judiciis, nummis, fœderibus, funeribus, ludis, certaminibus, & inſomniis, candoris deprehenſum fuit, can-

Membr. 2. dide annotat: circa poſteriorem vero de candore aquilæ Romanæ, vexillorum & armorum, anſerino in ſervanda Roma, militum, vi-

Sect. IV. ctoriæ & triumphantium agit. Ad uſum œconomicum aquæ, jeco-

Sect. V. ris anſerini, & campi candorem refert, & quicquid albedinis in prodigiis & memorabilibus hiſtoriæ annotant, inſimul annectit.

Sect. VI. Sed nec Satanicum candoris uſum reticet, ad quem columbæ Dodoneæ, Muhamedicæ, & Pentecoſtalis, item Apidis, & fucatus candor ſpectat.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Martii, Anno M D C C IV.

COSMOGRAPHY IN FOUR BOOKS &c.

i. e.

COSMOGRAPHIA, QUATUOR LIBRIS CHOROgraphiam & Historiam Orbis universi, præcipuorumque in eo regnorum, provinciarum, marium & insularum complexa; auctore PETRO HEYLYN Th. D. Emendata & ad hæc usque tempora continuata ab EDMUNDO BOHUN, Equite.

Londini, apud E. Brewster, R. Chiswel, B. Tooke, &c. 1703, in fol. chartæ augustæ.

Constat 11 Alph. 3 plag. & 5 tab. æn.

A Modicis initiis in vastam paulatim molem opus hoc excrevit. Primum sub titulo *Microcosmi seu Brevis Descriptionis totius Orbis*, in forma, quam vocant, quarta, Oxonii A. 1621, & iterum A. 1624, in lucem est editum, Regioque Magnæ Britanniæ Principi Carolo, qui gratiose etiam illud excepit, dedicatum. Sed parum abfuit, ut in infantia fœtus hic exstingueretur. Cum enim Rex Jacobus, dum librum perlustraret, in locum forte incidisset, quo Heylynus Galliarum Regem Anglo prætulisse videbatur, ea re offensus, magni Sigilli Custodi jam mandaverat, ut supprimendum illum curaret. Attamen intercedente Principe, & postquam Auctor peculiari scripto Regi se purgasset, opus in publicum permissu Regis prodiit, plurimque meruit applausum. Certe tertium jam A. 1627 fuisse editum, ex *Catalogo Bodlejano* discimus, neque succedente tem-

pore locupletare illud magis magisque ac exornare Auctor desiit, majoreque tandem forma (in folio vocant) sub *Cosmographiæ* titulo, A. 1652 divulgavit. Sed nec post Auctoris obitum neglectui fuit habitum, etsi similis argumenti librorum existimationi per libros recentiores derogari ut plurimum solet: quin recusum potius non semel fuit, novis accessionibus auctum, ut septima jam, quam hic repræsentamus, operis hujus sit editio, reliquis vel eo nomine præferenda, quod continuatorem nacta est doctissimum Equitem, Edmundum Bohun, cujus *Characterem Reginæ Elisabethæ ejusque primariorum Status Ministrorum*, in his Actis mense Octobri A. 1694 recensuimus, & accuratiori, quam ulla priorum, omnium regnorum, provinciarum, ditionum, incolarum, populorum, urbium, montium, fluminum, marium, insularum, fortalitiorum, portuum, promontoriorum, sylvarum &c. totius Mundi, indice instructa. Atque hæc de opere ipso, multoties recocto, nostratibus vero, quod Anglice scriptum esset, parum hucusque cognito, commemorasse suffecerit. De auctore, *Petro Heylyno*, pauca nunc subjiciemus.

Natus is Burfordiæ fuit in agro Oxoniensi, d. 29 A. 1599. Postquam a pueritia bonis literis imbutus esset, Oxonii ætate jam maturior in Collegio Magdalenensi studiorum fortunarumque sedem invenit; sed & invenit æmulos, gravissimosque adversarios. Cum enim A. 1627, pro forma, ut loquuntur, in Theologia responsurus, theses duas, alteram, *quod Ecclesia nunquam fuerit invisibilis*, alteram, *quod Ecclesia errare non possit*, proposuisset, in contentionem haud levem cum secus sentientibus, inprimis vero cum *Joanne Prideaux*, Regio tunc Professore, incidit, in suspicionem haud alieni a Papismo animi adductus, ejusque publice insimulatus. Vicissim ipse *Gulielmo Laudo*, Batho-Wellensi tum Episcopo, postremum Archiepiscopo Cantuariensi, totum se addixit, quo promotore A. 1629 in Aulam admissus est, Regi Carolo a sacris esse jussus, ac A. 1631 Præbendarius Westmonasteriensis gratia Regis factus, eodemque anno Ecclesiæ de Alresford in agro Hantoniensi Rectoratum consecutus. Unde mirum non est, ut Ecclesiæ Anglicanæ, sic & Regiis partibus devotum eum adeo fu-

fuisse, ut inclinatis jam Regis Oxonii commorantis rebus, desertis omnibus, A. 1642 ad eum se contulerit, a Parliamento paulo post proscriptus, bonisque omnibus multatus. Nec ante dignitatibus muneribusque, quibus exciderat, restitutus est, quam Carolus II in Angliam revocatus, thronum Regium sibi vindicasset. Tum enim recepit omnia, iisque ad obitum usque gavisus est, ad altiora in Ecclesia surrecturus haud dubie, nisi aliquam multos ante mortem annos, ex morbo oculorum usum amisisset. Decessit Westmonasterii ad Superos, ipso Ascensionis die, A. 1662, & in ejusdem ecclesiæ choro sepultus est. Plura de Viro doctissimo addere supersedemus, cum & Vita ejus, a *Georgio Vernone* (ut ex Thomæ-Pope Blound *Censura celebriorum Authorum* pag. 708 cognovimus; nobis enim non visam fatemur) Londini A. 1682 edita prostet, & ampliora curiosis ex *Historia & Antiquitatibus Universitatis Oxoniensis*, ab Antonio a Wood compositis p. 203 sqq. peti facili negotio possint. Idem Antonius prolixum & accuratum exhibet catalogum librorum, quos Heylynus (Anglice omnes, nisi quod Scoticam Liturgiam A. 1639 in Latinum vertit) elucubravit: quos inter, præter Cosmographiam nostram, *Historiam S. Georgii de Cappadocia, Historiam Sabbati, Expositionem Symboli, Historiam Episcopatus, Historiam Reformationis Ecclesiæ Anglicanæ ab Henrico VIII ad Elisabetham, Vitam Gulielmi Laud Archiepiscopi Cantuariensis*, & *Historiam Presbyterianam* eminere, Thomas-Pope Blound existimat. Non possumus tamen, quin sub finem legendum hic sistamus Cenotaphium, quod ipsi a Conjuge in ecclesia Westmonasteriensi, extra chorum quidem, ad Aquilonarem parietem, erectum est, & ut Antonius a Wood l. c. conjicit, a *Joanne Earle*, ejusdem Ecclesiæ eo tempore Decano, compositum.

Hic jacet e propinquo Depositum mortale Petri Heylyn S. T. D. hujus Ecclesiæ Præbendarii & Subdecani, Viri plane memorabilis, egregiis dotibus instructissimi, ingenio acri & facundo, judicio subacto, memoria ad prodigium tenaci, cui adjunxit incredibilem in studiis patientiam, quæ cessantibus oculis non cessarunt. Scripsit varia & plurima, quæ jam manibus hominum teruntur, & argumentis non vulgaribus stylo non vulgari suffe-

cit. Constans ubique Ecclesiæ & Majestatis Regiæ Assertor, nec florentis magis utriusque quam afflictæ; idem perduellium & Schismaticæ factionis Impugnator acerrimus, contemptor invidiæ, & animo infracto. Plura ejusmodi meditanti mors indixit silentium; ut sileatur, efficere non potest. Obiit anno Ætat. 63. Posuit hoc illi mæstissima conjux.

GEOGRAPHIÆ VETERIS SCRIPTORES GRÆCI Minores, cum Interpretatione Latina, Dissertationibus ac Annotationibus. Volumen II.

Oxoniæ, e Theatro Sheldoniano, 1703, in 8. Alphab. 2. Prostant Lipsiæ apud Jo. Frid. Gleditschium.

QUinquennium est, cum Vir Clarissimus Jo. Hudson volumen I hujus generis Minorum Geographiæ Scriptorum in lucem emisit, ingenio tam suo, quam eruditissimi viri Henrici Dodwelli, elegantissime illustratum. Comprehendebat illo volumine *Periplorum* veteres Scriptores omnes, qui supersunt, & Orbis tum cogniti, aut partis majoris circumnavigationem, seu terrarum faciem in maritimis locis descripserant, videlicet Hannonem Afrum, Scylacem Caryandensem, Agatharchidem, Arrianum, Nearchum ex Arriano, Marcianum Heracleotam, & Anonymum de Ponto Euxino: quos omnes cum Latina versione, ac criticis aliisque Annotationibus ornatissimos, publici juris Vir laudatissimus fecerat. Nec contentus suo labore, quem his Scriptoribus adhibuerat singularem; ab Amico etiam Antiquitatum & Chronologiæ peritissimo *Henrico Dodwello* impetravit, ut singulis hisce Auctoribus copiosas & eruditas *Dissertationes* adjiceret, quibus ille non solum de ætate cujuslibet istorum Scriptorum, quos volumen illud complectitur, quamquam hoc institutum ejus fuerat, erudite disseruit; verum etiam variarum gentium historias explanavit, aliorumque Scriptorum, quorum testimoniis usus est, ætatem controversam, dubiasque ac suspectas lectiones, ad certiorem modum ac firmitudinem perduxit, & undique congessit, quæ ad illustrandos hos Auctores Geographicos eximium aliquid conferrent. Mirum, quanto applausu exceptum hoc prius volu-

volumen fuerit ab omnibus, qui politiorem eruditionem amant & in pretio habent: quia non tantum optimos Auctores restitutos integritati, verum etiam, quod plurimum refert, controversas de ætate illorum opiniones quæstionesque alias scite discussas, dilucideque viderunt explicatas. Ex quo non difficile intellectu est, quam avide ac quibus votis hi ipsi volumen hoc II exspectaverint, quod ad eundem modum ornatos expositosque Auctores alios Geographicos, & prioribus rariores, exhibet: quos nunc ordine recensemus, & quid in quoque sit præstitum hac editione, breviter enarramus. Ita hoc autem perficiemus, ut in singulis Auctoribus, utriusque clarissimi Viri laborem atque studium conjungamus, id est, Dissertationes Dodwellianas, quas æque hoc volumen, ut primum, præfixas uno complexu habet illustrissimas, cum suo singulas Scriptore, quem explicant, componamus.

Agmen in secundo hoc volumine ducit *Dicæarchus*, cujus *ἀποσπασμάτια*, ex Italia allata per Matthæum Budæum, Guilielmi filium, primus in lucem emisit Henricus Stephanus A. 1589, cum versione, annotationibus, & auctario Dialogi, qui inscribitur Dicæarchi Sympractor; Græca autem in partes discerpta suæ explicationi ita immiscuit, ut contextum deprehendere, haud cuivis sane fuerit facile. Undecim post annis, A. 1600, Dicæarchus cum aliis minoribus Geographis, Augustæ Vindelicorum, cura Davidis Hœschelii, Græce, sine versione prodiit, addita variante lectione ex codd. Hervuorti, Palatino & Gallicano. Et ex hac potissimum clarissimus Hudson suam editionem expressit, cui præter novam Latinam, quam addidit, interpretationem, etiam varias observationes ad paginas singulas subjecit, non solum Stephani Hœscheliique jam laudatas, sed suas etiam, & Variorum undique collectas; maxime vero Bonaventuræ Vulcanii & Lucæ Holstenii conjecturas, quas ipsi noster in his Eruditorum Actis colligendis socius solertissimus Godefredus Christianus Goezius, vir elegantioribus non minus literis, quam juris peritia excellens, communicaverat. Accedit *Fragmentum Dicæarchi de monte Pelio*, nunquam antea vulgatum, quod ex Marquardi Gudii bibliotheca, vir clarissimus Jo. Albertus Fabricius descriptum nobilissimo Editori nostro, pro humanitate sua & juvandi literarum studii propensione, miserat. Fuit autem geminum Opus Dicæarchi,

chi, præter illud de Montibus; sed utriusque tantum fragmenta de Græcia supersunt, quanquam de aliis etiam Orbis partibus videntur aliquid continuisse, ut tamen copiosius de Græcia sua referrent. Ex his alterum est metricum, quod, uti ex reliquiis apparet, videtur explicatio Tabulæ Geographicæ, universalis forte, fuisse. Nam Cicerone teste lib. VI ad Attic. epist. II, & Agathemero lib. I cap. I, hujusmodi Tabulas Dicæarchus confecerat. Hoc opus ἀναγραφὴν, *Descriptionem* prænotasse, vix dubitare licet, quia sub finem ejus adscriptum est, Τέλος Δικαιάρχου ἀναγραφῆς, *Finis Descriptionis a Dicæarcho factæ.* Alterum opus soluta oratione compositum fuit, præscriptumque, Βίος Ἑλλάδος, *Vita Græciæ*, id est Mores ac vivendi ratio in Græcia: quod doctissimus Editor *de Statu Græciæ* Latine vertit, idque utrique fragmento conjunctim præscripsit: quamquam Dodwellus, quem semper honoris caussa nominamus, malit utrique nomen servari suum, Carmini, ἀναγραφῆς, *Descriptionis*; Prosæ, Βίου Ἑλλάδος, *Vitæ* seu *Status Græciæ.* Metricum, quantum restat, potiora Græciæ & insularum exponit: ex soluto tantum de Attica & Bœotia habemus reliquum. Ætatem Dicæarchi sic Dodwellus Dissertatione I indagavit: Dedicatum est primum opusculum, sive metricum, Theophrasto, Aristotelis in schola successori, in quo quod Thebas μεγάλας, *magnas* dixit, vero non absimile est, post Cassandri instaurationem scriptum esse. Prosaicum autem est posterius, quia mentionem discipulorum Theophrasti, Posidippi & Philisci poetarum habet: quod etiam ex actione βιαίων, quam athletas quosdam intendisse ibi traditur, & ex nova servitute, cujus meminit Auctor, quæ sub Demetrio Poliorcete fuit, demonstratur. Et quoniam in fragmento de Pelio monte, distantia ejus ab urbe *Demetriade* notatur, argumento id est, de montibus opus fuisse illorum postremum, quia Demetriadem a Demetrio Poliorcete, non ante Olympiadem CXXI, conditam fuisse, temporum rationes docent. Ipsa autem permensio montium, longe antea regiis auspiciis suscepta & peracta videtur, quia Plinius lib. II cap. LXV *Regum cura permensum montes* Dicæarchum dixit; quod clarissimus Dissertationis Auctor de Philippo Aridæo & Alexandro Roxanes filio interpretatur, qui simul regna-

regnarunt, antequam, sextum post annum, Aridæus ab Olympiade interficeretur: de quo tempore Diodorus etiam *Regum* plurali numero in Macedonia, ab Olympiadis CXIV anno secundo, mentionem fecit, cum ceteris temporibus singuli Reges imperaverint.

Secundus hujus voluminis Geographus est *Isidorus Characenus*, cujus Σαθμοὶ Παρθικοὶ *Mansiones Parthicæ* ab Hœschelio ex Palatino, ut videtur, codice primum fuerunt editæ. Nunc paullo auctiores, & ex bibliotheca Parisiorum Regia suppletas, supra laudatus Fabricius, una cum Notis suis, clarissimo Editori exhibuit, cui is publico nomine gratias agit. Et in hunc quoque Auctorem accuratissimus Dodwellus Dissertationem scripsit, qua Vossium notavit, qui primum in incertæ ætatis Historicis nostrum Isidorum posuerat: deinde secundis cogitationibus, ex Luciani Macrobiis admonitus, Ptolemæis primis constituit æqualem, quia Luciano referente, de Artaxerxe Persarum Rege scripserit, qui *ἐπὶ τῶν πατέρων τῶν ἑαυτοῦ, patrum memoria*, a fratre Gosithra, nonagesimo tertio ætatis anno interfectus sit: quem Artaxerxem is Ochum fuisse existimat. Huic vero interpretationi Persarum historia repugnat, ideoque is Artaxerxes doctissimo Dodwello, non unus ex magnis Persarum Regibus, sed Regulus provinciæ Persidis sub Parthorum imperio, fuisse videtur, quia multi Satrapæ illo tempore fuerint Reges appellati, & ipse Parthus propterea Rex Regum. Deinde ex ipso libello nostri Isidori constat, Auctorem florente Parthorum imperio, & Romani finitimo æmuloque, scripsisse, urbiumque meminit a Macedonibus conditarum, ut Seleuciæ ad Tigrin, non tanquam recentium: etiam de veteri Artemita Babyloniæ, quam Strabo quoque ita nominavit, addit, *νῦν nunc*, id est suo tempore, Chalasar vocari. Babyloniam quoque dynastiam sive provinciam, secus ac Strabo & Plinius fecerunt, divisit Isidorus, & novam inde, quam Apolloniatidem vocat, decerpsit: quæ omnia posteriorem ætatem arguunt. Quod vero schœnis metitur, Ægyptiaca mensura, non parasangis Persarum; conjicitur inde, Ptolemæum, Adulitano monumento laudatum, victoriis suis in Orientem schœnorum modulum intulisse. Interea certum est, scripsisse Isidorum rebus Parthorum florentibus, antequam imperium ad Persas rediret; quia & Athenæus & Lucianus, qui circa Severi tempora fuerunt, illius usi

sunt

ſunt teſtimoniis. Deinde nec illud dubitari poteſt facile, ſcripſiſſe illum, quo tempore tota Meſopotamia in Parthorum erat poteſtate, quia a Zeugmate ad Seleuciam ejusdem fines ac terminos deduxit. Parthi vero poſſeſſione illa a Lucio Vero exuti ſunt, quam inde a primo Hadriani anno, qui ceſſerat, quaſi jure ſuo tenuerant. Ex quo videtur confici, circa media Imperatoris Antonini Pii tempora, has Manſiones Parthicas ab Iſidoro fuiſſe conſignatas. Antiquior quidem omnino eſſet, ſi idem ſit Plinii Iſidorus, quem is in libri II Auctoribus etiam Characenum cognominat: qui vero, quod ex Marciano Heracleota patet, Periplum potius quam Περιήγησιν, ut noſter, videtur conſcripſiſſe. Hæc ex Diſſertatione Dodwelliana: doctiſſimus autem Hudſon Iſidorum hunc perinde, ut Dicæarchum, interpretatione Latina, & ſuis Annotationibus comptiorem reddidit.

Tertius hujus voluminis Geographus eſt *Scymnus Chius*, cujus περιηγήσεως copiam primus Marco Velſero Iſaacus Caſaubonus fecit. Marciani autem Heracleotæ in codice Palatino nomen fert, verſibus æque confuſis ac permixtis, ut in Gallicano exemplari: quos ut Joſephus Scaliger diſtinxerat, ſub alieno nomine Marciani Heracleotæ, David Hœſchelius in Geographorum Sylloge A. 1600 Auguſtæ Vindelicorum edidit. Longo poſt tempore eandem Periegeſin, cum Latina verſione & Notis, vir clariſſimus Eraſmus Vindingius emiſit. Errorem de auctore, qui Marcianus falſò credebatur, primus Lucas Holſtenius detexit, non quidem ex manu ſcriptis libris, qualis forte nullus, præter memoratum Palatinum, repertus eſt; ſed ex locis a Veteribus ſub Scymni nomine allegatis, quod pluribus exemplis noſter clariſſimus Diſſertator, contra Vindingii dubitationes, pag. 94 ſeq. confirmavit: quamquam nec Vindingius eundem Marcianum utriusque operis, ligati & proſaici auctorem ſtatuat, ſed tempore admodum disjunctos. Fragmenta Scymni, quæ collegerat, & Latine interpretatus fuerat Lucas Holſtenius, vir omnis antiquitatis, Geographicæ maxime, peritiſſimus; primus cum Holſtenianis ad Stephanum Chorographum Annotamentis V. CL. Theodorus Ryckius publicavit. Non autem hæc fragmenta ex anonymo Periplo Euxini Ponti deſumta eſſe, & in verſuum ordinem ab Holſtenio redacta, quod V. CL. Jacobus Gro-

Gronovius Dedicatione Scylacis & illius Anonymi putavit; sed ex MSto quodam codice, Dissertatione III a sæpe laudato Dodwello demonstratum est. Holstenius enim Notis ad Porphyrii Vitam Pythagoræ, ex Jambico fragmento illo decem versus producens ita præfatus est: *De Scythis ultra Mæotin pulchri versus sunt Scymni Chii, vetusti geographi, cum multis aliis hactenus non editi.* Quis credet autem, gravissimum virum ita scripsisse, si ipse Jambos illos ex anonymo Periplo confinxisset? Addit Dissertationis Auctor, quod partem postremam fragmenti a versu 162 aliquis frustra in Periplo anonymo quæsierit. Ipse vero liber Scymni, quantus superest, περιήγησις, *Orbis descriptio* prænotatus est, licet Europæ solius sit expositio. Nec vero dubitandum, quin cæteras quoque Orbis partes exposuerit, quia fragmentum, quod Septentrionem, qui supra Pontum est, explicat, tandem ex Europa etiam in Asiam progreditur, nec eam tantum, quæ itidem supra Pontum est, verum & in illam, quæ ad litus Ponti australe per Bithyniam, Paphlagoniam & regnum Ponti Mithridaticum procurrit. De ætate Scymni hoc habetur: Dedicavit Jambos suos Nicomedi, regi Bithyniæ, non Prusiæ filio, parricidæ, quia sui Regis patrem quoque laudat vers. 57; sed vel hujus filio, Nicomedi Philopatori; vel, quod Dodwello est similius vero, fratri illius, Socrati Chresto, qui etiam Nicomedis nomen adsumsit, quia μόνος χρηστότητα προσφέρει, vers. 51, quo ad *Chresti* nomen videtur respexisse. Hunc Mithridates Philopatori, ab Romanis confirmato, opposuerat, sed ipse postea interfecit paullo ante, quam bellum contra Romanos susciperet, ut ex oratione ejus apud Justinum lib. XXXVIII, 5 est perspicuum. Historiam Appianus habet in Mithridatico, & Memnon in Photii codice CCXXIV, qui etiam Nicomedis nomen, quod deest Appiano, tanquam regium eidem tribuit, τὸν Χρηστὸν ἐπικληθέντα Νικομήδην, *Chrestum cognominatum Nicomedem* appellans.

Succedit *Plutarchus de Fluviis*, a Gelenio primum Basileæ A. 1583 in lucem datus: postea Tolosæ A. 1615 a Maussaco emendatior cum nova versione & Notis uberrimis iteratus est. Hujus editionis textus nostro clarissimo Editori curæ fuit, ejusque Notas cum suis & aliorum ad imum cujusque paginæ collocavit, longiores ad cal-

cem libri rejecit: interpretationem quoque Latinam ita retinuit, ut cum Turnebiana, & alia Natalis a Comitibus, diligentius conferret. Quod vero Maussacus Plutarcho Chæronensi hunc libellum vindicare studuit, Dodwelliana quarta Dissertatio fere tota in eo est, ut contra, quam clarus ille vir statuerat, refutatis ejus argumentis, probatum det, ab alio quodam & multum recentiore Plutarcho hanc Fluviorum descriptionem esse. Nam habet nonnulla, quæ nemo Chæronensi Plutarcho, rerum omnium peritissimo, tribuat, v. gr. in Hydaspe, hunc & Indum eundem esse: & Lugduni urbis originem, quam Planco, Ciceronis amico, deberi, nemo vel leviter Romanis historiis tinctus ignorare potest, refert ad fabulas mythologicas. Quin & Christianismi non tam vigentis, quam declinantis observantur vestigia, cujus generis est δαιμονιζόμενος, malo spiritu agitatus, qui expellatur Nili quodam lapide: qualis superstitio in puriori ecclesia locum nullum habuit. Ex quibus tandem nobilis Dissertator conjicit, circa decimum forte Christianorum sæculum, hunc de Fluviis libellum sub Plutarchi nomine esse compositum.

Quinta pars hujus voluminis habet *Agathemeri ὑποτυπώσεων γεωγραφίας ἐν ἐπιτομῇ, Compendiariarum Geographiæ expositionum Libros II*, quos doctissimus Godefredus Wendelinus olim edere constituerat, sed fato præventus librum suum celeberrimo Chifletio reliquit, a quo clarissimus vir Samuel Tenullius accepit, ediditque cum Latina versione A. 1671: repetiit cum Scylace clarissimus Jac. Gronovius A. 1697, cui editioni doctissimus Hudsonius laudem emendatioris versionis dat, eamque ex maxima parte secutus est: sed exiguam se gratiam ab illo iniisse, præfatione conqueritur, cujus rei causa sit, quod in nonnullis partibus a Gronovio, pro Eruditorum libertate, dissentiat. Magis autem partem generalem Geographiæ Agathemerus, quam specialiorem persecutus est. Dissertatio Dodwelliana de ætate Agathemeri cum illo, de quo diximus, Wendelino, qui editurus erat, contendit, quia is certam Auctoris ætatem ex certa Æquatoris & Tropici distantia (lib. I cap. VIII) collata cum Artemidori, qui sub Augusto vixit, rationibus, definiri posse putavit: quod negat amplissimus Dissertator, quia illorum ævo neque hypotheses Astro-

ſtronomicæ, neque inſtrumenta tam accurata fuerint, ut in minutorum differentia fides tuto per omnia haberi poſſit. Ipſum quoque Wendelinum in vera Artemidori ætate aberraſſe demonſtrat, cui rationes etiam tribuat, quæ neque Artemidori fuerint, neque ab Agathemero pro illius, ſed Ptolemæi rationibus fuerint habitæ. Ut vero de ætate aliquid conſtituatur, alias rationes Noſter ex ipſo adfert Agathemero, videlicet poſteriorem Ptolemæo eſſe, quem ipſe nominatim laudarit: deinde ex *Hiſpaniæ* nomine, quod Latinis quidem pervetuſtum ſit, non autem Græcis, qui Ἰβηρίαν vocarint: Ptolemæum autem & Appianum primos eſſe, qui etiam alterius nominis Ισπανίας rationem ſimul habuerint: Agathemerus autem lib. I cap. IV ſcripſit, Ἰβηρία, ἡ νῦν Ισπανία, *Iberia quæ nunc Hiſpania* vocatur; quod νῦν novitatem appellationis Græcæ arguit. Idem cenſet de nomine Γαλλία, *Gallia*, pro quo veteres Græci Γαλατία & Κελτική dixerunt. Agathemerus vero lib. II cap. IV, τῶν Γαλλιῶν, ἃς πρότερον Γαλατίας ἔλεγον, *Galliarum, quas prius Galatias appellaverunt*, meminit. Etiam ex vocabulo inſulæ *Salicæ* lib. II cap. VIII argumentum petit, quæ prius Simunda dicta fuerit, ibidem cap. VII. Tandem ex *Daciæ trans Danubium* deſcriptione, & ſilentio novæ, quam Aurelianus cis flumen conſtituit, de vera ætate judicat, atque ex his conjunctim colligit, Agathemerum inter Severi & Gallieni ſcripſiſſe tempora.

Strabonis denique *Epitome* ſive *Excerpta* locum ſextum & ultimum in hoc volumine tenent, ſemel antea Baſileæ A. 1533 impreſſa, quibus Hieronymi Gemuſæi Latina translatio adjuncta eſt. Non Epitomas, ſed Χρηστομαθείας, *Chreſtomathias* Excerptor breviarium ſuum præſcripſit, de quo vocabulo mox in ætate auctoris dicetur. Sunt autem excerpta hæc in totidem libros, quot Strabo compoſuerat, XVII videlicet, diſtributa, & brevitate ſua (nec vero nimia; quippe maximam voluminis partem explent) commendantur. Neceſſaria quoque ſunt pro ſeptimo Strabonis libro, quantum fieri ex epitoma poteſt, ſupplendo, cujus pars poſterior in nobili de Græcia argumento, quæ temporum injuria eſt, intercidit. Clariſſimi viri, Editor & Diſſertationis Auctor, uterque ſuum, ut ſolent, egregie in hoc quoque Breviario præſtiterunt, ille Notulis

eruditis; hic singulari de ætate Excerptoris disputatione. Latet ejus nomen, qui excerpsit, & patria. Græcus tamen haud dubie fuit: qui ætatem suam obscuris signis prodiit, quæ Dodwellus ingenii sui luce declaravit. Posterior fuit Ptolemæo, & Arriano, quos ipse testes advocat: forte etiam Marciano, ut ex novo titulo χρηςομαθειῶν apparet, quo non priorem alium scimus usum esse, quam Proclum & Helladium Besantinoum, quorum ille quinto Christianorum sæculo vixit, hic sub Licinio & Maximiano, id est Constantini temporibus. Idem vero hac voce significatum voluerunt, quod alii per ἐπιτομὴν, *epitomen* seu breviarium. Non autem prope hos fuisse, quos laudavit, sed longe posteriorem, ex ejus libro VII pag. 98 colligitur, quo Σκύθας Σκλάβους, *Scythas Sclavos*, sub quibus etiam, Constantino Porphyrogenneto interprete, & Avares & Bulgari latebant, dicit νῦν, *nunc*, id est sua ætate, *totam Epirum, & Helladem prope, ac Macedoniam & Peloponnesum* possidere. Jam vero examinat Vir clarissimus Barbarorum inter Græcos historiam, nec nisi unum invenit Imperatorem, Basilium II, Romani junioris filium, Tzimiscæ successorem, sub quo tanta Barbarorum fuit possessio & potentia: quod ex Zonara & Cedreno demonstravit. Imperavit autem ille Basilius, quem Porphyrogennetum etiam cognominant, item Bulgaroctonum, sub finem decimi Christianorum sæculi.

Adjectus est volumini Index Geographicus satis copiosus & luculentus, in omnes sex recensitos auctores Geographos. Promisit etiam clarissimus Editor volumen tertium, quod ut colligere, & ad modum jam editorum possit illustrare ac publici juris facere, vitam ei ac otium & prosperitatem apprecamur.

COELII SEDVLII, POETÆ INTER CHRISTIAnos veteres elegantissimi, Mirabilium Divinorum libri, Paschale Carmen dicti, & Hymni duo. CHRISTOPHORUS CELLARIUS ex manuscriptis codicibus recensuit, & Adnotationibus illustravit.

Halæ Magdeburgicæ sumptibus Orphanotrophii, 1704, in 8. plag. 10.

PErgit clarissimus Editor de vetustis Christianorum Poetis mereri: & postquam superiori anno Prudentium, suis curis illustra-

ſtratum, ediderat, quem tum menſe Aprili recenſuimus; nunc Cœlium Sedulium eodem modo exornatum, & ex pluribus correctum manuſcriptis, publicavit. Cujus ſacra Carmina quanto in pretio Eccleſiæ antiquæ ſemper fuerint, ex laudibus, & teſtimoniis antiquis, quot vix alius ejusdem ætatis Scriptor habet, poſt præfationem, ſingulorum verbis propriis oſtenditur. Laudatur enim ab æquali Turcio Rufio, conſulari viro, qui primus collecta hæc carmina in lucem dicitur edidiſſe: commendantur Eccleſiæ a Papa Gelaſio Diſtinct. XV cap. III: & iterum laudantur ab Aurelio Caſſiodoro, Venantio Fortunato, Iſidoro Hiſpalenſi, Beda ſacerdote, Placido Lactantio ſcholiaſte, Theodulfo Aurelianenſi: ut de poſterioribus, Sigiberto, Trithemio & aliis taceamus. Nec ſilent de laudibus ejus recentes Poetarum cenſores, Caſpar Barthius & Olaus Borrichius, quorum ille *Virgilianam phraſin comiter ſervaſſe* ſcripſit: hic *dictionem ejus facilem, ingenioſam, numeroſam & perſpicuam* vocat, & *inprimis Chriſtianæ pietatis commendatricem*. Habet quidem nævos proſodiacos, quales plerisque nec deſunt veterum Eccleſiæ Poetarum; quos celeberrimus Editor ſingulis locis in Notis ſuis indicat, & temporum vitio ac conſuetudine excuſat. Præfatione idem prædicat Amicorum benevolentiam, a quibus vel ipſos MSS. codices acceperit, vel excerpta ex illis doctiſſimorum virorum manu atque ſtudio. Sunt autem, quæ laudat ſubſidia, hæcce: Ex noſtra Paulina codex integer, manu in Pergamena charta exaratus: alius membranaceus clariſſimi Almeloveeni: liber, quem Barthius cum MS. contulit: alius collatus cum MSS. a Nic. Heinſio: iterum alius nuper admodum cum duobus MSS. Academiæ Cantabrigienſis comparatus: quibus obſervationes ampliſſimi viri Gisberti Cuperi accedunt, quas, ſua manu ſcriptas, pro amicitia, quam cum Cellario colit, lubens communicavit. Ut vero per ſeculum, quod nuper deſiit, ab hoc Auctore typographorum officinæ ceſſaverunt, niſi quod in Patrum Bibliothecæ vaſto opere repetitus fuit; ita hæc Cellariana editio plenior ornatiorque eſt ſuperioribus. Præmiſſam habet Sedulii ad Macedonium Epiſtolam, quæ deeſt quibusdam, emendatiorem etiam, quam unquam prodierat. Ipſi autem quinque Carminis Paſchalis libri, quorum primus miracula Veteris Teſtamen-

ti exponit ; reliqui Historiam Evangelicam perspicue describunt, notis perspicuis sunt illustrati. Adjecti Hymni duo ejusdem Sedulii : alter Collatio Veteris Testamenti cum Novo : alter, Vitæ & Miraculorum Christi acrostichis per tetrastropha Expositio. Addita etiam aliquot Epigrammata antiqua, quorum unum ipsius videtur Sedulii esse : tria de Sedulio ab aliis composita, unum in fronte libri, reliqua sub calcem. Claudit Index geminus, unus Rerum, alter Verborum.

JO. FRANCISCI BUDDEI P. P. ELEMENTA PHIlosophiæ Instrumentalis, Theoreticæ, & Practicæ.

seu

INSTITUTIONUM PHILOSOPHIÆ ECLECTICÆ Tomus I. II. & III.

Halæ Saxonum, 1703, 8. typis & impensis orphanotrophii & apud Jo. Frid. Zeitlerum.

Constant Alph. 4. plag. 2.

VIx typis prelisque liberatum erat integrum hoc Philosophiæ universæ, excepta Mathesi, corpus, a celebri maxime ingenio & doctrina Viro, *Jo. Franc. Buddeo*, Professore in illustri Academia Fridericiana optime merito, adornatum, cum avide illico ab iis, qui ex Buddei ore pendent, aliisque qui Buddeana merito amant, coëmtum, magnum jam ubivis inter literatos adplausum nomenque consequeretur. Præterquam enim, quod illas Philosophiæ partes scite ac ἐν συνόψει Clarissimus Vir in eo est complexus: sane tum rerum selectus & coordinatio perquam elegans, tum methodi, qua summa rerum in Philosophia, eaque necessaria maxime capita pertractata sunt, genus selectum ac præstantia, tum quoque styli nativa quædam elegantia atque facilitas, tum denique liberum subinde & sobrium de recentiorum non minus ac antiquiorum Philosophorum opinionibus ac litibus judicium, Buddeanum hoc Philosophiæ Systema satis superque commendant. Nam quod methodum maxime attinet, Eclecticam ubivis & commendat & sequitur Buddeus philosophandi rationem, ita quidem, ut ipsam rerum naturam, in propriis aut aliunde contractis observationibus, primo semper loco contempletur; deinde per principia, ex his observationibus

bus eruta, omnia justo ordine & nexu deducat, atque demum ad hanc cynosuram, quicquid a veteribus & recentioribus dictum est, libere exigat. Hinc cum non ex aliorum verbis aut effatis, sed ex ipsis rebus sapere, hoc demum veri Philosophi esse Buddeus censeat, id, quod ab aliis dictum est, si cum veritate consentiat, assumere & amplecti, sin vero ab ea alienum esse videatur, suo loco relinquere, non dubitat. Præterea satis quoque hoc ipso opere Buddeus comprobavit, quod nihil sibi solennius, quam humani intellectus ubique imperfectionem agnoscere; nihil etiam prius sit aut antiquius, quam ab isto Dogmaticorum fastu, qui ubique certitudinem & imo mathematicas quasdam demonstrationes crepant, sibi temperare. Utut vero hoc pacto quandoque Buddeus, dum diversis aliorum sententiis succincte prius enarratis, nihil certi in capitibus quibusdam controversis assumit aut asserit, a Scepticismo non longe abesse videri possit: neutiquam tamen se iniqua ejusmodi malevolorum judicia metuere, in alloquio ad lectorem, tomo statim primo præfixo, commonet; cum, ubi certitudo ac evidentia adesset, quam lubentissime eam amplexus fuerit; at verosimilia & incerta, dubia & obscura, pro certis, claris & evictis venditare, aut suas conjecturas pro demonstrationibus aliis obtrudere, hoc vero esse Scepticorum ludibrio se exponere, iisque occasionem dare, ut eo facilius cuncta in dubium vocent, semper crediderit. Denique id etiam per universum opus præstare quam diligentissime annisus est, ut superflua, & inutilia procul removeret, & tantum certo profutura traderet; quo Philosophiam sisteret non vere tantum eclecticam, sed & a quisquiliis & inquinamentis Scholasticorum, & a vanis aliorum speculationibus prorsus repurgatam. Interim non perfectum & absolutum has Institutiones Philosophiæ systema, sed elementa solum esse, ut quivis cogitet, etiam atque etiam rogat ac obsecrat.

Ut autem jam quoque specialius paulo, quo nexu & ordine singula in Institutionum suarum Philosophicarum tomis pertractaverit, adhuc enarremus: in *tomo primo*, cui titulum *Elementorum Philosophiæ Instrumentalis* fecit, ea, quæ ad hanc Philosophiæ partem spectant, exhibentur, ita quidem, ut succincta primum quædam Historiæ Philosophicæ delineatio, introductionis

in universum opus instar, præmittatur; deinceps ipsa Philosophia Instrumentalis, seu Logica, pertractetur; & demum Notitia terminorum Philosophicorum, Scholasticis Metaphysica, aliis vero rectius longe Ontologia dicta, subjungatur. In Historia Philosophica tum cujusque sigillatim sectæ Philosophicæ, antiquissimi, medii & recentioris ævi, in ortu & progressu suo fata, tum quoque ipsum Philosophiæ, cui secta quævis addicta fuit, systema scite & eleganter exponit, sine ullo tamen affectu; quo in ipso statim limine exemplo præiret suis, ne uni magistro dare nomina, sed ubique veritatem consectari discerent. Atque hæc ipsa Historiæ Philosophicæ delineatio, ideam etiam continet operis majoris & exoptatissimi, quod jam pridem in universam Historiam Philosophicam ac Literariam molitur, & cujus specimen jam in sua *ad Historiam Philosophiæ Ebræorum Introductione*, mense Junio Actorum horum A. 1702 memorata, Orbi literario dedit. Philosophiam ipsam Instrumentalem, qua, quæ ad Artem cogitandi seu Logicam pertinent, traduntur, quatuor absolvit partibus. Prima earum de ratione verum inveniendi, adeoque de intellectu humano, ejusque operationibus & facultatibus, vitiis & imbecillitatibus, sanitate & virtutibus, ut & mediis eum emendandi sanitatique restituendi agit. II. rationem veritatem ex aliorum scriptis eruendi, atque inde sermonis naturam & indolem, obscuritatem ejusque causas, sensum verum, hujusque criteria, & media itidem hermeneutica exponit. III. rationem veritatem cum aliis communicandi tractat, ac propterea & vitia & virtutes docentium innuit. IV. terminorum Philosophicorum, quorum ignoratio impedimentum aliquod in Philosophiæ aliarumque liberalioris doctrinæ partium studio afferre possit, Notitiam tradit. In ea Ontologiam, quam alii tanquam peculiarem Philosophiæ disciplinam tractant, evolvit, atque primum generatim de Ente ejusque attributis, dein de attributis entis simplicibus, de attributis entis disjunctis primariis & secundariis, ac de inferioribus entis agit. Cum vero in hac Notitia non tam magnifice, ac a quibusdam fieri solet, de Metaphysica sentiat: hoc si quis ægre ferat, eum facile præclarissimorum nostræ ætatis Philosophorum exempla conticescere jussura confidit, si quidem rationis adeo inops sit, ut per ipsam rei considerationem erroris sui convinci nequeat.

Alter

Altero tomo Elementa Philoſophiæ Theoreticæ, ſex partibus comprehenſa tradit. Ut vero Philoſophia Inſtrumentalis circa hominum cogitationes aut ſermonem, & Philoſophia Practica circa eorum actiones verſatur: ita hæc circa res ipſas, Deum nimirum, & quæ ab eo condita ſunt atque producta, unice eſt occupata. Tractandi rationem in hoc tomo eandem, quam in priori, eousque quidem ſervat, ut quæ cognitu maxime neceſſaria ipſi viſa fuere, ſuccinctis & rite inter ſe connexis præceptionibus ſeu poſitionibus complectatur. Et Parte quidem I. auſpicio a Phyſices natura, ejusque per varia inventa hodie incrementis facto, ſtatim de homine, ejusque ſtructura, ſtatu & origine: II. de animalibus brutis, plantis & foſſilibus: III. de terra, aqua, igne, aëre & meteoris: IV. de ſyſtemate hujus univerſi, corporibusque cœleſtibus: V. de corporum naturalium proprietatibus, atque cauſis generatim: & VI. de ſpiritibus, tum creatis, tum increato, ſeu Deo agit. Ex quo partium recenſu vel ſua ſponte patet, quod parte ultima Pneumaticam, quam alii partem Metaphyſices alteram conſtituunt, alii ſub peculiaris diſciplinæ Philoſophicæ forma conſiderant, ſimul ſit complexus. Cæterum prima ſolum Phyſices rudimenta, & illis quidem tradere in his Inſtitutionibus ſe fatetur, quibus non ex inſtituto ſe his literis conſecrare, ſed quantum ad feliciorem cæterarum Philoſophiæ partium tractationem ſufficit, inde haurire conſtitutum eſt. Nam qui ſe totos huic ſtudiorum generi dare, & eidem ſe velut immergere conſtituerint, iis aliam longe viam ingrediendam, & præ cæteris *Friederici Hoffmanni*, Doctoris in Academia ſua celeberrimi, in illuſtranda indies magis magisque, per experimenta curioſiſſima, Philoſophia naturali, ſolertiam maxime exquiſitam commendandam eſſe admonet. Præterea id quoque non diſſimulat, ſe & in hiſtoria rerum naturalium deſcribenda, & in Philoſophorum principiis pro inſtituti ratione explorandis, præſtantiſſimos ubique & recentisſimos Viros, ac ex his maxime *Jac. Rohaultium*, *Jo. Chriſtoph. Sturmium*, *Jo. Clericum*, aliosque, quos Orbis adhuc hodie veneratur, eſſe ſecutum. Qui cum maximam partem mechanicam philoſophandi rationem ſequantur, adjunxiſſe ſe addit eos, qui ſpiritum naturæ ſupponentes, Moſaicæ Philoſophiæ reſtauratores audiunt; idque ideo, quod poſt

P illam,

illam, hæc hodie maxime concelebretur. Imo in prima ſpeciatim parte, quæ de homine agit, ejusque ſtructuram & naturam Phyſiologice magis, quam hucusque in compendiis Phyſicis factum, exponit, maximo ſibi uſui fuiſſe non diffitetur Phyſiologiam Medicam *Jo. Gothofredi Bergeri*, Medicinæ in Academia Vitembergenſi Profeſſoris celeberrimi.

Tertius tomus Elementa Philoſophiæ Practicæ complectitur. Inde, cum tres ejus ſint partes, parte I. rationem perveniendi ad ſummam felicitatem, ſeu Ethicam pertractat: II. officia hominum gentiumque integrarum ad legem naturæ componenda, ſeu Jurisprudentiam naturalem & gentium edocet: III. actiones hominum ſingulorum & integrarum ſocietatum, ad prudentiæ leges dirigendas, ſeu prudentiam civilem, in unoquoque ſtatu, contemplatur & inculcat. Ediderat hæc Philoſophiæ Practicæ Elementa jam aliquot abhinc annis, ſub peculiaris codicis forma; at cum typis committenda ea eſſent denuo, induci facile ſe paſſus eſt, ut non ſolum reliquarum Philoſophiæ partium rudimenta iis adjungeret, ſed & memorata modo Philoſophiæ Practicæ Elementa in quibusdam paulo immutata & correcta, imo, quod præcipuum momentum trahebat, eadem, qua in enarratis antea Philoſophiæ ſuæ eclecticæ partibus uſus erat, methodo pertractata ſiſteret. Ita enim melius omnia per univerſum opus conſpirare, & cum veritate nihil prius ſibi ſit, nihilque antiquius, neutiquam vitio ſibi verti poſſe confiſus eſt Buddeus, ſi in quibusdam, iisque non adeo quidem magni momenti, ſententiam ſuam, raro ſeculi noſtri candore, corrigere non erubeſceret. Inter cætera tamen in eo maxime a priori hæc editio differt, quod in illa jus gentium ſeparatim a jure naturæ tradatur; in hac autem ſtatim in ipſa juris naturalis tractatione, unicuique capiti, ubi quidem res ipſa hoc aut permiſit aut exegit, applicatio ad integras gentes ſubjungatur. Hac enim ratione facilius obviam iturum ſe intellexiſſe ait errori illorum, qui neſcio quod jus gentium a jure naturæ distinctum comminiſcuntur; hoc ipſo autem tantum omnia turbant, ac leges cum moribus, mores cum legibus, civilia cum naturalibus, inficete admodum confundunt. Omiſit etiam in hac partem prioris editionis ultimam, ſeu commentationem de ſtatu Imperii

perii

perii Romano-Germanici; cum in ea delineatio potius fuerit, quam justa tam nobilis argumenti pertractatio. Rectius inde se forte facturum putasse commonet, si aliquando seorsim ampliorem de *statu civili & ecclesiastico Imperii Romano-Germanici* commentationem, in lucem emitteret. Praeterea nec in hac tertia Philosophiae parte eclecticam, quam semel ingressus erat, philosophandi viam migrat, sed dum ad solius rationis praeceptum se ubique componit, id cumprimis dat operam, ut ex evidentissimis principiis omnia justo ordine deducantur, eademque suo etiam nexu apte inter se colligentur. Quo in negotio tantum abest, ut maximos & praestantissimos in hoc Philosophiae genere Doctores uspiam damnet aut prorsus aspernetur, ut potius, dum in Ethica summam hominis felicitatem in amore Numinis positam esse, cum Pythagora & Platone, ac doctissimis nostra aetate viris statuit, in juris prudentia, naturali maxime & gentium, summos simul viros, *Hugonem Grotium* & *Samuelem Pufendorffium*, & in prudentia civili *Baeclerum*, *Conringium* aliosque recentiores in plerisque sequatur. Attamen, ubi vel Grotium, vel Pufendorffium, vel alium prudentiae naturalis aut civilis scriptorem, a recto tramite deflectere suspicatur, eo minus quoque in aliam sententiam ire religioni sibi ducit, quod in unius viri verba jurare, ejusque auctoritate forte se in maximos errores dare praecipitem, dudum viris cordatis & sapientioribus illepidum maxime visum fuerit ac prorsus illiberale.

TRAITÉ DE L' INDULT DU PARLEMENT de Paris, &c.

seu

TRACTATUS DE INDULTO CURIÆ PARISIENSIS, &c. Tomus I & II.

Parisiis, apud Joh. & Michaelem Guignard, 1703, in 8.
Constat Alphab. 4. cum 19. plag.

PArtem Juris Ecclesiastici Gallicani, quae circa beneficia spiritualia membris Parlamenti Parisiensis conferenda occupatur, indagatam atque excussam hic dare voluit Vir Consultissimus Mel-

chior Cochet, Eques & Dominus S. Valerii ac Libellorum ſupplicum in prædicta Curia Præſes graviſſimus. Advertens namque, neminem hanc materiam pro dignitate ſatis explicuiſſe, neminem vel tetigiſſe hactenus, præter Regnaldinum & Pinſonum, quorum ille libellum parvæ admodum molis in eam commentatus ſit, hic notas breviuſculas ſolum in Pauli III & Clementis IX Pontificum Bullas exaraverit, honeſta ſe æmulatione, atque officii ſui dictamine permoveri paſſus eſt, ut rei parum cognitæ plenam lucem affunderet. Quo vero L. B. cognoſcat ſtatim, quid Indulti nomine ſignificetur, poſthabito tantisper Autoris ordine, e Cap. II deſcriptionem ejus, uti nunc eſt, depromemus. Dicit nimirum, quod ſit genus gratiæ expectativæ perpetuæ, regno Galliæ ab Eugenio IV Papa conceſſum, renovatum vero, confirmatum atque extenſum a Paulo III & Clemente IX, rogatu Regum Chriſtianiſſimorum Caroli VII, Franciſci I, & Ludovici XIV, in gratiam Cancellarii Galliæ, Præſidum, Conſiliariorum, aliorumque Officialium Curiæ Pariſienſis, præſentium ac futurorum; eum videlicet in finem, ut iidem, modo habiles ſint ad beneficia poſſidenda, ſemel, durante magiſtratu vel officio, ſe ipſos, aut in locum ſuum Clericos, Regi ſiſtere queant, ut ab eodem Collatori cuidam in Gallia denominentur, idque ſemel in vita Regis, vel durante prælatura Collatoris, quo a tali Collatore, aut eo nolente, ab Executore, virtute indulgentiæ Papalis Regiæque nominationis, proxime vacaturo beneficio, ſeu ſeculari, ſeu regulari, juxta conditionem ac ſummam requiſitam, admoveri debeant. Hiſce præmiſſis, intellectu faciliora arbitramur, quæ jam ex Autore delibabimus. Primum itaque antiquitatem privilegii hujus oſtenſurus, a quinque retro ſeculis illud derivat, & in Cap. I varia Indulta ab Innocentio IV, Bonifacio VIII, quoad amicitiam coluit cum Galliarum Rege, Benedictis XI, XII & XIII, Clemente VII, Johanne XXIII, & Martino V, ſummis Pontificibus, profecta ſtrictim perſequitur; quibus tamen omnibus hocce temperamenti adhæſiſſe innuit, quod vel ad certum tempus, vel præfinitum perſonarum numerum, vel vitam duntaxat Pontificis tribuentis, aut Regis accipientis, reſtricta fuerint. Auguſtiore autem facie apparere cœpiſſe hanc gratiam ſub Eugenio IV, quippe qui haud ſatis ducens, in favorem ſingulorum Par-
lamenti

lamenti ministrorum, tam præsentium quam futurorum, Indultum perpetuo valiturum A. 1431 promulgavisse, Aulæ Romanæ præterea arbitrio illud subtraxerit, Archi-Episcopo Turonensi executoris munere imposito, quod ipsum alia Bulla ampliaverit. Enimvero tam Successores alienos a gratiosa ista largitione reliquisse Eugenium, quam Parlamentum segne exstiterit, in conservanda ejus integritate, atque observantia, ita ut opus omnino habuerit, istius renovandæ ergo Paulum III adire, felici sane cum successu, donec Clementi IX novam nuper superaddere extensionem placuerit. Quæ tanquam concisius dicta, in Cap. II uberius illustrat, enarrans occasionem, quæ Eugenium IV ad simile Indultum tribuendum invitaverit, & qua de causa illud dilatandum censuerit; ubi dubia simul a Molinæo aliisque excogitata, quibus veritatem hujus concessionis sublestam reddere moliantur, mascule removet. De Bulla vero Pauli III A. 1538 d. 19 Jun. extra muros Nicienses data docet, duo singularia illam continuisse, alterum onerosum, quod mandatis Apostolicis muniti, præferri debeant Indultariis; alterum lucrosum, ne hi beneficia infra ducentas libras annuas accipere cogantur. Tandem Clementis IX Indultum de A. 1668 derogasse trito Canoni, *Regularia Regularibus*, ac injunxisse, ut Laicis quoque, sub certis tamen limitationibus, beneficia Regularia in Commendam assignari debeant; auxisse præterea summam Paulinam ad sexcentas usque libras, ac prohibuisse, ne Indultariis beneficia curam animarum exigentia imponere fas esset. Post hæc descriptionem Indulti supra adductam concinnat. Porro in Cap. III, pertractando notas characteristicas Indulti, differentiam ejus ab expectativis odiosis demonstrat, atque in rationes, quæ sanctam Sedem ad profundendam gratiam tam insignem stimulaverint, inquirit. Rejicit autem illorum opinionem, qui Pontifices hac ipsa Parlamentum inescare voluisse contendunt, ut Pragmaticæ Sanctioni renunciaret, aut ad Annatarum exactionem conniveret, aut denique Concordatis, cum Francisco I initis, eo lubentius sese submitteret, adeoque illud conventionis genus, *Do ut Des*, hic se prodere existimant. Quin potius ex mero affectu atque honore erga Curiam Parisinam, cujus autoritatem atque præminentiam magnopere extollit, totum negotium promanasse

ſuadere conatur. Nec reticet, quod ſit jus ſpirituale contractibus atque hereditariæ ſucceſſionis onere exemtum, nec permutari poſſit, bene tamen cumulationem aliorum jurium admittat. Poſtquam ſic naturam hujus privilegii ſatis exhauſit Conſultiſſimus Autor, reliquum operis impendit inſtruendo Indultario, quomodo ſe gerere debeat a primo actu usque ad ultimum, qui eum in pleniſſima beneficii poſſeſſione collocet. Quod dum agit, recenſet in Cap. IV perſonas gaudentes Indulto, quales eſſe ait omnes de corpore ac gremio Parlamenti exiſtentes, atque in cauſis audiendis ac decidendis intentas, ſpeciatim vero Cancellarium Galliæ & Cuſtodem Sigilli; quod ſi duo hæc munia ab uno exerceantur, duplicis etiam juris effectum ſe exſerere; tum cenſeri Præſides omnes ac Conſiliarios, Magiſtros libellorum ſupplicum, Procuratorem atque Advocatos generales, Archigrammateos civilium & criminalium cauſarum ut & præſentationum, demum quatuor Notarios Secretarios, ac denique primum Janitorem. Addit inſuper, Officiales hujusmodi integra ſervare jura Indulti, etiam depoſitis provinciis, modo emeritorum loco habeantur, atque literas honorarias, ceu vocant, a Rege obtinuerint. Minime vero in hunc numerum cooptandum venire Quæſtorem Parlamenti; licet enim de corpore ejus habeatur, non tamen partes illius eminere ullas in juſtitia adminiſtranda: ex quo itidem fundamento Pares Galliæ, Archi-Epiſcopum Pariſinum, Abbatem Fani S. Dionyſii, utcunque ſeſſionis ac ſuffragii honore in prædicta Curia polleant, Indulti virtutem ſibi nunquam applicare ſtuduiſſe. Interim ſusque deque habita iſta ratione, Supremum Conſilium Regis pro Quæſtore A. 1701 pronunciaſſe. Similiter abjudicat Indulti efficaciam Conſiliariis honorariis Parlamenti, Præſidibus ſupremi Concilii, Janitoribus a primo reliquis, Exactori multarum, quin & viduis ac liberis ante memoratorum, Conſiliariisque Reformatæ Religioni addictis. Mox tempus præſentandi ac modum, quæque circa hunc formalia ſint obſervanda, ſollicite inculcat; ubi inprimis notat, neminem ſe poſſe præſentare Delphino, aut Regis Matri regenti, ſed tantum Regi, qui Regno præeſt. Ulterius in Cap. V de Regia nominatione, quousque ſe extendat, ac quem ſortiatur effectum; quibus præciſe fiat, num & fœminis
Præ-

Prælaturæ dignatione conspicuis, aut exteris, quibus jus est beneficia ecclesiastica in Gallis radicata conferendi, quas item mutationes ea admittat, ex professo agit. Dum autem exemtionis mentionem injecit, hinc Caput VI totum destinat Cardinalium prærogativæ examinandæ, num & iidem subjaceant dispositioni Indulti. Equidem si Eugenii IV & Pauli III Bullis res decidenda foret, tum audacter affirmat, Cardinales Indulto parere oportere, quippe cum illæ neminem prorsus excludant. Verum post Clementis IX Bullam, quæ Cardinales disertis verbis exemit, distinguendum censet, utrum speciales a Rege desuper literas impetraverint, vel non. Illo casu adstrictos haud esse ad Indultum adimplendum; secus vero hoc, propter defectum Regalis privilegii: quæ doctrina Autoris supereminens Regis arbitrium, in præjudicium autoritatis Papalis, abunde declarat. Quemadmodum nec Cardinales adhuc hodie Indulti vinculo expeditos pronunciat, si quis Indultariorum summa Paulina contentus esse velit, & Cardinali nominari efflagitet; qua occasione bene multas alias quæstiones affines ventilat. Inde in Cap. VII unice satagit, ut invictis argumentis explanet, Britanniæ Minoris Ducatum pariter suppositum esse Indulto Parlamenti, tantaque animorum contentione defensam immunitatem, perquam ficulneis protegi armis. Hisce in parenthesi velut excussis, progreditur in Cap. VIII ad significandæ nominationis Regiæ necessitatem, tempus, utilitatem exinde emanantem, modum, & quando illi obtemperatum credatur, inquirit. Videlicet cum ante Bullam Paulinam, quodlibet beneficium, licet permodicum, ad Indultum explendum sufficeret, post Paulinam vero ducentas libras Turonicas æquare deberet, hodie Clementina Constitutione vigente, Indulto haud satisfactum intelligi, nisi præbenda valoris sit sexcentarum librarum, deductis singulis oneribus atque præstationibus. Cæterum, si esset litigiosa, aut curam animarum annexam haberet, non teneri Indultarium illam acceptare; sin vero absque justa hac causa eam accipere tergiversaretur, tum ejus recusationem subintrare locum repletionis, eidemque integrum haud relinqui aliud sibi exposcere beneficium. Interim non impediri ipsum, præbenda minoris pretii, verbi gratia quingentarum librarum, acquiescere, si pinguiorem diu-

tius

tius expectare, rebus suis non proficuum ducat. Deinde in Cap. IX pluribus agit de Executoribus Indulti, eum in finem statutis, si Collatores ordinarii nominationi factæ forte deferre nolint. Urget autem hic maxime, non adeundos esse Collatorum Superiores, Episcopos puta, Archi-Episcopos, &c. aut ipsum Pontificem: sed ex Paulinæ Constitutionis præcepto, Abbates S. Maglorii & S. Victoris, quos repræsentat Archi-Episcopus Parisinus, & Cancellarium Ecclesiæ Cathedralis B. Virginis, quæ Lutetiæ est; in ampliata autem Clementina, decretos esse Abbatem S. Dionysii, quæ dignitas jam abolita, Abbatem S. Germani, qui hodie est Cardinalis Fürstenbergius, Archi-Diaconum Parisiensem, horumque Executorum Vicarios. Pluribus deinde persequitur, quænam sit eorum autoritas, quousque duret, quales provisiones Collatori tribuat, & quales in Dataria Aulæ Romanæ impetrare necesse sit, quænam item beneficia in Commendam dari possint, num & illa quæ Regulares proxime possederunt? ac denique de Consilio supremo Regis, tanquam Judice competente controversiarum circa Indultum oborientium, loquitur, sic ut Indultarium manu quasi ducat ad plenissimam beneficii perceptionem. Ultimum Caput Bullas ipsas Summorum Pontificum, quibus integer hic tractatus innititur, Declarationes item Regum, Francisci I, Henrici II, & Ludovici XIV, aliaque publica instrumenta Lectori curioso apprime profutura exhibet. Et cum observaverit, seu oscitantia, seu imperitia Notariorum Apostolicorum, quibus literas Indulti conficiendi cura demandari solet, in non levia discrimina deduci Indultarios, formulas certas annectit, quarum normam tuto sequi liceat. Decem hisce Capitibus universi operis œconomia absolvitur, in quo tametsi plurimum industriæ ac judicii approbaverit Amplissimus Autor, præ singulari tamen modestia, sagaciorum correctiones sibi exposcit, quandoquidem in materia adeo parum explorata, multa se latere potuisse, non dissimulet.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE Ecclesiastique des six premiers siecles, par Mr. TILLEMONT. T. XIII.

i. e.

COMMENTARII COMPONENDÆ HISTORIÆ Ecclesiasticæ inservituri, auctore NANO TILLEMONTIO. Tomus XIII, Vitam S. Augustini complexus.

Parisiis apud C. Robustel, 1702, in 4. chartæ augustæ. Constant 6 Alphab.

DEcimus tertius hicce operis elegantisſimi, ſæpiusque a nobis laudati tomus, quod ſtatim poſt ſeptimum ſequatur, nemo mirabitur, qui inſtituti hujus intellexerit rationem. Pauci effluxere anni, cum Benedictini monachi, viri omnium confeſſione eruditiſſimi diligentiſſimique, poſtquam ſplendidiſſimam optimamque operum Auguſtini editionem curaſſent, ne quid deeſſet, Vitam quoque Auguſtini, ex ſcriptis ejus magno labore concinnatam, eisdem adjungerent, undecimoque tomo infererent; ut ipſimet Actorum A. 1701, menſe Junio p. 251 indicavimus. Ea res deterrere tamen Tillemontium non potuit, quin & ipſe, uti in reliquis hiſtoriæ eccleſiaſticæ capitibus, ita & in vita Auguſtini deſcribenda, operam ſtudiumque ſuum collocaret. Accedebat, quod multi in votis haberent, ut Gallice quoque vita celeberrimi Hipponenſium Præſulis accurate deſcripta extaret. Nonnulli itaque de transferenda in Gallicam linguam Auguſtini vita, a Benedictini ordinis monachis concinnata, ſusceperunt cogitationem, imo etiam manus operi admoverunt. Quæ ſi comparuiſſet verſio, ſolam novitatis gratiam forte præreptura labori Tillemontiano fuiſſet. Hoc vero ſibi non committendum fuiſſe exiſtimarunt, qui edendorum Tillemontii operum curam gerunt, idque eo magis, quod rectius forte vita Auguſtini Gallica lingua ſcripta, quam ex Latino ſermone in Gallicum translata, illorum aut commodis aut deſideriis conſulatur, qui in Gallica lingua eam legere cupiunt. Nec conſilio eventus defuit, cum haud obſcure innuatur, a ſuo deſtitiſſe inſtituto verſionis ejus auctorem, quæ ut editor hujus operis profitetur, non equidem, ſi vel maxime prodiiſſet, quo minus & Tillemontii commentatio lucem adſpiceret, potuiſſet impedire; hoc tamen attuliſſet incommodi, quod pro uno, duo libri eadem ratione

Q

tione idem argumentum tractantes, publico fuissent obtrusi. Etenim non diffitetur editor, maximum, quod inter vitam Augustini Benedictinorum & Tillemontii intercedat, in hoc consistere discrimen, quod illi Latino sermone usi sint, hic Gallico. Eundem ordinem, eandem temporum rationem, easdem de rebus dubiis ac controversiis sententias, utrobique conspici. Arctissima quippe cum Patribus illis Benedictinis, conjunctum fuisse amicitia Tillemontium. Nihil hunc denegasse illis; omnia rursus illos, quæ ei usui esse possent, cum Tillemontio communicasse.

Nihil itaque aliud, quam historiam Augustini, decimus tertius hicce operis Tillemontiani tomus continet. Sed Augustini condere historiam non potuit, quin simul illustrem historiæ ecclesiasticæ partem attingeret, præsertim de Donatistarum quoque & Pelagianorum, qualia hoc tempore fuerunt, fatis exponeret. Mittere in compendium vitam Augustini, non minus difficile, pro nostri quidem instituti ratione, quam supervacaneum, in tanta scriptorum, qui Patrum vitas summatim exhibent, copia foret; præsertim cum ejus capita jam indicata sint, cum Benedictinorum vitam Augustini recenseremus. Ast ne nullum prorsus commodum ex hoc opere Lector capiat, hinc inde quædam decerpemus ac delibabimus. Juventutem Augustini, inter voluptatum & studiorum vicissitudines actam, dum accurate noster describit, inter alia docet, a magia tantum abhorruisse Augustinum, quantum contra astrologiæ judiciariæ fuerit deditus. Ad magiam quod attinet, constat, cum aliquando in locum publicum se conferret, carmen recitaturus, deque palma concertaturus cum aliis, accessisse ad eum magum, qui pro certo pretio victoriam pollicebatur. Rejecit hominem Augustinus, vinci honestius putans, quam hac demum ratione vincere. Vicit tamen, Dæmonis licet præsidio destitutus. Hic ex Tillemontio discas, quis Vindicianus ille fuerit, certaminis præses, qui corona Augustinum cinxit. Medicus is erat summæ existimationis, imo *Comes Archiatrorum*: idem simul Proconsul erat, & hinc demum potestate gaudebat, coronas victoribus in ejusmodi certaminibus imponendi. Ad maximas enim dignitates Comitibus archiatrorum patebat aditus, & ad Vindicianum quod attinet, extat Gratiani Imperatoris lex ad eum ceu Vica-

Vicarium directa, dataque die 15 Aug. A. 378, & alia die 14 Septembr. anni secuti, de privilegiis Archiatrorum. Ex quo colligit, si Proconsulis major quam Vicarii fuerit dignitas, quod contendit Gothofredus, anno demum 378 Vindicianum Proconsulem Africæ factum. Sed de scriptis philosophicis Augustini hic aliquid occurrit, quod nobis non est prætermittendum. Haud exiguum splendorem capere ex eo Philosophorum ordo videtur, quod & Grammaticam, & Dialecticam, & Rhetoricam, & alios ejusdem generis libellos scripserit Augustinus. Sane Mediolani cum esset, scripsisse se Grammaticam ipse testatur, cujus ejusmodi sit initium: *Omnia nomina tredecim.* Extat etiam sub ejus nomine, quæ sic incipit: *Grammatica pariter, ac Dialectica & Rhetorica.* Benedictini hosce libellos ceu spurios, & nomine Augustini indignos, in appendicem rejecerunt, quippe in quibus nec eruditio, nec ingenium Augustini, nec tractandi, qua uti soleat, ratio conspiciatur. Addit hic & alias rationes Tillemontius. Vix verosimile esse putat, eo tempore, cum Augustinus se ad baptismum præpararet, ejusmodi eum scripsisse libros, in quibus Christianismi nec vola nec vestigium compareat. Nec per dialogi modum eos esse scriptos, qua se usum methodo Augustinus profiteatur ipse. Qui & hoc addat, eo consilio se eos composuisse, ut mentem a corporeis rebus ad incorporeas transferret; cujusmodi quid frustra in his, qui hodie sub ejus nomine circumferuntur, quæras. Si regeras, forte eos ad finem non perduxisse Augustinum; ast hoc de Grammatica dici non posse instat, cui utique finem, ut ipse testetur, imposuerit. Nec obstare, idem Grammatices esse initium, quod a se scriptæ fuisse significet; hoc enim facile imitari potuisse impostorem, quicunque etiam fuerit. Benedictini amplius addunt, se hoc initium in nullis codicibus manuscriptis, antiquis, aut recentioribus, invenisse. Quod merito mirum videtur Tillemontio, cum alibi iidem Benedictini afferant, se nullos codices manuscriptos hujus libri unquam vidisse. Id quod cumprimis observatu dignum censemus. Quæ porro hac de re Tillemontius disputat, legi merentur, sed nobis progrediendum est ad alia.

Nobilis quæstio est, an hymnus, *Te Deum laudamus*, Augustinum atque Ambrosium auctores habeat, qui divino afflatu per-

culsi, eum alternis vicibus, cum ab hoc ille baptizaretur, decantaverint? Observat Tillemontius eos, qui hoc asserunt, niti præcipue auctoritate Dacii Episcopi Mediolanensis a S. Gregorio laudati, & mortui A. 551, in chronico. Sibi non constare ait, an istud chronicon impressum sit; ex Bollando fere colligi, non esse impressum, adeoque non posse definiri, num Dacium auctorem agnoscat, & quanta polleat hac in re auctoritate. Menardum prorsus negare, a Dacio hoc esse profectum; tum quod stilus ætati Dacii non conveniat, tum quod de conversione Augustini talia narrentur, quæ & cum iis, quæ Augustinus ipse referat, pugnent e diametro, & viro gravi plane sint indigna. Menardo & Joannem Bonam aliosque subscribere: quanquam Tillemontius dubitet, an Menardus hoc chronicon unquam viderit. Certiora docuisse Mabillonium, contineri in hoc chronico historiam VIII & IX seculi; codicem manuscriptum sexcentis annis non esse antiquiorem; titulumque, qui Dacii nomen præfert, a recentiori manu esse adjectum, quæ rem prorsus conficiant. Nec posse certi quicquam de auctore hujus hymni statui, cum nonnulli codices eum tribuant S. Abondio, Episcopo forte Comensi, tempore S. Leonis; alii nescio cui Sisibuto, alii Niceto cuidam. Unicum codicem manuscriptum 400 aut 500 annorum, Ambrosio eum vindicare, & Smaragdum, qui secundum Aubertum Miræum A. 980 scripserit, eum vocare hymnum Ambrosii. Nec deesse, qui Hilario Pictaviensi eum asserant. Nihil ergo posse definiri. Sed revertamur ad ea tempora, cum adhuc in Manichæorum erroribus hæreret Augustinus. In his dum versatur Tillemontius, Fausti quoque celebris Manichæi injicit mentionem, cujus hic conspicere imaginem a nostro delineatam, neminem forte pigebit. Erat ille patria Milevitanus, ex Numidia Africæ provincia. Patri res angusta domi erat: filius in Manichæorum secta magnum nomen adeptus, Episcopique inter eos titulo insignis, Romæ opibus affluebat. Virtutis speciem magno conatu consectabatur; saltem verbis ad fallendos incautos compositis. Dereliquisse se ajebat patrem, fratrem, uxorem, liberos, omnia, Evangelii causa, nec aurum sibi esse, nec argentum, necessaria vix in dies singulos suppetere; nec se ulterius quic-

quicquam adpetere; didicisse se esse pauperem, humilem, abjectum, purumque corde; sitire & esurire, & pro justitia cuncta perpeti. Hæc tam splendide mentitum Faustum, vitam maximas inter delicias duxisse. Ad injurias, quas se perpessum jactitabat, quod attinet, non equidem negat Tillemontius, raptum eum ab Orthodoxis, cum quibusdam ejusdem sectæ, ad tribunal Proconsulis Africani, cumque se Manichæum esse fateretur, ipsis accusatoribus intercedentibus, quam mitissime in eum animadversum esse, relegatione in insulam quandam, ex qua tamen mox revocatus sit, venia ab Imperatore omnibus concessa. Doctrinam in eo aut mediocrem, aut omnino nullam fuisse; at ingenio & eloquentia eum præstitisse omnibus. Verborum itaque lenociniis eum multos ad suas pertraxisse partes: indeque famam & auctoritatem summam apud suos eum consecutum. Mirifice eam ob caussam sibi placebat, tantaque ei erat virium suarum fiducia, ut librum quoque contra Ecclesiam, multis in Deum ipsum obtrectationibus refertum, scriberet. Audacter in eo contra Deum legis auctorem disputabat, pariter ac contra divinos vates, Christumque carne indutum negabat, Scripturæ oracula, quæ sibi obstare videbantur, corrupta clamitabat. Et hunc quidem ipse, cum ad saniorem mentem rediisset, refutavit Augustinus. Ast cum in Manichæorum adhuc persisteret erroribus, necdum vidisset Faustum, in Africa quippe constitutus, cum ille Romæ degeret, miro & incredibili flagrabat desiderio coram intuendi illum hominem, cumque eo colloquendi, in quo laudando & in cœlum evehendo, reliqui eidem sectæ addicti nec finem, nec modum faciebant. Videbatur sibi Augustinus supra vota felix, cum ille tandem adventaret. Adspiciens hominem eo corporis habitu, quo facile cunctorum animos sibi conciliaret, & insigni sermonis ubertate verba facientem audiens, calculum suum adjiciebat illorum sermonibus, qui tantopere Faustum commendaverant; sed propius & cominus eum introspiciens, in disceptationibus familiaribus, ubi eloquentiæ fuco nullus locus, longe alium deprehendit, nudum inopemque solidioris doctrinæ, hoc tamen nomine laudandum, quod modestiæ ubique retineret speciem, nec ignorantiam diffiteretur, cum dubiis Augustini solvendis se parem non intelligeret. Speraverat is

a tanto heroë exemptum ſibi iri, quicquid in Manichæorum familia ſcrupulum movebat: aſt hunc cum ita impeditum & involutum ſuiſmet erroribus videret, ut ipſe nullum inveniret exitum, dubia magis indies atque incerta Manichæorum doctrina illi viſa eſt. Ita qui confirmare Auguſtinum vel maxime in Manichæorum ſententia poſſe exiſtimabatur, occaſio extitit, ut incertior redditus, magis vacillaret, donec veritatis uberiori luce colluſtratus, eam prorſus deſereret.

Qui ad Philoſophiam Patrum attendunt, operæ faciunt pretium. Haud raro namque in ea cauſæ & origines ſingularium quarundam, quas fovent, ſententiarum deprehenduntur. Multis doctiſſimis viris in votis fuit, ut ſaltem Platoniſmi Patrum (Platonis enim placita pleroſque ſecutos fuiſſe, conſtat) accuratius evolverentur; quod tamen a nemine eo, quo par erat, ſtudio factum. In Auguſtino, Platonicæ doctrinæ veſtigia facile deprehendas. Ipſe fatetur, ad Dei cognitionem ſe lectis quibusdam Platonis & Platonicorum libris, quos Victorinus, celebris Rhetorices apud Romanos profeſſor, in linguam Latinam tranſtulerat, fuiſſe manuductum. Ex iis ſeſe didiciſſe, nihil in Deo corporeum eſſe; cum cæterorum Philoſophorum libri commentis & fallaciis ſcateant, ſolos Platonicos ad Deum mentem elevare, adque æternum Verbum. Fatetur, in Platonicorum ſe legiſſe libris, quæ de τῷ Λόγῳ Joannes, & Paulus de Patris Filiique æqualitate commentantur: didiciſſe ſe ex iſtis, æternum, æque ac Patrem, eſſe Filium, & ante omne tempus, & ſupra omne tempus, immutabili exiſtentia extitiſſe; easque animas beatas eſſe, in quas ſuam Filius effundat gratiam, nec ad ſapientiam venire quenquam, niſi qui æternæ ſapientiæ fiat particeps. Hæc ſimiliave ex Platonicis ſeſe dum hauſiſſe Auguſtinus profitetur, palam eſt, in ea illum fuiſſe opinione, in præcipuis religionis capitibus, de Deo Filiique dignitate, eadem prorſus & Chriſtianos & Platonicos docuiſſe. Imo addit diſerte, quod humano corpore indutus inter mortales comparuerit Servator, hoc ex Chriſtianorum ſe accepiſſe diſciplina, cetera, quæ de τῷ Λόγῳ Chriſtiani credunt, Platonicæ ſe debere doctrinæ. Tantum ergo cum Platoni tribuerit Auguſtinus, quid mirum, ſi & alia ejusdem philoſophi placita retinuerit? Ab amico de reminiſcentia quæſi-

tus,

tus, num corpori, an menti hæc tribuenda, respondet, ad mentem tantum eam pertinere, cum nobis obversantur rerum incorporearum ideæ, ut æternitatis; corporearum contra rerum imagines, per sensus demum nobis offerri. Laudat hic maximopere reminiscentiam, quam Plato docebat, eamque nobile inventum adpellitat; imo si Tillemontio nostro credimus, haud procul ab ejus sententia abest, cognovisse jam quædam mentem nostram, cum nondum corpori esset unita. Nec tamen prætermittendum, quod idem addit, in prioribus suis scriptis quædam liberius asseruisse Augustinum, quæ in posterioribus emendaverit. Cæterum ut magna apud Augustinum Platonis fuit auctoritas, ita contra Academicorum neutiquam illi se adprobabat σκέψις. Cum jam ad meliorem mentem rediisset, haud raro cum amicis de rebus gravissimis disputabat, conventusque eum in finem peculiares instituebat. In his quid dictum actumve esset, accurate consignabat literis, quæ aliquot scriptorum, hoc tempore ab Augustino editorum, fuit occasio. Is, quem contra Academicos scripsit, liber pro primo hujus instituti fructu reputandus. Ad eam enim vitæ, quam sibi proposuerat, rationem, nihil æque necessarium esse putabat, quam scrupulis dubiisque omnibus procul remotis, ea seligere, in quibus mens tuto acquiesceret. Ostendit cumprimis in hoc libro, ut Tillemontius observat, maximo se exponere periculo, imo crimine obstringere, qui in vita regenda tutum putent, probabilem sequi opinionem; ex quo colligas, quantopere ab illis dissideat, qui probabilis opinionis usum, puppim ac proram doctri æ suæ moralis esse volunt. Idem & de Academicis mitius sentit, quam vulgo fieri solet, negatque revera & ex animi sententia illos statuisse, veritatem neutiquam cognosci posse. De Philosophis etiam sui temporis ibidem docuit, omnes ad unam tandem reductos fuisse sectam, quæ doctrinam ex Platonica & Aristotelica compositam profitebatur. Enimvero hosce inter se conciliare, ne dissensus a Christianis objiceretur, Plotinus aliique maximopere elaborarunt.

Addendum vero, ut nunc ad alia digrediamur, aliquid est, de vita moribusque Augustini, postquam jam Episcopi munere fungeretur. Namque quæ ad dogmata, certamina, scripta, publicave negotia pertinent, accurate exponere solent, qui de doctoribus

ribus

bus ecclesiasticis agunt; cum tamen & vitæ eorum consuetudinem cognoscere, jucundum non minus quam salutare sit. Nec hanc nos ignorare Tillemontius voluit, qui omnia studiose collegit. Infirma fuisse eum valetudine, corporeque non adeo robusto ait. Ast in tenui corpore spiritus erat vegetus. Dolores corporis tam patienter tulit, ut de iis, quæ eos lenirent, sobrie utendis magis, quam de recuperanda sanitate sollicitus esset. Idem & nullos reformidans labores, nulla extimescens incommoda, boni pastoris strenue ubique functus est munere. In vestitu nec splendidus, nec sordidus, mundiciem potius, quam luxum amavit. Vestes tales sibi afferri (ut illorum temporum mores ferebant) voluit, quas induere & inferioris conditionis homines possent, siquidem, quod solenne illi admodum erat, eas aliis donaret. In victu, ad temperantiam & sobrietatem cuncta composita. Herbæ & legumina esurientem satiabant, nec alia in mensa fercula, nisi hospitum, & adversa valetudine laborantium, præsentia alia postularet. Hospites namque haud raro mensæ admovebat, etiam peregrinos & ignotos, satius esse dicens, vel impium convivio excipere, quam rejicere pium, intempestivo, ne improbos excipiamus, metu. Vinum semper aderat, ne cum Manichæis res a Deo conditas damnaret, utque doceret, per hominum demum cupiditates res fieri pravas. Pro bellariis, lectio aut de rebus salutaribus instituta sermocinatio erat: parum autem profutura, aut indecora loquentes non ferebat, acriter quandoque reprehendebat. Hæc aliaque, de vita moribusque Augustini, ex ejus scriptis Auctor accurate observavit.

Dogmata Augustini si indicare hic vellemus, rem haud dubio magnæ susciperemus molis. Nec Tillemontius in iis ex instituto versatur, qui vitam potius quam doctrinam optimi Præsulis exhibet. Ast quæ de origine sententiæ, quam de prædestinatione fovit, observat, commemorare juvat, cum saltem illis, qui non omnes excusserunt historiæ ecclesiasticæ recessus, prodesse queat. Dubia quædam Augustino proponebat Simplicianus, & inter alia nonnulla super Epistolam ad Romanos. Accuratius ergo revocare sub examen, quæ in ea δυσνόητα videbantur, instituit, licet jam aliquid in eam Epistolam commentatus esset. Ad

hæc

hæc verba ergo: *quid habetis, quod non accepistis?* cum venisset, mutavit sententiam, cumque antea asseruisset, positam fidem esse in hominis potestate, auditoque verbo Dei penes eum stare, velitne credere aut non credere, nunc tandem intellexit, fidem esse donum Dei. In hoc ipso itaque opere, quo Simpliciano respondet, gratiæ atque naturæ vires accurate inter se invicem confert atque contendit; cumque initio pro libero arbitrio, quicquid dici potest, dixisset, victoriam gratiæ concedit, & licet diserte prædestinationem non stabiliat, ejusmodi tamen, ut Tillemontius auctor est, fundamenta ponit, ex quibus haud difficili negotio deducatur. Hæc ergo si locum habeant, dici non potest, quod certamina cum Pelagio in hanc deduxerint sententiam Augustinum. Tillemontius autem non dubitat, quin Deus Augustino sententiam de prædestinatione inspiraverit; idque modestiæ suæ a Deo tulisse præmium Augustinum, quod ab initio professus esset, cum iis viribus, quæ ad veritatem in tanti momenti dogmatibus perspiciendam requirantur, instructus non sit, se tamen confidere, ob merita & preces Simpliciani, revelaturum sibi Deum rectam sententiam. Potuisse etiam ait huc aliquid conferre unctionem sacerdotalem, cum primus hicce Augustini fœtus sit, ex quo ad Episcopalem dignitatem erat evectus. Tum enim singulari gratia ac lumine velut perfusum Augustinum, clarius hancce perspexisse veritatem. Hæc mens Tillemontii est, de qua judicium ferant, quorum interest, plenius talia discutere. Nobis unicum adhuc addendum, priusquam Tillemontium dimittamus. Etenim dum de concilio Africano A. 426 habito verba facit, simul in celebrem istam ingreditur disputationem, an in eo Episcopis appellationes, quas vocant, seu provocationes ad Romanam Sedem sint prohibitæ? Affirmat hoc intrepide cum Petro de Marca. Profitetur, se non de jure disceptare, sed de facto, quod historici proprium munus sit. Epistolam autem, quam Africani Patres in hoc concilio ad Cœlestinum Papam dederunt, non alium admittere sensum; idque tum aliunde, tum ex hoc etiam manifestum esse, quod & generatim canones Africanæ Ecclesiæ provocationes ultramarinas prohibeant, & speciatim in canone 28 innuatur, sæpius jam ejusmodi provocationes prohibitas fuisse. Nihilo-

hilo secius Baronius in ea versatur sententia, Africanos Patres neutiquam rogare Pontificem, ne provocationem admittat, sed ut in iis ad canonum ecclesiasticorum & justitiæ leges se componat. Sed epistolam Patrum Africanorum adeo hanc interpretationem non admittere, Auctor docet, ut & alii eam rejecerint, qui ceteroquin cum Baronio appellationes tum non fuisse prohibitas, sibi persuadeant. Perronium Cardinalem non abnuere, quin appellationibus hæc epistola adversetur, ast huc tandem se recipere, quod nullus hac de re tum conditus sit canon. Quasi vero, inquit Tillemontius, epistola synodalis non sit instar canonis? Schelstratenum dicit de jure potius, quam de facto disputare. Ast omnium turpissime se hac in re traduxisse Christianum Lupum, de quo & alibi hisce ipsis in Actis a nobis dictum est. Huic non satis est, ut Tillemontius monet, asserere, appellationes Africanorum Episcoporum ad Sedem Romanam semper fuisse in usu, sed palam injurius est in concilium Africanum, quod istas appellationes prohibuerit: *respondeo*, inquit, *turbida hæc Africanæ synodi sensa jamdudum proscripta atque damnata ab omni ecclesia &c.* Hæc verba licet sua quoque fecerit Schelstratenus, non tamen Auctor dubitat, quin Romæ & ubique a cordatioribus damnata sint, cum manifesto quippe opprobrio in Augustinum, Alypium aliosque sanctissimos Episcopos conjuncta. Nec potuit hic sibi temperare, quin adderet, Christianum Lupum non adeo peritum fuisse historiæ ecclesiasticæ Africanæ; id quod aliquot exemplis luculenter comprobat. Ad canonem vigesimum octavum, cujus supra injecimus mentionem, quod attinet, in quo asseritur, sæpius jam ejusmodi provocationes prohibitas fuisse; Schelstratenus quidem, Baronius, atque Perronius eum interpolatum, & verba ista de Episcoporum appellationibus, a quodam Romanæ Ecclesiæ inimico, adjecta fuisse, contendunt. Petrus de Marca autem adjecta quidem hæc verba concedit, sed ab ipso collectionis istorum canonum auctore. Utrique sententiæ dubia gravissima erudite opponit Tillemontius, ex quibus facile conficias, frustra esse, qui interpolatum istum canonem clamitant. Sed & alia de eodem argumento hic disputat, quæ legisse neminem pœnitebit.

Et hæc quidem sunt, quæ de præclaro Tillemontii opere dice-

dicere placuit, saltem ne nihil dixisse videremur. Etenim ipsam vitam Augustini si quis in compendium mitti a nobis potuisse putaverit, præterquam quod, ut diximus, hoc supervacaneum fuisset, næ ! eum ignorare oportet, haud exiguam historiæ ecclesiasticæ partem, istius quidem seculi, speciatim notissima ista Ecclesiæ cum Pelagianis atque Donatistis certamina, quæ vel sola, etiam paucissimis descripta, integrum librum postulant, in vita Augustini una comprehendi. Selectum vero instituere oppido difficile, ubi ipsa rerum pulcherrimarum copia obruimur. Ad commendationem operis sufficit, a Tillemontio hoc scriptum esse, viro in historiis tam exquisitæ industriæ, ut vix verbum sine testimonio, quæ præcipua historici laus est, proferat.

MECHANICAL ACCOUNT OF POISONS.

i. e.

MECHANICA RELATIO DE VENENIS, IN ALIquot Exercitationibus exhibita a RICHARDO MEAD M. D.

Londini apud Rudolph. Schmith, 1702, 8.
½ Alphab.

IN Tractatu hoc, quinque Exercitationibus circumscripto, cogitata sua, quæ de Venenorum natura & modo operandi fovet, cum Orbe Literato communicare non dubitavit Author Clarissimus, *in I. de Vipera*, *in II. de Tarantula*, *& Cane rabioso*, *in III. de Mineralibus & Plantis Venenatis*, *in IV. de Opio*, *in V. de Exhalationibus ex Terra*, *Aere & Aquis venenatis* agens. De singulis pauca.

Etiamsi viperas in pœnam hominum unice a divina Nemesi productas esse crediderit antiquitas, tantum tamen abesse, ut liquor iste, qui sub morsu ab eis evomitur, ad hominum internecionem destinatus sit, ut potius ad individui conservationem necessario requiratur, sibi persuasum habet Noster. Supponit enim, lacertas, ranas, bufones, sorices, & talpas, vivos & integros ab animali hoc deglutiri, & partim in ventriculo, partim in œsophago ad aliquot dies asservari, donec a liquore dicto per gulam descendente

dente, ne loco alimenti noxam afferant, interempti, ſenſim atque ſenſim in chylum transmutentur. In hoc liquore vitro excepto, per microſcopia primum particulas ſalinas fluctuantes, paulo poſt in cryſtallos ſubtiliſſimas & acutiſſimas faceſſentes, quibus noduli quaſi intertexti erant, conſpexit; ita ut integra textura telam aranearum, ſed maxime tenuem præſentaret. Factis cum eodem quibusdam experimentis, eum tincturam heliotropii in rubicundum, & ſyrupum violarum non exacte equidem in rubrum, certe non in viridem colorem mutaſſe vidit, atque exinde ſalia iſthæc ad acidorum potius, quam alcalicorum claſſem eſſe referenda, judicat. Poſtquam igitur ſpicula hæc ſalina in vulnus cum impetu fuerunt adacta, totidem ſtimulorum ad inſtar, ex Authoris mente, membranas vellicando & irritando, copioſiorem excitant humorum affluxum, & tumorem, inflammationem, ac livorem parti adferunt; ſanguini autem admiſta hujus particulas diſſociant, & mixturam naturalem deſtruunt, ita ut ex varia globulorum cohæſione, tam differens a naturali fluiditas, & ad partes impulſus oriatur, totaque ejus natura alteretur. Contra quod venenum, præſentiſſimum pronunciat remedium axungiam viperinam, ſi ſcilicet hæc mox a morſu vulneri applicetur; quatenus viſcidæ ejus & ſimul penetrantes particulæ ſpicula ſalina, ne in cryſtallos coëant, involvunt; interne autem ſal volatile viperarum propinare jubet, a quo pariter, quemcunque caro earum præſtare perhibetur, effectus dependet.

Tarantulæ ex ore prominent bina jacula, inſtar forcipum hamatarum, vel chelarum cancrinarum, quæ venenum in vulneratam cutem immittunt, quod ſanguini ex climatis calore exaltato admiſtum, texturam atque craſin ejus alterat, & impetum ad partes auget, in ſpecie fluidum nerveum in varios undulatorios motus cogit, ſimiles illis, quos variæ objectorum impreſſiones excitant: hinc modo lætabundi, modo triſtes obſervantur ægri. Sub qua alteratione coagulatur certo modo ſanguis; quemadmodum fœminæ, quæ in calida hac regione chloroſi, i. e. arteriarum infarctu & circulatione ſanguinis tardiore laborant, eadem patiuntur ſymptomata, eademque iterum ac tarantati methodo ſanitati reſtituuntur. Muſica præterquam, quod voluptatem excitet, &

& mentem disponat, ut copiosiores spiritus animales ad partes ableget, hasque ad motus & saltus cogat, quibus per sudorem magna partium inflammabilium copia eliminatur; ex eo etiam capite a tarantula ictis opem fert, quod repetitæ aëris percussiones corporis membranas, imprimis aurium, afficiunt, & cerebri his continui membranis & vasis communicant; unde cohæsio partium sanguinis p. n. dissociatur, & coagulatio solvitur, ita ut, calore per sudores temperato, & coagulatione per fibrarum muscularium contractiones destructa, æger pristinæ conditioni restituatur: ad quod tamen determinatus impulsus, & particularis modulatio, per harmoniam instrumentorum musicorum inducta, non parum tribuit. Quemadmodum enim in omnibus hominibus non eadem est membranarum tensio, ita non ad omnes singuli, sed determinatas afficiuntur modulationes, eodem modo, ac una chorda percussa non omnes, sed æque tensas ad undulationem perducit, & vitra non ad omnes, sed determinatas voces diffringuntur.

Rabies in canibus effectus est febris violentæ, quæ sub æstatis calore intensiore accenditur, & cum per sudores canes heterogeneitates eliminare nesciant, augetur, ita ut in glandulis copiosior lympha, eaque salinis & activis particulis referta, secernatur; quæ si per morsum sanguini hominis affricetur, fermentorum instar se multiplicat, & effervescentias p. n. humorum, & spirituum animalium motus inordinatos concitat. Hinc quoniam eodem motu hi moventur ac in canibus, non mirum, quod canibus furiosis similes actiones, prout organorum constitutio id permittit, (morsus puta, latratus &c.) exerant homines rabiosi. Prout igitur fermentum hoc communicatum plus minus debile, ægri constitutio valida vel tenera fuerit, aliæve infinitæ concurrant circumstantiæ, effectus ad tempus quandoque satis longum modo sopiti jacent, modo statim se exerunt. Ab hoc veneno producta hydrophobia oritur, paucos ante mortem dies, & quando ad ἀκμὴν pervenit rabies, quoniam liquores tum hausti dolores immensos procreant, non solum quando sub deglutitione inflammatas membranas irritant, verum etiam, quando cum humore gastrico activis particulis imprægnato miscentur, & fermentando quasi nerveam ventriculi tunicam vellicant; cujus molestæ & vix tolerabilis sen-

ſationis memores, omne non abhorrere ægri fluidum non poſſunt. Præter interna remedia, quæ partim acidum abſorbendo, partim urinam provocando operantur, certiſſima cura ſperanda eſt a frequentiore & tempeſtiva ſubmerſione ægrorum in aquam; quatenus per conſtrictionem fibrarum cutis & vaſorum, urina provocatur, qui effectus eo citius expectabitur, ſi in aquam marinam, majore preſſione pollentem, immergatur æger: quanquam & terrori ſua energia non ſit deneganda.

Ex mineralium venenatorum claſſe, mercurius ſublimatus & arſenicum ſub incudem vocantur. Etiamſi enim ſal & mercurius per ſe nullam corroſionem efficiant, miſta tamen in mercurio ſublimato eam præſtant. Mercurius enim in ſubtiliſſimas licet ſub ſublimatione redactus particulas, has tamen ponderoſas admodum obtinet, quæ ſe in poros inſinuando, particularum ſalinarum has majori pondere armant, & quo minus ſtatim ab humore gaſtrico ſolvantur, impediunt. Cryſtalli itaque inde paratæ, tanquam totidem cultelli, vulnerando teneras ſtomachi membranas, immenſosque producendo dolores, cum muci naturalis abraſione, & continuis vomitibus conjunctos, in vaſis capillaribus hinc inde affiguntur, ſicque ſanguinis ſtagnationes, inflammationes, ulcera & gangrænas producunt. Emetica vel purgans evadit medicina mercurius ſublimatus, ſi mercurius vivus ei ſub certa proportione addatur, & aliquoties ſublimetur maſſa; ſic enim ſub frequentiori ſublimatione, cryſtalli ſalinæ in magis minutas diffringuntur portiones, dum particulæ mercuriales, citius aſcendendo, poros ſalium relinquunt, atque alia partium combinatio ſuccedit, ita ut ſpicula obtuſa, licet vellicationes præſtent, non tamen penitius penetrent, nec vulnerent. Sin autem mercurius iſte dulcis, vel propter partium robur, vel alias ob cauſas, tales effectus non exerat, tum liberatæ particulæ mercuriales in primis viis a ſalinis ad maſſam ſanguineam pergunt, humores viſcidos in vaſis capillaribus attenuant, & ſalivationis authores exiſtunt. Arſenici vis itidem ex eodem dependet principio, quatenus regulus hujus mineralis pondus & impetum concedit particulis ſalinis; in eo tamen a priori differt, quod conjunctum habeat ſulphur, quod non ſolum reliquas partes inſtar vinculi combinat, & ſic robur auget, verum

etiam

etiam, cum consistat particulis igneis & calidis, inflammationes eo citius promovet. Quod arsenicum in peste a quibusdam circa cordis scrobiculum gestari jubeatur, ex errore factum esse judicat Noster; siquidem veteres Arabes *Darsini*, i. e. cinamomum, amuleti instar ad pestem præcavendam commendarunt, quod vocabulum interpretes retinuerunt, & eorum successores, loco Darsini, arsenicum substituerunt. Mittimus plantas venenosas, ex quibus cicuta & aconitum examinantur, quæ cum particulis calidis, acribus & corrosivis constent, rarefaciendo humores stomachi, hujusque membranam stimulando, sua producunt symptomata. Quod autem effectus, qui venena mineralia sequuntur, alii sint ab illis, quos vegetabilia exerunt, etiamsi utraque eadem habeant principia, causam eam esse putat Author Clarissimus, quod mineralium partes magis solidæ, membranas stomachi erodendo, statim gangrænam & mortificationem inducant; salia autem vegetabilium magis flexilia, exilem excoriationem, & superveniente dolore enormi, sensim mortem inferant: item quod mineralia primas vias nunquam, vegetabilia quandoque superent.

De opio ejusque effectibus multum commemorare, jam supersedemus, siquidem Authoris hypothesis eadem est cum illa, quam anno 1701, mense Octobri pag. 441, Jonis Mysterium Opii revelatum recensentes commendavimus, adeoque opium venenorum classi non adscribit Noster, cum, nisi in majori dosi assumatur, noxam nullam inferat.

Fumos malignos, & aërem malignum, impraegnatos esse mercurialibus, arsenicalibus vel similibus deleteriis miasmatibus, negat, & in exemplum allegat famosam illam cryptam, la Grotte del cane Italis dictam, & a nobis in Actis anno 1696, tab. IX depictam. Interimit enim hæc canes immissos, quoniam hi loco aëris fumos minerales, particulas ponderosas nactos, inspirant: unde tantum abest, ut circulatio sanguinis promoveatur, ut potius aër ex vesiculis pulmonum expellatur, unde istæ pondere hoc minus proportionato compressæ & relaxatæ subsidunt, atque circulationem sanguinis intercipiunt. Hasque particulas minerales vitriolicæ esse naturæ, ex viridescente muri colore quodammodo deducit. Atque exinde clarum evadere credit, quomodo ejusmodi altera-

tio

tio atmosphæræ, qua mephitica redditur, i. e. non particulis mercurialibus, arsenicalibus &c. impraegnatur, sed quoad gravitatem augetur, & quoad elasticitatem imminuitur, (quod contingit, quando cum nimio æstu copiosæ particulæ aqueæ aliæque grossiores ipsi admiscentur) epidemicos morbos & febres malignas producere valeat. De aquis venenatis dum loquitur, etiamsi non neget, admisceri qnandoque eisdem moleculas minerales venenatas, nihilominus tamen constanter asseverat, nocere quandoque aquas manifestis ejusmodi particulis venenosis expertes; dum enim e. g. ex aquis stagnantibus cerevisia coquitur, particulæ argillosæ, salibus metallicis onustæ, in corpore humano non digeruntur, concretiones calculosas, non modo in renibus, vesica, & juncturis producunt, & ut Hippocrates loquitur, magnos lienes efficiunt, sed etiam corrosiva sua virtute, ventriculum & intestina vellicando, alimentorum digestioni obicem ponunt, imo massæ sanguineæ admistæ, exiles insensibilis transpirationis canales obstruunt.

EXERCITATIONS CRITICAL ON SEVERAL important places in the Writings of the Old and New Testament &c.

i. e.

EXERCITATIONES CRITICÆ, HISTORICÆ, Philosophicæ & Theologicæ in varia Scripturæ V. ac N. Testamenti loca, Autore JOH. EDWARDO, D.

Londini, apud J. Robinson, J. Lawrence, & J. Wyat, 1702, in 8.

Constat 1 Alph. 8 plag.

QUas benevolo Lectori ob oculos ponimus Exercitationes sacras, eidem acceptas ferimus Reverendi & in his Actis sæpius a nobis laudati Autoris instituto, quod in edendis, ante annos aliquot, duobus Criticarum in divinum utriusque Instrumenti codicem Observationum libris, quorum unum A. 1693 pag. 49, sqq. recensuimus, tenuit. Hi enim cum se mirifice erudito orbi approbassent, amicorum dare locum precibus, suamque in his adornandis dissertationibus operam, sepositis interim aliis, ponere

re porro voluit. In quibus enarrandis ita nunc versabimur, ut primum Dissertationum omnium argumenta, quæque de singulis Autori mens sit, brevissimis exponamus: tum vero ex universis unam seligamus, cujus ex accuratiori recensione, quod de reliquis ferendum judicium sit, æstimare Lector queat.

Ex Veteri Testamento, cui Partem primam destinavit, IX oracula totidem excussit exercitationibus: quarum I. de prima rerum omnium origine, ex Gen. I, 1. instituit, istudque *bereschit* Mosaicæ p. 2.
narrationis, mundi item, nostræque professionis complecti auspicium; vocabulo *Elohim* ad S. Trinitatis mysterium digitum non intendi; inconditum porro ac informe illud, quod fingitur, Chaos nullum fuisse, docet: quibus varias de ætate mundi, annique, qua creatus fuerit, tempestate sententias subnectit. In II. diluvium ex p. 26.
Gen. VII, 19. contemplatur, ejusque tum universalitatem probat, p. 44.
tum causas & originem ad pelagum refert. In III. ad Ex. III, 22. nullam Ægyptiis intulisse Israelitas injuriam censet, cum spolia haud invitis eriperent. In IV. varia diabolicarum artium genera, p. 54.
Deut. XVIII, 10. 11. commemorata, distincte ac ordine exponit. p. 71.
In V. Samuelem a Pythonissa I. Sam. XXVIII, 8. 11. verum suscitatum negat, & Dæmonem quendam formatum a se corpus Samuelis induisse specie ac habitu, probat. In VI. idolum Baalzebub p. 81.
II. Reg. I, 2. vi vocis, non muscarum Dominum, sed in appositionis statu, Dominum Muscam notare evincit. In VII. ex Esr. p. 90.
II, 1. geminam Judaicæ gentis insigniorem captivitatem, quarum altera tribus decem, altera mox reliquæ duæ, eæque septuplici migratione, patrium vertere solum coactæ fuerint, variosque inde & complures captivorum reditus fuisse, demonstrat. In VIII. ex Eccl. III, 24 quid ab humana anima bruti differat spiritus, osten- p. 110.
dit, & corporis primum, tum & humanæ mentis tradit naturam; tandemque creatos omnes spiritus in quatuor dispescit classes, angelorum scilicet, humanarum mentium, brutorum, & vegetabilium. In IX. sacramentorum novi Testamenti in veteri deprehendit p. 130.
vestigia, præmissisque ante variis utriusque mysterii typis, maxime ex Cant. VII, 2. baptismum pariter ac cœnam Domini eruit & declarat.

Partem secundam Novo Testamento sacram esse voluit, ejusque

Exerc. I. ex Matth. XIII, 55. sq. in opificium vitæque genus utriusque
p. 143. in terris Parentis Christi inquirit; & quos fratrum sororumque appellatione dignatus Servator fuerit, confutatis in contrarium rationibus, exponit.
p. 172. In II. varia circa passionem Christi momenta altius expendit, & ex Matth. XXVII, vers. 32. Simonem in bajulanda cruce, non mutuam alternis, quod vulgo creditur, vicibus, sed sociam ferenti Christo operam præstitisse: ex v. 33. Calvariæ montem, veterum monumentis, & ipso Adami, si fides autoribus constat, busto celebrem, haud alium a monte Morijah fuisse: versum 34. nihil pugnare cum Marc. XV, 23. duosque patienti Christo porrectos a Judæis diversis temporibus poculos fuisse, contendit. Porro autem v. 37. inscriptionem cruci Domini præfixam sub censuram vocat, & observata prius inter ἐπιγραφὴν & τίτλον differentia, cum in recensendis ejusdem verbis minus inter Evangelistas conveniat, unius Johannis genuinam ejus exhibere structuram & sententiam affirmat. Sic circa v. 46. Matthæum cum Marco componit; & ad v. 47. rationem reddit, qui tanta Judæos vernaculæ suæ ceperit oblivio, ut Jesum, cum Dei opem posceret, Eliam in partes vocasse criminarentur? Demum cur v. 48. hyssopum potioni miscuisse legantur Judæi, declarat.
p. 215. Exerc. III. Marc. XIII, 32. genuinam verborum sententiam indagat, & Grotium, horam latius sumpti temporis ambitum definientem, refutat: tum & judicii horam Christum latuisse, ex Athanasii mente, de humana ejus interpretatur natura.
p. 224. In IV. ad Luc. III, 2. Annam atque Caipham eodem temporis tractu summo functos esse sacerdotio, negat; Annam ratus hoc titulo mactari, quod superiori anno hoc dignitatis fastigium tenuerit.
p. 263. In V. postquam triplici epulo paschalem constitisse cœnam probasset, ex Luc. XXII, 21. prioribus duabus, non postremæ item, neque adeo Dominicæ Judam interfuisse cœnæ, demonstrat.
p. 284. In VI. Rom. VII, 14. sqq. non de gentili nec dum renato homine, sed de se ipso sermonem Paulo esse, quam ob rem ad regenitum & conversum quemque idem haud immerito trahatur, confirmat.
p. 325. In VII. dicti Apostolici I. Cor. III, 15. quod prius a variis, tum veterum tum recentiorum, depravationibus vindicat, hunc genuinum sensum tradit: quid sanam inter puramque, & corruptam intersit doctrinam, ex facili di-

dignosci, si ad lucem utraque diemque proferatur, qui & cujusque conscientia sit, & splendor cumprimis verbi divini; per quem tamen ipsum quilibet servetur, qui missis, quæ ante superstruxerat, stipulis & lignis, ad meliorem redeat frugem. Exerc. VIII. in classico illo I. Tim. III, 16. vocem Θεὸς in originali textu legi, contra Socinianos & Grotium (cujus tamen annotationes in Epistolas alienum fœtum, falsoque Grotii præferre nomen, p. 350. statuit, & p. 368. repetit) probat; demonstratum Spiritu, non Evangelium, quod Grotius vult, sed Messiam, miraculis divina Spiritus Sancti virtute patratis inclytum, explicat; indeque peccatum in Spiritum S. quod in præfracta collocat miraculorum abnegatione, derivat; vel potius demonstratum Spiritu Christum celebrari, cum in hominum mentibus approbatus legatur: qui ab Angelis visus, qui de Christo homine testimonium ipsi tulerunt, ac inter gentes evangelica prædicatione post mortem suam annunciatus, ac a gentili orbe creditus, tandemque cum cœlos conscenderet, receptus cum gloria fuerit. Exerc. IX. qui testes sint terreni I. Joh. V, 6. 7. 8. commemorati, exponit; rejectisque aliorum, quorum mentionem facit, interpretationibus, in literali sensu ad passionem Christi respici, & per spiritum, Servatoris animam in cruce corporis exsolutam vinculis, per aquam & sanguinem, utrumque ex transverberato lancea ipsius latere fluentem cruorem intelligi: mystice vero per spiritum, communicationem Spiritus Sancti, cujus credentes fiant participes; per aquam, sanctimoniam eorundem ac innocentiam, ipsiusque puritatem doctrinæ æque ac baptismum; per sanguinem, mortis cruentæ Christi fructum designari docet, piasque Patrum ac Theologorum, non ita multum ab hac abludentes explicationes subjungit. X. tandem, eaque exercitatione ultima, naturalem de serpentina calliditate commentarium struit, & occasione verborum Matth. X, 16. tum quoad nobis serpentes imitari integrum sit, tum quo pacto fuci omnis ac doli, columbarum ad instar, expertes nos esse conveniat, demonstrat.

p. 348.

p. 371.

Postquam ita brevem, rudique, quod ajunt, penicillo expressam totius operis delineationem dedimus; restat, ut unam paulo curatius lustremus exercitationem, quamque in reliquarum structura viam ingressus Autor fuerit ac presserit, exemplo monstremus,

mus. Prima omnium dissertatio, quam in Gen. I, 1. instituit, &
argumenti dignitate, & ubertate rerum doctrinæque copia, locum,
p. 1. quem obtinet, suo merito tuetur. Quam dum auspicaturus, in tanta
incidit sententiarum divortia, ut recensendis iis supersedere satius
existimet, quam verbis per se claris caliginem inducere; ipse
p. 2. solummodo, quid sentiat, exponit, atque adeo vocem *bereschit* ad
ordinem spectare censet ac seriem universæ, quam Moses adornabat,
historiæ, cujus de creatione narratio præcipua futura pars
erat. Recte sane Cyrillum Alexandrinum observasse, quod in
unius primi commatis compendium, de productione rerum historiam
miserit Moses, cujus amplior fusiorque in reliquo capite re-
p. 3. censio exhibeatur. Ad hæc vero voce ista originem mundi designari,
qui non æternitatis ferat ætatem, sed principium agnoscat,
teste Christo Matth. XIII, 19. Principem autem hunc fidei nostræ,
primumque professionis articulum esse, quo conditorem cœli terræque
Deum confitemur. Quem circa audiendæ non sint variæ
& male-sanæ Cabbalistarum conjecturæ; quarum in numero ac
p. 4. censu eam quoque habet sententiam, quæ ad venerabile S. Trinitatis
mysterium vocabulum Elohim, cum verbo singulari positum,
refert. Secus se rem habere, nec plures hac voce notari personas,
tum ex paribus constare, v. g. Adonim, Baalim, Behemoth (quod
æque singularem agnoscens, cum singulari verbo nectatur Job.
XIV, 10.) tum ex S. Spiritus appellatione clarum evadere, qui
cum רוח אלהים proximo versu audiat, trium personarum, sui-
p. 5. que adeo ipsius dici Spiritus nequeat. In plurali vero vocem Elohim
poni, ut magnitudo Numinis, excellentia atque potestas
indicetur; quæ cum pluralibus juncta, de iis quoque reperiatur Gen.
XX, 13. Jer. XXIII, 36. quæ natura Deus non sunt, satis id argumento
esse, genium ita ferre linguæ Ebrææ, ut plurale nomen cum
singulari verbo construatur; haud secus ac Græci verba singularia
nominibus pluralis numeri neutris jungere soleant. Creandi vocem
geminam in Scriptura significationem obtinere, dum & productionem
ex nihilo absolutam designet, & magnum aliquid & admiratione
dignum efficere, quodque tale sit, ut haud ab alia teme-
p. 6 re, quam divina potentia ortum trahere queat. Hinc nunquam
hominibus, sed uni semper Deo eandem tribui. Quanquam vero
neque Ebræum *bará*, nec Græcorum τῶν LXX. ἐποίησεν ex nihilo
pro-

productum notet: consequi tamen id inde necessum esse, quod in principio creata omnia, tempusque adeo fuisse dicatur, quo nondum essent; unde planum sit, ex nihilo ea emersisse. Cœli terræque appellatione, qua rudem illam indigestamque denotari molem vulgo existimant, universam potius elementorum compagem, totamque mundi fabricam comprehendi. Alia enim, qua mundum proprie exprimant, voce cum destituantur Ebræi, hæc duo ipsos adhibere vocabula. Sic ubi Ps. XCVI universa mundi machina per partes recensenda veniat, prius v. 11. cœli terræque mentionem fieri, quam ad mare & campos deveniatur. Quod ut imitetur Petrus, futuri seculi descriptionem cœli terræque denominatione II. Ep. III, 13 comprehendisse. Quam late autem utraque vox pateat, eandem extendendam, ut non sublunarem solum sphæram, sed & cœlestes orbes ambitu suo complectantur. Id quod eorum profligat sententiam, qui Mosaicam creationem ad globum terraqueum restringunt, nec quicquam cum superiorum corporum formatione commune habere censent. Quam cum peculiari dissertatione haud ita pridem Vir doctissimus in Anglia, Gulielmus Whistonus, operi, quod *Novam Telluris Theoriam* inscripserat, (cujusque exactam prolixamque recensionem anno 1697, mense Decembri, pag. 533. in Actis nostris dedimus) præmissa incrustare ac defendere allaborarit, prolixam admodum in confutando eo operam posuit Autor, literam urgens, capitisque scopum, & fidem Mosis liberans, qui in condenda historia sua, captui erroribusque rudis populi se accommodasse, sine crimine dici nequeat. Cæterum cum creata omnia in cœlum terramque dispertiatur Moses, satis inde constare, haud minimam vel ignobilem terram totius universi esse partem. Quam cum sapientissimus rerum Gubernator nobilissimis destinarit usibus, hominisque cumprimis in ministerium; mirum non esse, cur prolixius terræ, quam vastiorum longe corporum cœlestium creationi, divinus inhæreat scriptor. Demum vero in creationis tempus annumque inquirens Autor, multum hic discrepare Chronologos advertit, quod alii, Ebræos secuti fontes, 1940 annos, alii, τῶν LXX inhærentes sententiæ, 3314 annos a mundo condito ad Abrahami usque numerent ætatem. Hinc tanta orta dissidia, ubi ætas mundi ad Christi us-

p. 7. p 8. p. 9. p. 10. p. 13. p. 14. p. 15. p. 16. p. 17.

que nativitatem constituenda fuerit. Quæ cum paucis attigisset, calculum tandem ita ponit, ut mediam inter Gassendi & Usserii computationem teneat viam, annum vero prorsus esse incertum asserat, ut velut mundi finem, sic pariter initium nos latere, sapienti Deus consilio voluisse videatur. Nec forte magis exploratum haberi, qua anni tempestate mundus cœperit. In vernum tempus conjiciunt Virgilius, Astronomi, Ebræorum Sapientes, & nonnulli Patrum, quin Lutherus quoque & Jul. Cæs. Scaliger: æstatem supponit Mercator: autumnum Libræque astrum Arabes præferunt & Ægyptii, Theodoretus item ac Beda; nec abludunt recentiores, Calvisius, Jos. Scaliger, Petavius ac Usserius, pro autumnali æquinoctio pugnantes: hiemem omnes rejiciunt, quasi tum per frigora ac gelu mundi haud facilis ortus fuisset. Futilem hanc ipse vanamque quæstionem Autor judicans, omnes simul anni vicissitudines assignare mavult, quam unam reliquis præferre. Quæ cum pro locorum distantia varient, impossibile esse, ut eadem per universum mundum, cum conderetur, obtinuerit. Quin potius quibusdam in regionibus veris florem, aliis rursus æstatis calores, hiemis demum frigora nivesque aliis deprehendere licuisse. At vero cum de ea præcise terræ parte, quæ paradiso hominisque primi culturæ dicata erat, sermo sit, eam sibi a vero haud ita procul abesse sententiam videri, quæ in vernali æquinoctio ejus originem ponit. Adeo vero in hac quæstione ingenia quorundam luxuriasse Autor advertit, ut mensem quoque scrutati fuerint ac diem, alii pro 25 Sept. Conimbricenses pro eodem, qui resurrectionis Christi fuerit, die, Eusebius pro 25. Mart. Beda pro 18. mensis ejusdem decertantes. Quæ tamen cum incerta omnia ac dubia sint, in medio relinquit, suamque interponere sententiam recusat.

p. 18. p. 19. p. 20. p. 21. p. 22. p. 23. p. 24. p. 25.

FRIDERICI ADOLFI LAMPE DE CYMBALIS Veterum Libri tres.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. a Poolsum, 1703, in 12. Plag. 20.

BErnardum Bacchinum & Hieronymum Magium, quorum ille de Ægyptiorum *sistris*, hic de *tintinnabulis* docta plurima lectuque

ſuque admodum jucunda congeſſit, quæ ætatem ferunt, auſu non impari ſecutus doctiſſimus Lampadius, tres hosce de Cymbalis veterum libros cum erudito orbe communicare voluit, quorum *primus a nominibus & generibus cymbalorum* orditur. Expoſita proinde voce cymbali Græco-Romana, πολύσημον eandem eſſe oſtendit, cum & ἀρδανίαι ſeu ollæ, quas collocarint aqua plenas ante fores mortuorum, cymbala Doribus nuncupatæ fuerint, & cymbalum in proverbium quoque abierit, unde quid cymbalum juventutis, cymbalum mundi, κύμβαλον ἀλαλάζον, aliæque ejusmodi locutiones indigitent, declarat. Genera cymbalorum ſingula dum recenſet, a *crotalo* initium ſumit, quod, ſecus atque aliis ex antiquiorum pariter ac recentiorum claſſe videatur, tanquam calamum fiſſum, atque ita, ut concuſſus manibus ſonum ediderit, compoſitum delineat. Sed & narciſſum antiquiſſimis κρόταλον dictum fuiſſe obſervat, idemque nomen apud Ægyptios ciconiam obtinuiſſe refert. Pergit hinc ad alias cymbalorum ſpecies, & ſigillatim κρούματα, πλαταγὴν, πλαταγώνιον, ὀξύβαφα, κοτύλην, ῥύμβον, κρέμβαλα, βακύλλια, ψιττρα, λεκανίδες, δόνακες, στρόμβους, & e Græcia in Latium tranſiens, *acetabula*, *teſtas*, *imbrices*, *crepitacula*, *naulia*, in medium adducit. E cymbalorum vero numero καλύβας, σῆστρα, *ſcabilla*, *tympana* eliminat, nec *chrottas* & *nacarias* iſtis ut accenſeas, permittit; cymbalum de cætero ſimpliciter deſcribi poſſe autumans, quod ſit *inſtrumentum muſicum*, *ſemirotundum*, *cavum*, *binum*, & *conflictu motum*; quæ ſingula *libro ſecundo* latius exequitur, in quo *materiam, formam atque hiſtoriam cymbalorum* ediſſerit. Extremam quidem eorum ætatem neſcire ſe fatetur, antiquitate tamen quod inter multa alia inſtrumenta prævaleant, exiſtimat. Idæos ſane Dactylos eadem inveniſſe conjicit, hos autem Joſuæ ætate vetuſtiores facit, quin & temporibus Bacchi atque Jovis Phrygii, quorum quidem poſterior cum priori idem ſit, & quorum hiſtoria cum rebus geſtis Moſis confundatur. Et quid multis? jam ante exodum Iſraelitarum obtinuiſſe cymbala pronunciat. Familiaria eadem fuiſſe porro dicit coætaneis Idæorum Dactylorum Corybantibus, horumque, ut appellat, ſucceſſoribus, Gallis. Judæos vero cymbalorum uſum accepiſſe a Phœnicibus affirmat, a quibus & ad Hiſpanos tranſiiſſe

isse illum statuit. Italiam eundem non a Baccho, verum a Cabiris, cymbala in Hetruriam transferentibus, obtinuisse censet; unde postmodum Romam confluxerit, ubi cymbalorum motrices, cymbalistrias vocare mos tulerit. Sicut autem delicatas atque amatrices puellas cymbala non infrequenter movisse innuit, ita cupas quoque genus constituit fœminarum, quæ cauponam exercentes corporis una sui copiam fecerint hospitibus, & organa quædam pulsare noverint. *Tertio* denique libro *ritum atque usum cymbalorum* exponit. Judæos eadem adhibuisse docet in veri Dei cultu, in deductione arcæ, in encæniis murorum, in dedicatione templi, & singulis diebus in sacrificio jugi. In medii ævi Ecclesia Christiana cymbala pulsari consuevisse, sed non æque in antiqua & puriore, admittit. Frequentissimum contra illorum usum in Gentilium sacris, in honorem puta Matris Deûm, Junonis item, Isidis, Bacchi, Jovis, aliorumque celebratis, observandum dat. Præterea in eclipsi Lunæ cymbala pulsata, apes iis modo fugatas, modo revocatas, in saltationibus non minus ac in ægrotorum oblectatione adhibita, in bello autem non apud Romanos quidem, apud Indos tamen, Arabesque & Pygmæos usurpata fuisse monet. De cymbalis pulsatis in nubibus, antequam Ægyptus in provinciæ formam redigeretur, deque tympanorum ac cymbalorum sonitu, die prælii Pharsalici, Pergami a fano Bacchi orto, totamque urbem peragrante, sigillatim disserit [illegible] cymbalorum quoque in Æthiopiæ vasta solitudine a Satyris pulsatorum meminit: ut alia taceamus, quæ in eruditissimo libello legi rectius, quam inde prolixius heic allegari posse, nobis persuademus.

JO. VINCENTII GRAVINÆ DE ORTU ET PROgressu Juris Civilis Liber.

Lipsiæ apud Jo. Frid. Gleditschium, 1704, 8. Plag. 22.

QUod optavimus, cum utilissimum hunc libellum anno superiore, mense Septembri, pag. 383 sqq. recenseremus, ut nostratibus ille typis recusus omnium exponeretur usui, quod exemplaria Neapoli, ubi A. 1701 prodiit, peti hoc tempore non possent: id factum est nuperrime, Gleditschio nostro seniore, Bibliopola solertissimo, curante. Id quod elegantiorum literarum cupidis, & Jurisprudentiæ inprimis Romanæ cultoribus, indicandum duximus. Nec aliud addimus, cum de opere ipso prolixe satis loco citato dictum a nobis fuerit.

* * * * *

N. IV.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno M DCCIV.

A PARAPHRASE AND COMMENTARY ON THE NEW TESTAMENT, &c.

COMMENTARIUS ET PARAPHRASIS IN NOVUM TEſtamentum, duobus voluminibus conſtans, quorum primum quatuor Evangelia & Apoſtolorum Acta, ſecundum vero omnes Epiſtolas, nec non Diſſertationem de Millennio complectitur. Additus eſt index Chronologicus cum tabula Geographica, & locorum, rerum, verborum atque phraſium ſyllabo. Autore DANIELE WHITBY, Theol. Doctore & Eccleſiæ Sarisberienſis Cantore.

Londini apud Ansham, & Jo. Churchil, 1703, in fol. Conſtat Alph. 16. plagulis 17.

VOlumen hujus Commentarii poſterius, quod omnes Novi Teſtamenti Epiſtolas & Diſſertationem de Millennio ſiſtit, priusque editione antevertit, in Actis Tomo III. Supplement. Sect. IX. p. 412. ſqq. jamjam exhibuimus, ibique Reverendi Autoris induſtriam, quam in ornandis ſacrarum litterarum ſtudiis adhibuit hactenus, merito commendavimus. Nunc, cum & prius, quo præter quatuor Evangelia, Apoſtolorum Acta erudite exponuntur, lucem adſpexerit, & cum poſteriori conjunctim fuerit editum, partium noſtrarum eſſe arbitramur, ut etiam illius mentionem aliquam faciamus. Continet vero iſtud non modo in Chriſti pariter & Apoſtolorum res geſtas Paraphraſin & Commentarium doctiſſimum, verum etiam, perinde uti alter tomus, varias præfationes elegantiſſimas, quas tum

in generaliores, tum in ſpecialiores Autori diſpeſcere placuit. Iſtarum tres ſunt numero, quarum prima de genealogia, quam Lucas c. III. conſignavit, accurate agit, nomenque Cainanis, quod in illa reperitur, non in primis exemplaribus extitiſſe, ſed ab aliis demum additum fuiſſe oſtendit, & Lucam Joſephi genealogiam a Nathane deductam conſcripſiſſe probat: ſecunda Divinam librorum Novi Teſtamenti autoritatem, nec non fidei Chriſtianæ veritatem ac certitudinem confirmat: tertia denique quatuor Evangelia minus corrupte ad nos perveniſſe, ac præter ea non alia recipienda eſſe docet, disquirens inſuper, utrum Matthæi Evangelium in Hebraica, an vero in Græca primum lingua conſcriptum fuerit. Quantum ad ſpecialiores præfationes, quatuor earum numerantur. Priores duæ, Marci atque Lucæ Evangeliis præmiſſæ, eorum autoritatem adſtruunt, eaque Divino inſtinctu ſcripta eſſe evincunt. Tertia Joannis Evangelio præfixa, hunc Apoſtolum verum ipſius autorem eſſe adſerit, & quo tempore id conſignatum fuerit, exponit, probans præterea, quod Spiritus S. deſcenſus in Servatorem noſtrum, cujus Joh. I. 33. mentio fit, idem ſit ac ille, qui circa ejus baptiſmum accidit; quod Chriſtus privatum ſuum miniſterium prædicando, baptizando, & miracula patrando, non diu ante baptiſmum ſuum adgreſſus fuerit; quod denique, durante ipſius miniſterio, non niſi quatuor Paſchatos feſta Eccleſia Judaica celebraverit: in quibus ſingulis a Clariſſimi Whiſtoni ſententia Autor diſcedit, qui in Harmonia ſua contrarium defendit. Quarta tandem ex Apoſtolorum Actis, quibus præponitur, Chriſtianæ religionis veritatem evidentiſſime demonſtrari poſſe adfirmat.

Præter haſce enumeratas præfationes, novem quoque adpendices occurrunt, in quibus res graviſſimæ pertractantur. Prima earum, ſecundo Matthæi capiti annexa, de vero ſenſu phraſeos, ἵνα πληρωθῇ, disquirit, quæ non per accommodationem quandam, ſed ex intentione Spiritus S. ad rem implendam referenda eſſe dicitur. Secunda, quinto capiti ſubjuncta, Chriſtum legi morali iſto in loco nihil addidiſſe, ſed falſas modo Judæorum in eam interpretationes correxiſſe tradit. Tertia, ſexto capiti addita, jejunium ad Chriſtianorum officia omnino referendum, atque partem Divini cultus, non quidem quoad actum illius elicitum ſed impera-

tum

tum tamen, dicendum esse statuit. Quarta, quæ duodecimum caput subsequitur, de peccato in Spiritum S. agit. Quinta ea, quæ Christus capite XXIV. Matthæi a versu 3. usque ad 34. disserit, urbis ac templi Hierosolymitani totiusque populi Judaici destructionem respicere, contra Grotium probat. Sexta, occasione capitis XXVI. Matthæi, Crellii cuidam contra Christi satisfactionem objectioni, qua negat hunc peccatorum nostrorum pœnas tulisse, cum tantum temporale, non vero æternum supplicium perpessus fuerit, diversa ratione respondet. Septima, quæ Marci c. XIV. postponitur, Christum cum discipulis suis non XIII. sed XIV. mensis Nisan, adeoque ordinario die comedisse pascha probat. Octavo discursum in c. VII. v. 47. 48. 49. continet, in quo ostenditur, Pontificios iisdem fere argumentis Protestantium doctrinam hodie impugnare, quibus ibi Pharisæi contra Christum usi fuerint. Nona denique in locum Act. II. v. 26. 27. quid de descensu Christi ad inferos sit sentiendum, exponit, eumque vel per ipsam Servatoris mortem, vel per animæ ipsius ex paradiso in sepulchrum, ubi se cum corpore iterum conjunxit, descensum explicandum esse censet. Nos jam instituti nostri memores, ut ex multis Lectoris in gratiam pauca delibemus, & ex præfationibus & appendicibus quædam speciminis loco exhibere adgredimur. Ex præfationibus, & quidem generalioribus, ordine tertiam seligimus, in qua primum quatuor Evangeliorum autoritatem firmissime fundatam, eaque ab illis, quorum nomen præfixum habent, composita esse ostenditur, prolatis præsertim hanc in rem testimoniis scriptorum ecclesiasticorum, qui primis Ecclesiæ temporibus floruerunt, Justini Martyris, Irenæi, Clementis Alexandrini, atque Tatiani. Et quamvis aliorum evangeliorum in historia ecclesiastica mentionem fieri, dissimulandum haut sit, tantum tamen abesse dicitur, ut illa horum, quæ in Novo Testamento extant, autoritatem infringant, ut potius eandem maxime confirmare videantur. Primum enim ea, Autoris nostri judicio, demum a Patribus secundi ad finem vergentis, imo tertii ac quarti seculi, adeoque eo tempore memorantur, quo genuina quatuor Evangelia jamdudum ab Ecclesia recepta fuerant. Deinde scriptores isti ita eorum mentionem faciunt, ut tanquam spuria rejicienda ea, neque ad canonem evangelicum referen-

ferenda esse moneant. Ita enim Evangelium, quod sub Petri nomine circumfertur, ab hæreticis, Docetis nimirum atque Marcionitis, Eusebio teste, publicatum fuit: Evangelium juxta Thomam, non Apostolum, sed alium hujus nominis, Manichæorum hæresi addictum, conscripsisse Cyrillus refert: Evangelium Philippi ab iisdem hæreticis Leontio judice, Epiphanio vero autore a Gnosticis provenit: Evangelium Matthiæ primam originem debere Basilidianis sive Carpocratianis, Clemens Alexandrinus testatur: Jacobi Proto-evangelium a Lucio quodam hæretico confectum est, & illud, quod a duodecim Apostolis denominatur, idem cum Evangelio secundum Hebræos esse, ab Hieronymo dicitur. Uti vero hæc omnia non alia de causa Autor noster in medium profert, quam ut quatuor Evangeliorum autoritatem confirmet, ita aliis præterea argumentis illud efficere conatur. Cum nimirum Christus & Prophetæ, & Regis, & Servatoris nomen tueatur, necessarium esse censet, ut tanquam Propheta monumenta quædam de voluntate Patris sui nobis reliquerit, tanquam Rex leges certas omnibus observandas præscripserit, & tanquam Servator eas publicaverit conditiones, sine quibus salutem a se partam obtinere non licet. Jam, nisi quatuor Evangelia, aliaque Novi Testamenti scripta monumenta, leges atque conditiones istas contineant, consequens esse ait, ut perierint, nosque adeo earum rerum, quæ ad salutem pertinent, expertes, bonorum a Christo acquisitorum spem nullam habeamus. Neque enim traditiones scriptorum monumentorum vicem hic supplere posse, addit. Cum nempe Judæi ea, quæ verbo Dei scripto nituntur, traditionibus suis maxime corruperint, multo magis futurum id fuisse Autor existimat, si absque certis litterarum monumentis ad posteros pervenissent. Multa præterea Christum & docuisse sine dubio, & fecisse monet, quæ, cum scriptis consignata non fuerint, traditio nobis non conservaverit: imo traditionibus haut nimium hac in re tribuendum esse, exinde probat, quod ipsa Ecclesia Catholica eam, quam a Paulo juxta 2. Thessal. II. v. 5. 6. acceperit, postea amiserit. Hinc doctrinam Christianam, seu revelationem, necessario scriptis quibusdam conservandam fuisse, ex ipsa Scriptura probare contendit, in qua modo Paulus Rom. XV, 15. II. Cor. I, 13. modo Petrus I. Ep. V, 12. II. Ep. III. 1. 2. modo Judas v. 3. modo Joannes c. XX, 31. id ipsum

ipsum confirmare videatur. Cum tandem probabile sit, primos Christianorum scripta illa non fuisse tanquam genuina recepturos, nisi ea Apostoli ipsi iis commendassent, ac vix concipi possit, quo modo Divina providentia, cujus Christianam religionem propagari multum intererat, falsa illius documenta supponi permittere potuerit, eo firmiori talo quatuor Evangeliorum autoritatem niti, Noster arbitratur. Jam ut illa prætereamus, quæ circa eorundem integritatem, quam in præcipuis doctrinæ atque morum capitibus, incorruptam ad nos pervenisse docet, proferuntur, quomodo ad illam quæstionem respondeat: utrum Matthæi Evangelium Hebraica prius lingua, an Syriaca conscriptum, translatumque postea ab aliis in Græcam linguam fuerit? videbimus. Quamvis nimirum non neget, quod plures antiqui Patres, uti Papias, Irenæus, Origenes, Eusebius, Cyrillus Hierosolymitanus, Epiphanius, Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus ac alii, eorum sententiæ accedant, qui ab Hebraicæ linguæ partibus stare solent, istiusmodi tamen testimonia, quæ singula perpendit, non tanta esse existimat, quin fidem ipsis derogare liceat. Ipsam quoque hanc traditionem in se maxime suspectam videri, multisque contradictionibus scatere ostendit; tandemque censet, uti libri Veteris Testamenti canonici Hebraice primum conscripti, postea cum Judæi distinguerentur in Hebræos, qui vernacula sua utebantur, & Hellenistas, qui Græcæ tantum linguæ gnari erant, in Chaldaicam & Græcam translati, quædam vero Novi Testamenti scripta, uti Joannis Evangelium, & Apostolorum Acta, Græce principio edita, in usum Judæorum pariter atque Gentilium, post Christi adscensionem, in mixtam Hebraicam conversa fuerint: ita quoque Matthæi Evangelium in Hebraicam linguam a quodam traductum fuisse, qui ex traditionibus quædam addere non dubitaverit. Quam versionem cum deinde recentes Christiani, Hebraicarum litterarum ignari, vulgo circumferri cernerent, eam ab illis pro authentico scripto fuisse habitam, verosimile videri ait. Et quamvis hac ratione rem tot Patrum consensu adprobatam temere in dubium vocare, atque traditiones circa librorum sacrorum canonem aliasque res, a prima Ecclesiæ ætate ad nostra usque tempora propagatas, elevare quibusdam videri queat, attamen non modo se iis, in peculiari

dam tractatu de traditione conscripto, obviam ivisse respondet, verum etiam innuit, Judæorum fraude fuisse factum, ut multa nobis antiqui Patres tradiderint, quæ tamen cum veritate minus conveniant; id quod traditionibus de cellulis, quibus septuaginta Interpretes inclusi fuisse vulgo dicuntur, de adparitione Eliæ Thisbitæ ante secundum Christi adventum, aliisque exemplis confirmat. Quodsi tamen huic sententiæ accedere quis renuat, non equidem se repugnare velle pronunciat, si existimet, Matthæum tum in Hebraica, tum in Græca lingua Evangelium suum conscripsisse, idque in illa Hebræis, in hac vero Græcis atque Gentilibus tradidisse. Ex appendicibus speciminis loco illam placet seligere, quæ capiti XII Matthæi additur, ac de natura peccati in Spiritum Sanctum agit, causamque ostendit, ob quam illud remissionem impetrare nequeat. Rejicitur autem hic primo Grotii sententia, qui Christi circa peccatum istud effatum, absolute pronunciatum, comparate explicandum esse dicat, neque hoc plane non sed difficulter solum remitti adserat, contradicens adeo iis, quæ Servator Marci III. v. 29. expresse doceat. Multo minus vero Hammondi paraphrasin hunc in locum adprobandam esse, Autor censet, qui peccatum illud tum demum non remitti posse existimet, quando quis in specie illius pœnitentiam non agat. Hæc enim cum in quovis peccato voluntario, si quidem remitti debeat, æque ac in illo, quod in Spiritum S. committitur, requiratur, consequens fore ait, nullum inter utrumque intercedere discrimen; quod tamen Servator non obscure innuere videatur. Quandoquidem vero idem peccati remissionem iis deneget, qui contra Spiritum S. loquantur, eundemque blasphemiis proscindant, hinc Noster flagitium in Spiritum admissum, non tam in cogitationibus atque operibus, quam in verbis consistere colligit. Neque tamen omnem blasphemiam promiscue contra Spiritum prolatam, hic intelligendam esse observat, cum Pharisæi per nefandam calumniam Christi miracula diabolicæ virtuti adscribentes peccatum in Filium hominis, quod remitti poterat, dicantur perpetrasse; quanquam, si res accuratius perpendatur, hoc ipso convitio Spiritum S. insectati fuerint, utpote cujus vi Servator diabolos ejecerit. Notandum ergo hic discrimen esse ait, quod Scriptura in-

ter

ter Spiritus S. operationes extraordinarias, ad quas miracula pertineant, & illius dona seu χαρίσματα, quibus intellectus illuminetur, & ad ea, quibus perficiendis natura non sufficit, idoneus reddatur, facere soleat, atque adeo peccatum in Spiritum S. non eas, sed hæc respicere, concludit. Quæ cum ita sint, certissimum esse porro existimat, quod crimen ejusmodi eo tempore, quo Christus in terris versabatur, ac, teste Joanne c. VII, 39. nondum venerat Spiritus S. nec perpetratum sit, nec committi potuerit. Et licet de eo cum Pharisæis Christus colloquatur, non alia tamen de causa id factum fuisse docet, quam ut eos ab ulteriori Filii hominis blasphemia, cujus miracula convitiabantur, revocaret, ne magis magisque occœcati, tandem etiam Spiritus S. dona mox effundenda, contumelia adficerent, utpote quorum distributione ultima vice Deus ad pœnitentiam eos sit vocaturus. Hanc enim verborum Christi mentem esse, exinde Autor probat, quod & de re, quæ nondum facta fuerit, sed demum futura sit, loquantur, & ipse Servator Pharisæis veniam precibus suis a Deo expetierit, gratiamque obtulerit; quod fieri haut potuisse censet, si quidem peccato in Spiritum S. sese contaminassent, omnique adeo remissionis spe excidissent. His ita expositis, discrimen inter hoc ipsum peccatum, & reliqua convitia, quæ in Christum inter homines agentem Judæi jactarunt, Noster ostendit, atque causas explicat, ob quas isti omnis remissio denegetur, hæc vero veniam impetrare potuerint. Cum nimirum Judæi in Filium hominis peccantes, humillimum ipsius atque contemtissimum vitæ genus, cum Messiæ dignitate non bene convenire posse crederent, multisque adeo, iisque gravissimis, circa ejus personam atque doctrinam præjudiciis laborarent, connivisse quasi Servatorem optimum istorum incredulitati, eosque misericordia & indulgentia potius, quam celerrima vindicta dignos judicasse putat, usque dum per resurrectionem suam, atque Spiritus S. missionem, omnia, quæ fidei ipsorum obstare videbantur, removisset. Cum e contrario Spiritus S. effusio, donorumque illius distributio, efficacissimum fuerit medium, quo Deus homines ad pœnitentiam perducere voluerit, quoque rejecto eos gratia sua dignari amplius noluerit; præterea que peccatores in Spiritum Sanctum ob pertinaciam, quæ evidentissima veritatis argu-

argumenta rejicere solent, credere omnino non possint, hinc fieri autumat, quod peccatum in Spiritum S. veniam impetrare nequeat.

JOHANNIS NICOLAI, ANTIQ. PROF. ET CONtubern. Tubing. Rectoris Tractatus de Siglis Veterum.

Lugduni Batav. apud Abrahamum de Swart, 1703, in 4. Alphab. 1. plag. 19.

MUltum conferre ad antiquitatis studium Siglarum notitiam, non est, cur quisquam ambigat; quandoquidem sine harum cognitione, plurima in re litteraria ignorantur, neque legi satis possunt, nec intelligi. Erant autem siglæ compendia literarum, cum una vel duæ literæ pro unica voce pluribus literis constante ponerentur. Earum igitur explanationem laudabili instituto in se suscepit doctissimus, alibique jam a nobis, ob scripta antiquitatis solidum scrutinium referentia, laudatus Auctor, remque omnem huc pertinentem accurate non minus atque diligenter excussit. Et morem quidem scribendi per siglas, ipsis Hebræis familiarem facit, Græcisque ac Latinis eundem similiter arrisisse, mox ab initio ostendit. Usum vero earum varium fuisse innuit, spectatasque eas ante omnia in prænominibus, ut quando C. notarit Cajum, L. Lucium, AP. Appium, SP. Spurium; spectatas in legibus, quarum clausula vulgaris fuerit: S. Q. D. E. R. A. P. P. V. L. O. E. COSS. PRAETT. TR. PL. Q. N. S. Q. E. V. A. P. P. V. F. hoc est: Si quid de ea re ad populum plebemve lati opus est, Consules, Prætores, Tribuni plebis qui nunc sunt, quod eis videbitur, ad populum plebemve ferant; spectatas etiam in plebiscitis, utpote cum S. C. designarit Senatusconsultum, P. S. Plebiscitum, D. C. S. de consilii sententia, & sic porro. Sed & in edictis atque actionibus easdem obvenisse monet, siglasque præcipuas Judiciarias recenset, atque eas pariter, quas Jureconsulti adhibuerint, quasque Medici frequenter usurparint. Nec Magicas reticet, & ad Philosophicas delatus, seorsim Arithmeticas, Grammaticas, Astronomicas & Musicas contemplatur. Siglas hinc in fastis Romanorum obvias exponit, & eas,

eas, quæ nostro adhuc ævo obtinent, commemorans, hisque una ponderum & mensurarum quoque notas adjungens. Post eas, quas servis & malitiosis hominibus inuri consuevisse dicit, militares excutit, qualesque tesseræ ac sortes ostentarint, ob oculos proponit. Ad loca delatus, templa, scholas, academias, vias publicas, pontes, portas, muros, arcus, carceres, sepulchra siglis notata sistit, & harum catalogum sat prolixum, ex variis inscriptionum olim lectarum libris solicite contextum superaddit. Siglas tamen sepulchrales Christianis usitatas seorsim contemplatur, & urnas ollasque, imo & aras sepulchrales iis insignitas allegat. Quis earundem usus fuerit in epistolis, quis in statuis publicis æque ac privatis? indagat. Quando eas ædes, musæa, pavimenta, vineæ, horti, vestes, calcei, supellex, retulerint, quid singulis notarint veteres? insinuat. Sed & artifices opificesque eas adscivisse, & lucernis, annulis, clavibus, seris eas impressisse, docet. Cellas atque dolia iis minime caruisse, probat. Denique de siglis mercatorum, & de istis, quibus Judæi notentur, de literis alphabeticis monetæ Gallorum incisis, ac de siglis notisque pecudum pro instituto disserit.

HISTOIRE DE L' ACADEMIE ROYALE des Sciences. Année 1699 & 1700.

i. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM, cum Commentariis Mathematicis atque Physicis, ex Regestis illius Academiæ depromptis.

Annus 1699.

Parisiis apud J. Boudot, 1702, in 4. Alph. 2. pl. 7.

Annus 1700.

Ibidem, apud eundem, 1703, in 4. Alph. 2. pl. 15.

Cum multis figuris æneis.

EQuidem quæ duorum horum annorum spatio peracta ab Illustrissima Scientiarum Academia Regia fuere, Historiæ suæ libro postremo complexus jam erat Vir Clarissimus, *Joannes Baptista Du Hamel*, Secretarius Academiæ emeritus: ex quo haud pauca etiam in Actis his nostris, anni superioris mense Junio, cum

Lectore benevolo communicavimus. Ast vero tanta rerum, quæ hoc biennio doctissimorum virorum ingenia exercuerunt, copia fuit ac ubertas, ut denuo, sed multo fusius, de iis agere, qui hodie Secretarii munere fungitur, celeberrimus Fontenellius non dubitaverit, documentum simul exhibiturus methodi, qua annuatim deinceps Acta Societatis evulgabuntur. In duas nempe partes distinguetur volumen quodque, quarum prima nudam fere eorum, quæ in Societate, seu viva voce, seu calamo proponuntur, Historiam tradet, iis etiam, qui scientias mediocriter callent, profuturam: altera luculentiores Commentarios, ac in iis scripta integra, quæ e re fuerit in lucem edi, & per quæ & major lux recensitis in prima parte affundetur, & plenior conciliabitur fides, exhibebit. Nos prætermissa, ne prolixi nimis simus, Fontenellii doctissima præfatione, qua observationum ejusmodi & experimentorum utilitas vindicatur, ex utroque tomo hinc inde pauca quædam excerpemus, & ea quidem inprimis, quæ in recensu operis Hameliani intacta reliquimus.

Post Physica generalia, quæ primum locum occupant, (ut ab iis ordiamur, quæ anno 1699 fuere obvia) sequuntur particularis Physicæ, quæ Anatomiam, Chimiam & Botanicam comprehendit, observata. Hic inter Anatomica notari meretur controversia de motu sanguinis circulari in fœtu, per foramen ovale, & canalem arteriosum communicationis. Tota quæstio eo reducitur: *An sanguis, qui per foramen ovale transit, ex dextra cordis parte in sinistram, juxta communem sententiam; an vero ex sinistra cordis parte in dextram, juxta Dn. Mery opinionem, impellatur? Dn. Du Verney* antiquum systema probat, asseritque ad foramen ovale dari valvulam, quæ fluxum sanguinis a dextra in sinistram partem admittat, ex sinistra in dextram vero impediat. *Dn. Mery* negat non solum usum hujus valvulæ, sed & existentiam. Deducta quoque res est ad aliam subtilitatem Anatomicam: in adulto homine, cum tota massa sanguinis primo per arteriam pulmonariam in pulmones transeat, dein redux per aortam expellatur, patet, hæc duo vasa, arteriam pulmonariam & aortam, cum æqualem recipere debeant quantitatem sanguinis, æqualia sibi fore; & res ita se habet. In fœtu autem, juxta utrumque

que

que systema, inæqualis distribuitur per utraque hæc vasa quantitas sanguinis; cum juxta communem sententiam, foramen ovale portionem sanguinis arteriæ pulmonariæ detrahat, eam in venam pulmonariam infundendo; hinc plus sanguinis recipiet aorta, quam arteria pulmonum: juxta systema vero *Dn. Mery*, arteria pulmonaria non solum recipit omnem sanguinem per venam cavam reductum, sed & per foramen ovale, ex venis pulmonariis aliquam portionem sanguinis naturaliter ad aortam destinati; plus itaque sanguinis arteria pulmonaria recipiet, quam aorta. Hinc ut veritas systematum sibi oppositorum indagetur, videndum est, quodnam ex his vasis, aorta an arteria pulmonaria, in fœtu majoris sit capacitatis. *Dn. Mery* semper truncum arteriæ pulmonariæ dimidio majorem aorta invenit in fœtu, quod ejus systemati fere omnes demere videtur scrupulos. Verum *Dn. Tauvry* non solum contraria observatione, aortam in fœtu majorem arteria pulmonaria monstravit, sed & prætendit, etiamsi arteriam pulmonariam majorem observare liceat aorta, non tamen destructum iri systema antiquum, cum regurgitatione sanguinis, ob impeditum in pulmonibus circulum liberum, arteria pulmonaria extendatur, utpote ex membranis minus crassis validisque, quam aorta, constans; nato autem fœtu, & per respirationem circulo sanguinis liberiore reddito, arteria pulmonaria, non amplius ita distenta, ad suam cum aorta æqualitatem redit. Sed cum in fœtu truncus aortæ major est trunco arteriæ pulmonariæ, uti *Dn. Tauvry* ostendit, necessario plus sanguinis per aortam transire debet, cum regurgitationi nullus ibi sit locus; quod opinioni *Dn. Mery* omnem demit verisimilitudinem. Interim *Dn. Du Verney* cor testudinis terrestris, quod primam *Dn. Mery* occasionem dederat statuendi, idem in fœtu fieri, exactissima diligentia examinavit, & in commentariis, scripto æneis figuris plurimis & insignibus ornato, illustravit, quo 1. *structuram* partium, 2. earum *usum*, & 3. *judicium* exinde *de novo Dn. Mery systemate* formatum exhibet; quæ integra perlegantur, cum in paucas lineas coarctari nequeant, quæ tota sui extensione sunt cognoscenda. Universam *fœtus historiam*, a prima ejus origine usque ad nativitatem, peculiari tractatu, quo systema ovarium defendit, complexus est *Dn. Tauvry*, in quo nova solutione diffi-

cultati anatomicæ medetur circa liquorum vias, qui intra membranam fœtus amnios dictam, & urinariam, quæ amnio intra chorium inferius adhæret, continentur. Supponit proin, primis ſtatim formationis temporibus, repleri cavitatem amnii ſucco illo dulci & nutritio, cum fœtus nullam adhuc urinam in interſtitium illud emittit. Repleto vero amnio, & fœtu creſcente, urinaria incipit circumcirca repleri, & amnios nullum de novo ſuccum nutritium attrahit, ſed ex eo, quem hactenus recepit, fœtui usque ad nativitatem alimenta ſubminiſtrat; quod inde confirmatur, quia quo adultior eſt fœtus, eo amnios minus, & urinaria magis repleta invenitur.

Inter Mathematica, ea quæ de infinitorum ſegmentorum in Cycloidis quadratura demonſtravit *Clariſſimus Dn. Bernoulli*, Gröning. Profeſſor, notari merentur; ſed cum illa adhuc certis conditionibus limitata ſint, nec cujuscunque indifferenter ſectionis ſpatium exhibeatur, nondum abſoluta vel indefinita, ſed ſolum partialis quadratura hæc æſtimari poterit. Methodum porro generaliſſimam *Dn. Varignon* exhibuit inveniendi curvas, ſecundum quarum longitudinem grave decidens horizonti appropinquat in quacunque ratione, ita ut non neceſſe ſit, progreſſionem Galilæi pro acceleratione ſupponere, ſed quævis alia progreſſio imaginabilis hic admitti poſſit. Cum etiam lineæ directionum, in corporibus cadentibus, ſemper ſupponantur ſibi invicem parallelæ, quod in exiguis extenſionibus & ad ſenſum, non autem in rigore mathematico verum eſt (in centro enim terræ omnes illæ concurrunt) hoc concurſu ſuppoſito, ſolutio problematis eſt exhibita. Neque in reſpectu tantum ad horizontem, ſed & ad punctum quodvis, non ſolum in axe curvæ, ſed in alio quovis ſitu, in plano tamen curvæ ſitum, corporum lapſus æſtimari poterit; unde non ſolum multæ novæ propoſitiones oriuntur, ſed & ex principiis omnino novis veteres demonſtrantur veritates, quales ſunt *Dn. Leibnitii, Bernoulliorumque fratrum*, de linea æqualis deſcenſus, dudum in his Actis editæ meditationes, quæ in hoc ſcripto §. IV. brevi ſequela ex priori calculo deducuntur. Idem *Dn. Varignon* æquationibus quoque ſecundi & tertii gradus reſolvendis, facilem ſimplicemque methodum invenit, quæ commentariis pariter

. p. 157. sqq.

Fig. 1.





riter eſt inſerta. Curvam navibus conſtruendis aptiſſimam, quo minima reſiſtentia in liquido moveantur, determinavit *Illuſtriſſimus Marchio Hoſpitalius*, ſimulque hoc calculo ſpecimen exhibuit, exactam navis figuram, ſine Geometria ſubtiliori & altiori, alias pro inutili habita, nunquam detectum iri. Vires muſculorum per pondera elevata, (quod & olim *Borellus* in opere ſuo de motu animalium fecit) *Dn. de la Hire* æſtimio accuratiori ſubjecit, ſcriptoque peculiari commentariis inſerto, inventa complexus eſt. Generaliſſimum determinandi Geometrice modum, circa clepſydras, exhibuit ſcripto *Dn. Varignon*, ubi quibuslibet vaſis datis cum foramine aquam, juxta quamvis hypotheſin celeritatis emittente, invenitur competens horarum diſtinctio; vel reliquis datis, inveniuntur vaſa convenientis figuræ. Ubi cylindricis vaſis, quæ ſpatio 12 horarum omnem aquam contentam emittunt, juxta hypotheſin celeritatis Galilæanam, compendioſam hanc præſcripſit deſignationem: tota altitudo cylindri in 144 partes æquales dividitur, earum 23 notant horam primam, ſequentes 21 ſecundam, 19 tertiam & juxta numeros impares deſcendendo, & tandem ultima una pars duodecimam. Piſtrinum caloris vi agitatum hic oculis ſubjicere proficuum fuerit, ut ſaltem aliquo modo applicatio ignis, quo per aeris expanſionem aqua altius elevanda, & ita pondere ſuo rotam circa centrum motura ſtatuitur, patefiat, quam ingenioſa inventione, multis experimentis fultus calculoque adjutus, certa proportione partium inter ſe ordinavit inventor *Dn. Amontons*, cujus egregium ſcriptum hac de re in commentariis hujus anni occurrit, nihilque videtur amplius deſiderari, niſi ut difficultates tum in conſtructione rotæ, tum ipſa applicatione occurſuræ tollantur, certamque theoriam facilis ſubſequatur praxis; quæ eo conſiderabilior eſt, quod hæc machina minimum 39 equis, vel 234 hominibus æquivaleat, & cuilibet tempori locoque, æqualis ſibimet permanens, conveniat. Sed en figuræ ipſius explicationem: Ignis in BB dilatat aërem incluſum in A, & dum is per canalem HI propellitur, ſuperficiem aquæ in I premit; hinc valvula 18 clauditur, valvulæ vero 7, 8, 9 aperiuntur, quo per eas aſcendat aqua verſus Y. Hoc latere onuſto, movetur rota circa centrum

TAB. II. Fig. 1.

trum G, & ſuccedit cellula B, cellula vero A immergitur in aquam, & , quo aër in ea contentus priſtinum recuperet ſtatum, demonſtratum eſt, ſi diameter a Q ad 19 ſit 8 pedum, a 20 ad 21 pedum 12, a 22 ad L ped. 18, & a 23 ad 24 ped. 30, profunditas vero 12 ped. calorque in BB æqualis aquæ ferventi, hanc machinam æquaturam vires 39 equorum.

De affrictu machinarum, ortoque inde grandi motus impedimento, jam pauca dedimus; meretur tamen res prolixiorem indagationem, quam idem *Dn. Amontons* ſcripto complexus eſt, cui tabulas 5 ſubjecit, quibus rigiditatem funium diverſæ craſſitiei, a diverſis ponderibus tractorum, computavit. Experimentum tale eſt: Firmiter annexis & ex ſublimi dependentibus duobus funibus A A, ad diſtantiam 5 vel 6 pollicum (vid. fig. 2.) annectatur inferius in CC lanx D. Circa cylindrum BB uterque funium ſemel ex una eademque parte A E F G circumponatur (vid. fig. 3.) Jam in D ponitur pondus quodpiam notabile, & circa medium cylindri BB contrario funibus A E F G circuitu EGF, circumvolvitur funiculus admodum flexilis, qui dependentem exiguam habet aliam lancem H, cui impoſitum ſufficiens pondus faciat deſcendere cylindrum BB, non obſtante reſiſtentia, quam rigiditas funium AC, AC producit. Hoc modo ſequentia ſunt obſervata:

TAB. II. fig. 2. — fig. 3.

Pondera quibus duo funes ſunt onerati	Reſiſtentia funium circa cylindrum $\frac{1}{2}$ poll. diam.	Reſiſtentia funium circa cylindrum 1 poll.	Reſiſt. fun. circa cyl. $1\frac{1}{2}$ poll.	Craſſities funium
60 ℔	135 unciæ	114 unc.	90 unc.	3 lineæ.
	90	76	60	2
	45	38	30	1
40 ℔	90	76	60	3
	60	$50\frac{2}{3}$	40	2
	30	$25\frac{1}{3}$	20	1
20 ℔	45	38	30	3
	30	$25\frac{1}{3}$	20	2
	15	$12\frac{2}{3}$	10	1

Ubi

Ubi ergo sunt solum pondera diversa, resistentia augetur in ratione ponderum trahentium. Ubi sunt simul diverse crassi funes, resistentia erit in ratione composita ponderum & crassitierum. Ubi cylindrorum inæqualitas consideratur, resistentia crescit quidem pro diminutione diametri cylindrorum, sed non in eadem ratione. Hinc & in exemplum calculi examinat eorum sententiam, quibus indifferens habetur, cylindros vel trochleas, parvæ aut magnæ diametri, usurpare. Sit onus 800 libr. elevandum, vel cum trochlea 24 pollicum in diametro, vel cum trochlea 3 poll. Cum ergo & axes earum & funes æqualis roboris, ob æquale pondus sustinendum, esse debeant, patet ex diversis rationibus affrictus, requiri vim moventem ultra 845 libr. in trochlea 24 pollic. sed in trochlea 3 poll. ex iisdem causis requiri vim 1236 $\frac{2}{3}$ libris superiorem, hoc est 391 $\frac{2}{3}$ lib. plus quam in priori motu.

Digna porro lectu sunt, quæ a *Dn. Couplet* de utilissimo libræ aquariæ seu chorobatis instrumento, tum parando, tum ad perfectionem debitam evehendo, accurate consignata & explicata inveniuntur: facilem enim & cuivis commodam praxin rei alias inter plures, nec sine difficultatibus peragendæ monstrant. Quare licet aliorum jam curis hoc instrumentum perfectum fuerit redditum, (est enim a *Dn. de la Hire* in tractatu A. 1684 edito descriptum, & a nobis in Tom. I. Supplement. p. 96 exhibitum) vix tamen publico communicatum censeri poterit, nisi cum promtus & cuivis facilis parandi tractandique modus simul, uti hic factum, communicetur. Verum in compendium redigi recusant monita Autoris, quæ universa, nisi perfectioni instrumenti velis detractum, sunt observanda. Parem necessitatem, singulas quasque partes exacte inspiciendi, in porta illa aquaria canalibus applicanda, ut & in instrumento, quod lapsus corporum proportionem indicat, deprehendent harum rerum curiosi, cum figuras æneas commentariis insertas cum explicatione contulerint. Quod autem maximopere & præ aliis attendi meretur, est promissio, qua artium descriptionem exactissimam, secundum eum statum, quo nunc in Gallia florent, edere parata est Academia Scientiarum, unde non solum artificia, incognita hactenus, in lucem protrahentur, artesque ipsæ, facile alias perdendæ, conservabuntur, sed & aliis exteris suas artium praxes

praxes cum Gallicis conferendi, & utrinque perfectionem earum procurandi dabitur occasio. Ars typographica cæteras omnes conservatura, initium fecit labori, & brevi specimen exhibebitur exactissimarum in literis figurarum, cum Historia Regis per numismata, quam Academia Inscriptionum elaboravit, his novis characteribus impressa publicabitur. Tandem Historia hæc Academicorum membrorum memoriam conservare studet, dum ultimum post fata honorem eis exhibet, mentionem faciendo brevem cujusque vitæ, studiorum & mortis, quod hic *Dn. Claudio Bourdelin* Medico obtigit, qui A. 1621 natus, A. 1699 fere octogenarius obiit, cum analysin chymicam plantarum plurimarum, oleorum, imo ad 2000 varii generis corporum, Academiæ ob oculos posuisset, & maximam partem operationum chymicarum in hac Societate a 32 annis factarum, vel peregisset ipse, vel invenisset; successorem nactus *Dn. Lemery*, virum chymicis & laboribus & scriptis celeberrimum.

Sequitur pari contentorum ordine Annus alter 1700, qui totus refertus est elegantissimis observatis & reflexionibus, quorum omnium magis indicem, quam epitomen, in recensione Historiæ *Dn. du Hamel* dedimus. Hinc & hic pauca solum delibabimus, quamvis fatendum sit, eam esse & utilitatem & jucunditatem rerum, ut injurius in opus nobilissimum, & in semet nimium parcus videri queat, qui tantum per partes exiguas sumere velit, quod integrum offertur. Inter Physica notabilis est Phosphorus Barometricus, ubi ex agitatione Mercurius ultra æquilibrium altius & profundius debito rapitur, & in descensu tantum circa superficiem, lucem quandam emittere, sed non in omnibus Barometris, cernitur. Causam rei vide & in Historia, & in scripto *Dn. Bernoulli, Grön. Prof.* inquisitam. Egregia quoque est in Anatomicis observatio *Dn. Mery*, de circulatione aëris, qui inspiratus in pulmones, per venas pulmonarias sinistrum cordis ventriculum ingreditur, hinc distributus per arterias in universum corporis habitum, non egreditur per poros cutis cum sudore vel transpiratis vaporibus, sed remeat cum sanguine per venas usque in dextrum cordis ventriculum, & inde in pulmones per arteriam pulmonariam, ubi iterum expellitur cum multis heterogeneis particulis; liquo-

liquoribus quidem transſudationem conſuetam eſſe per vaſorum membranas, demonſtrat *Dn. Mery*, quæ tamen omnem aëri tranſitum inflatæ denegant. Quæ porro de formatione vocis gutture per unicum rimulæ, quæ glottis dicitur, inſtrumentum, canali aſperæ arteriæ nihil ad formationem ipſam contribuente, exacta diligentia a *Dn. Dodart* perquiruntur, ut & de actione ventriculi in vomitionibus, prætereunda ſunt, ne nimium excreſcat noſtrum indicium. Chymici quoque plurimas invenient obſervationes, non facile obvias. Ex Botanicis unicum mutuamur, obſervationem nempe *Dn. Dodart*, qua ſpicam frumenti, in prima ſtatim ex terra germinatione formatam plenarie, microſcopio inſpectam exhibet, in ſuo de multiplicatione corporum viventium ſcripto.

Germen grani frumentarii microſcopio inſpecti. TAB. II. Fig. 4.

A. Pars radicis, unde tubus eſt abſtractus.
B. C. D. E. Tubus hujus cauliculi, cujus
B. primum eſt internodium.
C. ſecundum. D. tertium. E quartum. Quodlibet internodium folium ſecum portat, ſed illa demta ſunt, ut in illis foliis latens tectaque ſpica cerni poſſit.
F. Ultimum folium, quod ſpicam ſatis apertam relinquit.
G. Spica omnino formata in medio germinis.

Inter Mathematica *Dn. de la Hire* problemati: Datis tribus trianguli rectilinei lateribus, invenire ſuperficiem; aliam dedit conſtructionem, cujus demonſtrationem & ſimpliciorem, & vulgari conſtructioni demonſtrandæ ſimul aptam pronunciat. Sit Triangulum ABC, cujus tria latera a, b, c, ſint cognita; dicit Fig. 5.

$\sqrt{\frac{1}{8}aabb + \frac{1}{8}aacc + \frac{1}{8}bbcc - \frac{1}{16}a^4 - \frac{1}{16}b^4 - \frac{1}{16}c^4}$ = ſuperficiei trianguli.

Demonſtratio.

Prolongetur BC & ducatur AD perpendicularis, AD = x, CD = y; erit bb − yy = xx, & pariter aa − cc − 2cy − yy = xx hinc æquatio bb − yy = aa − cc − 2cy − yy, quæ reducitur ad hanc: 2cy = aa − bb − cc, & divid. utrinque per 2c

$y = \frac{aa - bb - cc}{2c}$ Consequenter AD $= x$ erit $= \sqrt{bb \pm \frac{aa - bb - cc}{2c}}$ quæ multiplic. per $\frac{1}{2}c$ dabit pro superficie trianguli radicem superius positam.

De viribus Centralibus seu Gravitationibus, quibus Planetæ orbes hactenus eis assignatos describunt, egit cum cura *Dn. Varignon*, ubi non solum Ellipsibus veris, quas *Keplerus*, *Newton*, *Leibnitius*, ut & in nupero opere Astronomico *Dn. Gregorius*; sed etiam illis alterius speciei, quas *Dn. Cassini* Planetis tribuit, (in quibus duarum ex focis ductarum non aggregatum, sed productum perpetuo æquale est,) vires convenientes calculo analytico inquisivit. Musici quoque invenient aliqua de soni fixi determinatione, quæ intimiorem sapiunt philosophiam.

Mechanica plura tum in Historia, tum in Commentariis occurrunt egregia; nominare saltem duo liceat, utraque *Dn. de la Hire* inventa. Primum est instrumentum universale ad jaciendas Bombas, quod *Dn. Blondelli* olim editum instrumentum, & simplicitate constructionis, & facilitate usus longe antecellit; sine intermixtis enim arithmeticis operationibus dirigit artifices. Describitur hoc ab Autore secundum omnes partes, peculiari schediasmate. Alterum est horologiorum portatilium minorum emendatio, quo magis ad æqualitatem motus reducantur. Egit quidem simul de majoribus horologiis oscillatoriis, verum illa sunt sublimioris calculi; hæc autem & universaliore utilitate, & simplicitate se maxime commendant. Scilicet pinnula illa, quæ in spiralem lineam intorqueri, & regulandis motibus libramenti communiter ab artificibus affigi circumponique solet, non immediate axi libramenti annecti debet, sed radius libramenti quidam, ad quartam di-
TAB. II. stantiæ suæ a centro partem, in ejus pinnulæ extremitatem bifur-
fig. 6. cam libere indendus est, ad modum, quem fig. 6. monstrat. Verum adhuc alio modo lamellulam illam chalybeam applicare docet, ut non in spiras, sed in undas formetur, & ad $\frac{1}{4}$ distantiæ a centro partem, furcula radium libramenti hinc inde comitabitur &
fig. 7. diriget, uti in fig. 7. exactius videre licet. Finitur hujus anni Historia Elogio *Dn. Tauvry*, qui vivis & Societati huic illustri Regiæ subtra-

tractus est A.1701, ætatis 31½ annorum, anatomicus insignis & prudens; quod inprimis ex *tractatu* ipsius *de generatione & nutritione fœtus*, A. 1700 edito, patet, in quem exactissime & inter reliquam praxin medicam elaborandum, forsan nimias vires, ad doctissimi adversarii objectiones solide diluendas, impendit. Successorem habet *Dn. Littre.*

ROGERI ASCHAMI EPISTOLARUM LIBRI IV. Accessit JOHANNIS STURMII aliorumque ad Aschamum Anglosque alios Eruditos Epistolarum Liber unus. Oxoniæ, apud H. Clements, 1703, in 8. Plag. dimid. 53.

NOn novus quidem est, quem recensendum Tibi L. B. hic sumsimus, libellus; sed Viri Clarissimi, literarumque humaniorum in Britannia restauratoris fere principis, Rogeri Aschami, aliorumque virorum eruditissimorum, quorum epistolas continet, fama & celebritate per universum, qua patet, eruditorum orbem, notus & dudum approbatus. Cum tamen Viro Clarissimo, Gulielmo Estlobio, post tres editiones Londinenses, quas annis 1576, 1578, 1590 Grantius divulgarat, postque duas Hanovienses A. 1602 ac 1610, & eam, quæ Coloniæ Allobrogum A. 1611 prodiit, novam hanc editionem adornare, insignique accessione ditare placuerit; nos etiam tam nitidam editionem utilissimi libelli publice hic commendandam existimavimus. In dedicatoria ad Robertum Hethæum Armigerum epistola, Estlobius Aschamum inprimis ob eruditissimam & prudentissimam Ciceronis in dicendo imitationem, amplissimo rerum usui conjunctam, laudat, illumque Checis, Smithis, Haddonis, Anglis; ac Sturmiis, Osoriis, Manutiisque merito comparat: ejus etiam familiam totiusque Aschamæ gentis historiam, post Grantium, cujus integra in laudes Aschami oratio exhibetur, luculentius declarare studet. Filium certe Rogeri *Ægidium Aschamum*, & ab humanioris eruditionis præstantia, & scribendarum epistolarum pari prorsus dexteritate commendat. Ultimum autem stirpis Aschamæ, Antonium, scriptis suis notum, & aliis jam celebratum fuisse, commemorat. Deinde libris quinque Aschami & amicorum ejus epistolæ, quotquot unquam aliis editionibus evulgatæ fuerunt, exhibentur. Hisce e MSS. quædam a

Strypæo aliisque amicis communicatæ adjiciuntur. *Primus* nimirum liber eas complectitur, quas ad Joh. Sturmium Aſchamus ſcripſit: inter quas, cum elegantiſſimæ ſint omnes, primum, quo poſita eſt, locum facile tuetur, quæ *imitandi præſtantisſimam rationem* exponit. *Secundus* liber eas continet, quas cum Cantabrigiæ bonis literis feliciſſimam operam navaret, ad fautores ſuos, viros maximi inter Anglos nominis, Reginamque etiam Eliſabetham dedit. *Tertius* eas comprehendit, quas & poſt abitum ex Gallia in Germaniam, & a reditu e Germania in Angliam, ad amicos ſcripſit. Tribus his libris, prima etiam editione excuſis, Clariſſimus Editor adjunxit *commendatitiarum, petitoriarum aliarumque hujus generis aliorum nomine ad alios conſcriptarum librum unum:* quæ quidem ſuavitatem illam, qua Aſchamus in ſcribendo uſus eſt, prorſus redolent, ac inprimis eandem in duabus adhuc ineditis epiſtolis, altera nomine Philippi & Mariæ Angliæ Regum ad Paulum IV Pontificem, de Reginaldo Polo, Cardinale & Nuncio in Anglia Apoſtolico, Reginæ inprimis caro, Pontifici autem hæreſeos ſuſpecto, non revocando, p. 378: altera officioſa, nomine Eliſabethæ (cujus ἀυτόγραφον adhuc in archivis bibliothecæ Bodlejanæ continetur) ad Regem Eduardum VI ſcripta, p. 380 declarant. His tandem additur *liber unus Epiſtolarum a Sturmio, Hier. Oſorio, Brandisbao, Nannio, Toxite, Sleidano, Leodio, Ciſnero, Spithonio, Petro Ramo, Montio, Smitho, Jo. Metello, Cirlero* & aliis ad Eliſabetham, Aſchamum & alios ſcriptarum, alibique jam editarum. Quas comitantur, inde a p. 431 ad finem usque, aliquot virorum præſtantiſſimorum adhuc ineditæ: inter quas & ſtyli præſtantia, & rerum gravitate, epiſtola *Eduardi Somerſet ad Univerſitatem Cantabrigienſem*, qua Cancellarii Academiæ munus ſe ſuſcepturum, & ex Univerſitatis commodo acturum promittit p. 431, & illa etiam *Buceri de ſacris recte inſtituendis* ad Jo. Checum p. 434, *Petrique Martyris de eadem materia ad M. Bucerum* p. 437, principem locum omnino merentur.

ELIÆ BENOIST, IN GALLICANA DELFENSI Eccleſia V. D. Miniſtri, adverſus Epiſtolam D. TACO HAJO vanden HONERT de Stylo N. T. Amica Expoſtulatio &c.

Del-

Delfis, apud H. Kronefeld, 1703, in 4. plag. 16.

POst Diſſertationum Philologico-Theologicarum de Stylo Novi Teſtamenti Syntagma, a Clar. Rhenferdio compilatum, aliud etiam, quod de eodem argumento Vir Reverendus Taco Hajo vanden Honert collegerat, ſuperiori anno p. 520 in his Actis exhibuimus. In quo poſteriori, epiſtola etiam Collectoris ultimo loco recenſita eſt, quam ille ad Virum Reverendum, Abrahamum Boddens, Paſtorem apud Amſtelodamenſes Eccleſiæ Gallo-Belgicæ vigilantiſſimum dederat. Is enim ante ad Taconem ſcripſerat, ejusque de ſtylo Novi Teſtamenti ſententiam ſibi expopoſcerat, quod a Dn. Jurieu & Dn. Benoiſt, occaſione verſionis Pſalmorum Maroti & Bezæ, a Genevenſibus Paſtoribus repudiatæ, ejusmodi rationes adhibitæ eſſent, quæ S. Literarum majeſtati ipſo judice non convenirent. Ii enim ideo repudiatam antiquam Pſalmorum verſionem volebant, quia obſoletas & ita barbaras voces ac φράσεις contineret, ut a noſtri ſeculi hominibus Gallis intelligi vix poſſet, ac proinde vel Pauli judicio, Eccleſia indigna eſſet. De quo quidem argumento ſententiam ſuam prolixa ſatis epiſtola, a nobis tum in compendium redacta, Taco Hajo vanden Honert aperuerat. At enim vero in eadem quædam duriora a Tacone in ſe dicta, ſententiam autem ſuam potius confirmatam quam confutatam putat Benoiſt: cum omnino tota controverſia, non jam ad λογομαχίαν, ſed ad meram συλλαβομαχίαν, κεραιομαχίαν, ac denique σκιαμαχίαν abeat, resque omnis in extremis vocis Barbariſmus ſyllabis hæreat. Βάρβαρον enim, βαρβαρόφωνον, aut βαρβαρόλεξον ſi dixiſſet Autor, facile tutum ſe fuiſſe a Taconis fulminibus credit; jam autem ipſum ad extremos vocis Barbariſmus apices ita excanduiſſe perhibet, ut in ſolam iſtius vocis terminationem teſtimonia, argumenta, fulmina conferat, moliatur, conjiciat. Adverſus hæc igitur ut aliqua ſeſe ratione tueretur, ultimum hoc de iſta controverſia ſcriptum edere ſe voluiſſe, Autor affirmat. In quo quidem tria potiſſimum agit. Primum enim exponit, qua occaſione commentariolum ſcripſerit, e quo a Tacone abominandi erroris inſimuletur. Brevi nimirum narratione controverſiam in Synodo quadam Zutphanienſi, de nova Pſalmorum verſione conficienda, deſcripſiſſe p. 12. Id vero non publico nomine, nec eo

fine, ut publicaretur, sed ut, dum approbaretur ab aliis, domi lateret, quorundam deinceps utilitatibus inservitura. In cujus scripti particula quadam, a Dn. Boddens male translata, cum Taconem Autoris de stylo Novi Testamenti sententia offenderit: *parte secunda* eandem prolixius explicat, ejusque hanc summam p. 22. exhibet: Et res & verba a Spiritu S. suis amanuensibus inspirata esse, nec unquam eis, si quando ad loquendum aut scribendum de rebus divinis se accingerent, necessarium illius auxilium defuisse. Imo nec eos unquam loquendi aut scribendi consilium cepisse, quin interno Spiritus jussu ac motu, ad hoc officium vocarentur. Tantam igitur Scripturæ S. sublimitatem, gravitatem, vim, efficaciam, ac majestatem, simulque tam ingenuam simplicitatem inesse, ut ei nullus eloquentiæ humanæ conatus, aut æquari aut anteferri possit. Hanc suam de S. Scriptura sententiam ubi multis explicuit Dn. Benoist, dissertationis hujus *partem tertiam* addit, seque a Taconis criminationibus vindicare studet. Hic vero varie se omnino læsum, varie a Tacone peccatum esse, existimat. Ac initio quidem comparationem styli Novi Testamenti cum stylo Maroti & Bezæ a se nusquam factam, sed ad Genevensium argumentum, qui versionem Psalmorum antiquam abrogare ideo volebant, quod Paulus I.Cor.XIV,11. barbaræ linguæ usum in Ecclesia interdixisset, responsum esse ait, Paulum per linguam barbaram non eam, quæ aliqua vocabula vel φράσεις barbaras habeat, sed universam orationem, quæ lingua auditoribus ignota, ideoque barbara habeatur, intelligere: alioquin ipsorum censuram in ipsum Pauli stylum recidere, in quo occurrant quædam haud minus ab usu τῶν εὐδαιμονέντων Ἑλλήνων remota, quam vetus Gallorum paraphrasis ab ævi hujus εὐδαιμονέντων Gallorum consuetudine, p. 63. 64. Deinde etiamsi ejusmodi comparationem instituerit, non propterea peccati alicujus vel impietatis argui se posse existimat p. 69, cum varie ab aliis Theologis & Philologis stylus sacer cum profano, scriptoresque sacri inter se comparentur, Matthæusque incultior, Lucas nitidior, Joannes lenior, Paulus vehementior ac elatior, styli ratione esse videantur, p. 70; id quod ex ipsis, quæ Taco adduxerat, Patrum testimoniis p. 75, 76, 77 declarat. Porro invidiam vocis *barbarismus* a se amoliturus, Taconem cum

cum maxime ſe in eo accuſet, in jocularium errorem incidiſſe ait, non conſiderando, ipſum Benoiſt hominem Gallum Gallorum more per barbariſmum nihil aliud, quam voces, Φράσεις, earumque conſtructiones, ex aliena lingua deſumtas, & nondum τῶν εὐδαιμονούντων ſuffragiis & conſuetudine receptas, intelligere, p. 79, 80; ut fruſtra ſit Taco cum omni ſuo apparatu, quo e priſcorum Grammaticorum uſu, vocis *Barbariſmus* κακίαν probare conetur, cum ſua ſententia divinæ S. Literarum autoritati plane non contrarietur. Explicata in hunc modum ſententia ſua, Autor nonnulla adhuc obſervat, extra ipſam quidem quæſtionem poſita, ſed quæ ipſi minus forte conſulte a Tacone ſcripta viſa fuerint. Primo enim minus accurate dictum eſſe, quod Strabonis judicio, ſchola Tarſenſis Athenienſi & Alexandriæ non ceſſerit: cum idem Strabo dixerit, Tarſenſes cives, pro ingenti ſcientiarum ſtudio, celebriores ſcholas adire, ut quandam ſcientiarum perfectionem adipiſcantur. Neque illud procul ab errore abeſſe videtur Dn. Benoiſt, quod Paulus a Tacone Græce doctiſſimus appelletur, cum nec ex eo vera Pauli gloria manet, nec ab ipſo Tacone negari poſſit, Philonem v. g. aliosve Paulo in literarum ſcientia facile antecelluiſſe. Imprimis cum ars Pauli textoria oſtendat, ipſum non de fortunatis, ſed de plebe Tarſenſi fuiſſe, indeque ejus ſermonem plebejum Ciliciſmum redoluiſſe, neceſſe ſit; ipſa etiam Tarſenſis ſchola, ſi omnino Paulum literis ibi operam navaſſe concedatur, circa Apoſtolorum tempora, ita comparata fuerit, ut eloquentiæ potius corruptio (omnibus enim Aſianis ſcholis tumidum atque inflatum genus dicendi, a Cicerone, Quintiliano, aliisque tribuitur) quam perfectio ex ea manare potuerit, p. 102. 103. 104. 105. Porro leviculum quendam Taconis errorem in eo deprehendiſſe ſibi videtur Dn. Benoiſt, quod is Strabonem Pauli σύγχρονον, conterraneum etiam ejus appellet; cum Amaſea, ubi Strabo natus eſt, a Tarſo, Pauli patria, ducentis fere milliaribus diſtet. Neque illum inter graviores Taconis lapſus refert, quod p. 127. 128. tam dubia ſit de Arnobii mente ſententia, quam ipſi porro Dn. Benoiſt inde a p. 106 ad 109 explicatiorem dare ſtudet. Tandem de Clerico a Tacone refutando quædam affert; quæ ut nos quidem aliorum relicta judicio volumus, ita Dn. Benoiſt Max. Rev. Oka-

nii

rii nostri sententiam de lingua Biblica (nunquam enim novam eam linguam facit, ut ait Benoist, sed ista voce singularem Novi Testamenti in dicendo characterem commodissime signari posse putat) p. 91 & 98 non omnino recte percepisse; de scriptoribus autem Germanicis p. 100 generatim immitius sensisse, arbitramur.

DISSERTATION SUR SAINT DENIS L'AREOpagite &c.

i. e.

DISSERTATIO DE S. DIONYSIO AREOPAGITA, qua ostenditur, Sanctum hunc auctorem esse eorum operum, quæ nomen ejus præferunt.

Parisiis, apud Petrum Debats, 1702, in 8. maj.
Constat 1 Alph. 9. Plag.

Mentio jam a nobis facta est præsentis scripti, cum mense superioris anni Septembri, Rev. P. Cozzæ Vindicias Areopagiticas recensuissemus. Nec alia fere ratione Anonymus illius Auctor, seu in vindicandis S. Dionysio operibus, quæ tribui illi solent, seu in refellendis Anti-Areopagitarum objectionibus, procedit, quam a Cozza factum: ut adeo repetere hoc loco, quæ de universo argumento prolixe satis in recensione Cozziani operis dicta sunt, supervacaneum fuerit. Nihilominus de ipsa controversiæ origine, quam tum intactam reliquimus, & in qua tamen momentum haud leve situm est, addere quædam non gravabimur. Nimirum cum A. 533 Constantinopoli, in palatio Justiniani Imperatoris, collatio inter Catholicos & Severianos, finiendi dissidii studio, quod inter eos occasione Concilii Chalcedonensis exarserat, instituta esset, tum vero primum omnium Severiani, Hæretici nempe, pro tuenda sententia sua, ad testimonium S. Dionysii provocarunt. Certe ante sextum illud a nato Christo seculum, cuiquam quicquam de Dionysianis operibus innotuisse, idoneis argumentis comprobari non potest. Ex quo tantum etiam abest, ut in collatione illa Orthodoxi in auctoritate Dionysii acquieverint, ut testimonia ex ejus operibus allegata rejecerint potius.

Illa testimonia, inquiebat Hypatius Archiepiscopus Ephesinus, suo ac Collegarum Catholicorum nomine, *quæ vos Dionysii Areopagitæ dicitis, unde potestis ostendere vera esse, sicut suspicamini? Si enim ejus erant, non potuissent latere B. Cyrillum. Quid autem de B. Cyrillo dico? quando & B. Athanasius, si pro certo scisset ejus fuisse, ante omnia in Niceno Concilio de Consubstantiali Trinitate eadem testimonia protulisset adversus Arii diversæ substantiæ blasphemias. Si autem nullus ex Antiquis recordatus est ea, unde potestis ostendere, quia illius sunt? nescio.* Unde Anti-Areopagitæ colligunt, cum ad S. Dionysii scripta tum primum provocatum fuerit, & quidem ab Hæreticis, eadem vero a Catholicis, velut spuria, fuerint repudiata, nec Antiquitati ea fuisse cognita, nec genuina esse, sed supposita. Nec deest tamen, quod respondeant adversarum partium patroni. Hypatium enim ajunt cum Collegis minime rejecisse S. Dionysii opera, sed illorum tantum testimoniorum, quæ a Severianis tanquam Dionysiana fuerant producta, fidem suspectam habuisse. Id quod Anonymus noster adeo confidenter asserit, ut ex eo, quod Hypatius S. Dionysii opera non rejecerit (de quo quidem adhuc sub judice lis est) inferre porro non dubitet, itaque Hypatium opera S. Dionysii agnovisse pro genuinis, eoque argumentum retorquere nitatur in adversarios. De quo alii viderint.

Duo supersunt, quæ obiter monemus. Primum est, quod Anonymus, dum speciatim Tillemontium, qui & ipse Tomo II Commentariorum Ecclesiasticorum, opera illa S. Dionysio abjudicaverat, refutare allaborat, duplicis erroris Virum doctissimum arguat; tum quod P. Sirmondum falso annumeraverit illis, qui scripta Areopagitica impugnarunt; tum quod Dallæum secutus, iis quoque Feburium, Ludovici XIII quondam præceptorem accensuerit, cum Feburium quidem opusculum contra missionem S. Dionysii in Galliam, minime vero contra scripta hujus Sancti, composuisse constet. Alterum, quod Anonymus noster libro suo Analysin seu Synopsin operum, quæ Areopagitæ vindicaverat, & Gallico quidem sermone, ut legi ab omnibus posset, etiam quibus opera ipsa nunquam visa sunt, subjunxerit: quam prudenter, de eo aliorum esto judicium, cum pauci forte futuri sint, qui in Ec-

clesiasticis antiquitatibus vel leviter versati, ubi libellum perlegerint, & candide animi sententiam exponere jubeantur, non agnituri sint, quæ in eo proponuntur, Apostolico ævo, & illius temporis, quo Areopagita vixit, simplicitati minime convenire.

JO. BALTHASARIS WERNHERI D. JURIS PROF. Publ. Curiæ Provincialis, Scabinatus Electoralis Saxonici & Facultatis Juridicæ in Academia Vitembergensi Assessoris, Elementa Juris Naturæ & Gentium, ex universali principio deducta, nec non ad usum in Jure Civili passim accommodata.

Vitembergæ, literis Jo. Gothofr. Meyeri, 1704, in 8.
Constant 1. alph. 8. plag.

EXcellentissimum Autorem, gravioribus licet muneribus in Illustri Academia Wittenbergensi admotum, literis, quibus semper, ac inprimis, quod novimus, cum Lipsiæ viveret, impense deditus & delectatus fuit, nondum desuescere, hæc, quæ jam exhibemus, Juris Naturæ & Gentium Elementa ostendunt. Qua in re, eum fere in hæc studia affectum in Consultissimo Autore deprehendere licet, qualis quondam Celeberrimi Antecessoris Wittenbergensis B. Ziegleri fuit. Hunc enim quotidianus causarum forensium usus, crebræ actuariorum, tabulariorum, tabellionum, scribarum & aliorum ministrorum publicorum, tum & ipsorum litigantium interpellationes, impedire non potuerunt, quo minus doctissimas in opus Grotianum notas & animadversiones conficeret, ceu ex præmissa Præfatione colligere licet. E re autem Lectorum esse videtur, specialius nonnihil præmonere, quis præcipuus horum Elementorum sit scopus. Nimirum animus Nobilissimi Autoris, mathematicis disciplinis ab ineunte ætate innutritus, illa, quæ imperio solius rationis ultimato subsunt, credere potius quam scire, et cuiquam veritati, nisi clare distincteque perceptæ, assentiri, servile liberoque ingenio indignum judicavit, atque adeo parem cum demonstrationibus mathematicis certitudinem, in rebus moralibus ubique requisivit. Hanc vero cum in multis libellis, qui talem demonstrandi modum præ se ferunt, frustra quæsivisset, eoque tempus & laborem nequicquam prodegisset Noster, pristinum ardorem sensim lan-

languescere, & animum tædio correptum, ad hæc studia propemodum frigere sensit. Cum vero hoc ipsum, nihil certi in disciplina juris naturalis dari, falsum esse, evidenter cognosceret, nec tamen, in quo pedem figere liceret, inveniret, nihil consilii reliquum ipsi esse fuit visum, quam ut ex integro omnia ageret, ac, quid in ipsis fundamentis, quibus universa morum disciplina superstructa est, solidi subsit, accurate investigaret atque distincte perciperet, &, si illa lubrica esse, & facile subrui posse intelligeret, novam veritatis indagandæ viam ingrederetur, aut saltem hoc ipsum, demonstrationibus in hoc genere locum nullum esse, certo cognosceret. Instituto ergo principiorum, quæ huic disciplinæ substerni solent, examine, facile perspexit Consultissimus Autor, ex cæteris ne quidem generalissima juris naturæ capita deduci posse, solam vero philosophandi rationem, quam Grotius & Pufendorfius sectati fuerunt, aliquid solidi in recessu habere videri; sed simul valde miratus est, quod uterque, in explicandis juris naturæ præceptis particularibus, principium a se præstructum deseruerit, ac ad solas æquitatis rationes, quæ sæpe pari pondere in utramque partem suppetunt, prolapsus sit, ut quoad speciales quæstiones, perinde videatur, atque si nullo docendi principio illi usi sint: cujus rei rationem non aliam Nostro deprehendere licuit, quam quod Duumviri illi, ex recepta opinione, multa ad jus naturale retulerint, quorum moralitatem ex substrato principio deduci non posse intellexerint; ea igitur illos quibuscunque rationibus, aliunde petitis, maluisse munire, quam tantam partem ex hac disciplina eliminare. Enim vero cum semel genuinum juris naturæ fundamentum indagasset Autor, atque obfirmato animo, in perquirendis legibus naturalibus, ad illud unum recurrisset, in proclivi fuit deprehendere, eorum pleraque, de quibus Moralistæ tam acres & ambitiosas lites movent, plane ad objectum juris naturæ haut pertinere, & hinc de illis statuendi liberrimam facultatem cuivis Legislatori relictam esse. Quo igitur de genuino hoc fundamento clarius constet, universam juris naturæ disciplinam delineare, quidve ad eandem proprie pertineat, & quid inter indifferentia reponendum sit, breviter indicare, Nostro visum fuit; qua in re ita luculenter se versatum putat, ut cuivis sanæ mentis,

hac via ingresso, perfacile sit, omnia Juris naturalis præcepta, sine ullo negotio, cognoscere & demonstrare. Hic est adeo præcipuus horum Elementorum scopus, propriis fere Nostri verbis repræsentatus, ex quo facile patet, quantum ei juris naturalis studium debeat. De cætero uti Grotii ac Pufendorfii lectioni se multum debere, Autor fatetur, ita eum Elementa hæc fere juxta ductum scriptorum Pufendorfianorum, ac in specie libri de *Officio Hominis & Civis secundum Legem Naturalem*, confecisse, satis liquet. Nam explicatis actionibus humanis earumque norma in genere, de legibus naturalibus disserit; postea religionem naturalem, ac officia erga se ipsum, cum jure & favore necessitatis, persequitur; inde ad officia socialitatis progressus, tam officia absoluta quam hypothetica recenset, in quem locum adeo officia paciscentium, sermocinantium, acquisitio dominii, pacta & contractus, modi tollendi obligationem, ut & interpretatio, ab eodem referuntur. Quibus absolutis, ad officia ex diverso statu fluentia pergit, ac explicata civitatum origine & forma interna, initia & partes summæ potestatis, respublicas mixtas, affectiones summi imperii, modos illud acquirendi, ejusque sanctitatem, summorum Imperantium officium, & potestatem Principis circa singulas imperii partes enarrat, ac explicatione modorum, conditionem civis ac civitatis tollentium, totum tractatum obsignat. Hoc igitur in genere notato, satis erit, si aliquo exemplo laborem Autoris illustremus. In capite quinto, de principio legum naturalium idem sollicitus, post relatas improbatasque aliorum sententias, duas propositiones fundamentales, quarum una præceptis, altera prohibitionibus naturalibus adæquate respondeat, inculcat. Prior hæc est: *Quicquid ita comparatum, ut, si ab omnibus hominibus omitteretur, generi humano pereundum esset, illud per legem naturæ a Deo præceptum.* Posterior huc redit: *Quicquid ita comparatum, ut, si ab omnibus hominibus fieret, generi humano pereundum esset, illud naturaliter a Deo prohibitum.* Et quamvis hæc principia tam clara & manifesta videantur, ut quemvis cordatum eorum veritatem facile agniturum esse, speret Noster, attamen dubia præcipua, quæ contra illud moveri, & imperitis præsertim fucum

face-

facere possint, in capite sexto diluere, iisque discussis, in capite septimo principiorum laudatorum usum, in quæstionibus specialibus decidendis, non exiguum, aliquanto uberius ostendere voluit; ex qua tractatione aliqua exempla referemus. Sic controverti solet, an rei commodatæ, quæ casu periit, apud commodantem tamen peritura non fuisset, æstimationem commodatarius præstare debeat? In utramque partem ambiguis æquitatis rationibus pugnari solet, sed Noster ex suo principio rem facile absolvit. Cum enim manifestum sit (sunt verba ejus) neque positam commodatarii, ad præstandum tali casu rei pretium, obligationem nexum generis humani involvere, neque ejusdem negationem simpliciter illius ruinam maturare, inde fluit, de hujus quæstionis objecto nihil jus naturale disponere. Pari compendio definit quæstionem: utrum in locatione, conductione, cui aliquid aleæ subest, propter incertitudinem proventus & fructuum, qui ex bonis locatis sperantur, aliquid de pensione, ob improvisam, & casu aliquo rariore contingentem sterilitatem, a locatore remittendum sit, nec ne? Cum enim, neglecto inani rationum æquitatis, in utramque partem ab aliis afferri solitarum, conflictu, hæc quoque materia, simplici & necessario nexu, cum natura humana non cohæreat, inde eam intactam relinquere, atque in neutram partem pronunciare, lex naturæ, Nostri judicio, intelligitur. Corruit etiam difficultas quæstionis: an peccent in legem naturalem, qui in summa penuria, in cibum sorte ductos, aut eos, qui sortem respuunt, extra eam jugulant? Neque enim videt Noster, qui nexum generis humani hæc, in ultimo necessitatis casu, data occidendi licentia tollat, maxime cum in genere ea solum occisio illicita censeri possit, quæ contra jus & fas sit suscepta, de quo, ex lege naturali, nonnisi per deprehensam necessariam cum conditione generis humani disconvenientiam, constet.

NICEPHORI GREGORÆ BYZANTINA Historia, Græce & Latine, ex recensione JO. BOIVINII.

Parisiis e typographia Regia, 1702, in fol. maj.

PRomissi nostri memores, quo nuperrime post eorum, quæ ad ipsam hanc nitidissimam & auctiorem longe Historiæ Byzantinæ

tinæ editionem attinebant, in Actis his enarrationem, de *Vita Gregoræ*, a viro Clarissimo *Jo. Boivinio* operi huic præmissa, nos alibi dicturos sumus polliciti, jam seorsim potiora vitæ istius, auctius & ornatius, quam hucusque factum, conscriptæ momenta sistere adgredimur. Equidem non ignoravit Boivinius, *Martinum Hankium*, Virum, ipsius quoque judicio, doctum & in historiis Græcis Latinisque haud mediocriter versatum, vitam Gregoræ non ita pridem satis accurate enarratam vulgasse. At tamen cum is libros Gregoræ alios non viderit, quam undecim priores ab Hieronymo Wolfio editos; Boivinius autem integros duodequadraginta habuerit, nec non alia ejusdem Auctoris anecdota, ac in iis maxime Dialogum de Sapientia, qui & *Florentius* inscribitur: fieri inde non potuit, quin Vita Gregoræ, ex tot novis codicum MStorum & anecdotorum adjumentis, magnam partem auctior a Boivinio adornaretur.

Natus est *Nicephorus Gregoras* noster in Asia, circiter annum Christi 1295, imperante Andronico Seniore. Paphlagonem eum facit Patriarcha Philotheus in Antirrheticis: at ipse Gregoras in Dialogo de Sapientia vocat se Heracleotam. De parentibus aliisque ejus cognatis, præter avunculum Joannem, Heracleæ Metropolitanum, nihil memoriæ proditum esse, Boivinius commonet. Præceptores autem eum tres habuisse maxime illustres memorat, Joannem avunculum, Glycyn Patriarcham Byzantinum, & Theodorum Metochitem Magnum Logothetam. Sub Antistite avunculo, *suo*, ut alicubi loquitur, *post Deum ab infantia curatore*, in urbe Heraclea, quæ Heraclea Ponti dicitur, & in finibus Paphlagoniæ sita est, prima puerilis doctrinæ rudimenta posuit. Inde translatus Byzantium, in Rhetoricis se in Patriarchæ, Joannis Glyceos, disertissimi apud illius ævi homines & Attici sermonis peritissimi Rhetoris, disciplinam tradidit. In Astronomicis vero ibi Magnum Logothetam magistrum sibi excellentem elegit. De hoc Magno Logotheta scitum est dictum Gregoræ, quo ab Andronico Seniore interrogatus, quo pacto Metochites, a tenuibus initiis profectus, summus Astronomus evasisset, *Nihil mirum*, respondit, *ex parva lampade magnam facem accendi.* A Logotheta Magno, jam annos 27 natus, in Imperatoris Andronici aulam, omnis

omnis eo tempore honestatis & virtutis officinam, & literariæ eruditionis gymnasium, se contulit Gregoras. Ubi cum gravi inter cetera oratione, duas in Andronico virtutes, sapientiam & eloquentiam solenniter laudavisset, ultra quam speraverat, benevolum sibi Imperatorem expertus est, ita quidem, ut ei, acerbissima utut apud Græcos oratorum indignatione, Chartophylacis dignitatem in gratiæ pignus offerret: quem tamen honorem, in Ecclesia apud Græcos primum, Gregoras modeste repudiavit. Aliquanto post, A. C. circiter 1324, nobilis inter eruditos de Paschate orta est controversia. In qua cum & Gregoras suam, de Paschatis diei correctione, sententiam in palatio Andronici docte explicuisset, & Paschatis festum proxime ante diem Martii vigesimum instituendum esse demonstrasset: Imperator quidem illius consilium de Paschate corrigendo probavit, rem ipsam tamen, quod diem vigesimum secundum Martii, toto orbe receptum, vix aut difficulter aboleri posse prævideret, adgredi noluit; usque dum alii Astronomi & Chronologi, & in iis præcipue Isaac Argyrus, Gregoræ sententiam defenderunt, & seculo demum XVI, apud Latinos Calendarium ex auctoritate Gregorii XIII, eo fere modo, quem Gregoras designaverat, fuit reformatum. A. 1326, legatus missus est Gregoras ad Cralem, ut, quod etiam persuasionibus suis impetravit, Irenen, Theodori Metochitæ filiam, quæ mortuo conjuge Jo. Palæologo, ex Panhypersebasto Cæsare creato, ad Cralem generum suum secesserat, ad patrem reduceret. Biennio post, cum Junior Andronicus Constantinopolin noctu per proditionem esset ingressus, Gregoras bonis omnibus spoliatus, non tamen eodem cum Metochite, utpote Didymotichum relegato, infortunio in exilium missus fuit. Auxit eas calamitates mors avunculi Joannis, Heracleæ Archiepiscopi. Non multo post tamen in pristinum gratiæ & honoris locum est restitutus, cum Barlaamum, Calabrum, hominem elatum, qui se scire omnia fuerat gloriatus, in conflictu cum eo instit[illegible], magno qui aderant adplausu, ad silentium redegisset. Itaque ad publicam jam docendi provinciam redire jussus, magnum universo fere orbe sibi nomen fecit, & ut hodie in scholis Aristoteles, ita ipse tum per antonomasiam *Philosophus* vulgo dictus est. Neque enim vero imberbes solum adolescentes discipulos

pulos nactus, sed & consummatæ doctrinæ Philosophos, Astronomos, Rhetores, aliosque ætatis provectæ literatos, quos videlicet Gregoræ eruditio omnigena, & supellectili mathematica librariaque instructissimum museum, undecunque excitos, alliciebat. Interea A. C. 1332 Senior Andronicus, & triginta diebus post, Magnus Logotheta decessit; cujus utriusque mortem Gregoras, hortatu cognatorum, monodia publice recitata est lamentatus. Post mortem Andronici Senioris A. C. 1333, oblatum a duobus Latinis Episcopis, Joannis XXII legatis, de componendis Ecclesiarum discordiis certamen, Gregoræ consilio a Græcis fuit declinatum. Ille enim longa apud Patriarcham, coram selectis Episcopis, oratione edisseruerat, non cuivis permittendum disputare cum Italis & Pontificis summi legatis; deinde fidei controversias, omnibus Ecclesiæ Præsulibus convocatis, oportere definiri; porro munus constituendi judicis ad Græcos pertinere; & quæ sunt cetera. Nihilominus Barlaamus pro Græcorum dogmate multa tum scripsit, adversus Romani Pontificis legatos: quorum pauca typis expressa, pleraque tamen manuscripta in codicibus Regiis extare, Boivinius perhibet. Annis ex eo tempore septem elapsis, acres inter Barlaamum & Gregorium Palamam exortæ contentiones, magnas in Ecclesia Græca turbas excitarunt, ex quibus multæ postea in Gregoram molestiæ redundarunt. Palamas enim jam pridem a Gregora notatus, quod Divinam substantiam oculis corporeis a se visam jactasset, patrocinium suscipiebat Græcorum Monachorum, quibus Divinum lumen corporeis itidem oculis videri posse affirmantibus, & lumen, quod in monte Thabor discipulos Christi circumfulsisset, increatum simul & aspectabile fuisse dictitantibus, Barlaamus Massalianismum, & Omphalopsychorum errorem, acerrime objectabat. Itaque A. C. 1341, mense Junio, litis dirimendæ causa, ab Imperatore concilio indicto, Byzantiorum lectissimi ac doctissimi in S. Sophiæ ædem convenerunt. At Gregoram, ab Imperatore & Patriarcha peramanter & solicite invitatum, chronicus tum suus, isque vehementissimus capitis dolor, domi detinuit. Triduo vel quatriduo post habitam synodum, in qua quid actum sit, nihil certi constare ait Boivinius, Imperator, Andronicus Junior, vitam finivit: cujus mortem tertio luctus die Gregoras, do-

mus

mus Augustæ Principum hortatu, flebili oratione prosecutus est. Post hæc civili bello Byzantii distracti, & Ecclesia ipsa dogmaticis Palamitarum & Acindynianorum rixis fuit perturbata. In iis turbis, maximis Theologis inter se altercantibus, Gregoras, cum in solitudinem ultro concessisset, unus siluit, quod tum pacifica sua consilia nihil apud quenquam valere animadvertisset. Ab Anna Augusta autem, post convocatam a Joanne Patriarcha circiter A. C. 1345 synodum, quæ Palamam ut hæreticum damnavit, in aulam iterum accitus, & ab Acindyno, ut silentium rumperet, stimulatus Palamam & Palamitas omnes, qua scriptis, qua dictis infectari cœpit, & perstitit in eo Gregoras, in exilium forte ea propter, minis Augustæ, Palamæ reconciliatæ, iturus, nisi Cantacuzenus Byzantium sub illud tempus, A. C. 1347, cepisset. Hic cum longe ante, quam ad supremam dignitatem evectus esset, Nicephorum Gregoram in intimis habuisset, veteris familiaritatis jus jam quoque integrum ei servavit, utut plus æquo in Palamitas propensus. Gregoras proinde de Imperatoris, *amici*, ut loquitur, salute sollicitus, omnibus modis, ut aberrantem in viam reduceret, annisus est, atque demum quoque Irenæ, uxoris, in suas partes pertractæ suasu, multisque ultro citroque sermonibus habitis pervicit, ut Isidori Canones seu Hymnodiæ igne Byzantii delerentur, iique, quibus hucusque adempta erat, loquendi libertatem reciperent. Biennio fere, postquam hæc gesta sunt, sub exitum anni 1349, obiit Constantinopolitanorum iste Patriarcha Isidorus. Cantacuzenus Imperator, & Irene Augusta, Patriarchali dignitate oblata Gregoram jam flectere, & sibi mancipare conabantur. At Gregoras, aliis etiam jam artibus sæpe tentatus, ut sententiam mutaret, nec his pollicitationibus adduci potuit, sed honorem oblatum magno religionis zelo repudiavit. Itaque Monacho montis Atho, nomine Callisto, Patriarcha creato A. 1351 Cantacuzenus, ut Acindynianis silentium imponeret, synodum convocare constituit, at non œcumenicam. Gregoras ea re audita, privatim illico Cantacuzenum, ne Episcopis paucis, iisque maximam partem indoctis, judicium in Ecclesia permitteret, graviter admonuit. Sed cum nihil aspera sua admonitione apud eum se profecisse vidisset, aulicæ vitæ penitus renuntiaturus, habitum monasticum,

citra ullam ceremoniam, unius ſacerdotis religioſi interventu, induit. Ubi indictus ſynodi dies advenit, Gregoras tribus Pontificibus, multisque ſociis ac diſcipulis comitatus, horam circiter diei ſecundam palatium ingreſſus, ab interioris aulæ aditu per lictores initio excluſus fuit, & epulantibus interea apud Imperatorem Palamitis, diu in veſtibulo manere adactus. Poſt prandium, Palamitis in Alexii triclinium hora ipſa meridiana introductis, tandem & Acindyniani impranſi juſſi ſunt intrare. Ipſa Pſeudo-Synodus quatuor intra quindecim dies ſeſſionibus abſoluta, totiusque in ea habitæ diſputationis exitus hic fuit. Confirmata Palamæ doctrina: in Barlaamum & Acindynum mortuos horrendi carminis anathema pronunciatum: Epheſi & Gani Metropolitis, cum Gregora ingreſſis, adempta per vim dignitatis inſignia: Gregoræ diſcipuli alii in cuſtodias dati, alii omnem cum magiſtro conſuetudinem coacti ejurare: ipſe tamen Gregoras nullo dicto violatus; ſed ei & aliis quibusdam permiſſum eſt, domum ut abirent. Paulo poſt, in feſto Aſſumptionis, Cantacuzenus omni ornatu Imperatorio adyta templi ingreſſus, & *Tomum Synodicum* ſeu *Palamiticum* propriis manibus geſtans, altari illum impoſuit, Palamitis ob meritum iſtud finium Imperii propagationem ſpondentibus. Gregoras novo illo & inuſitato Tomum Synodicum conſecrandi ritu audito, *Immo*, inquit, *cum videritis abominationem deſolationis ſtantem in loco ſancto, cognoſcite, quoniam appropinquavit deſolatio Imperii Romani.* Quam ob prædictionem utut Gregoræ illico, cæterisque Orthodoxis, ſilentium fuit impoſitum: Nicéphorus Gregoras tamen ne tum quidem linguam calamumve continuit, ſed ſcriptis ad Trapezuntios & ad Cyprios amicos literis, Byzantinam Eccleſiam perverſæ doctrinæ accuſavit, & ab ea ut ſecederent, eos commonefecit; quin & ipſos auſus eſt Principes criminari. Itaque domus ſuæ parietibus incluſus, Monachorum cuſtodiæ datus eſt, & cum interea nec miſſi a Cantacuzeno Senatores, nec Epiſcopi, nec ipſe Patriarcha cum Cabaſila movere eum potuiſſent, ut novis decretis ſubſcriberet, e quibus illi voces ſuſpectas & litigioſas ſublatas affirmabant: durior inde illum, quam antea, vigilum Monachorum cuſtodia circumcluſit. Inter quamplurima, quæ in iſto carcere paſſus eſt Gregoras, incommoda hæc

hæc etiam Boivinius refert: cum frigus hyemis esset acutissimum, aquæ gelidæ pocula aliter tepefacere non potuit, nisi Solis radiis per fenestram in cubiculum intromissis: Eucharistiæ sacramentum privatim sibi ipsi, cum aliter non liceret, Basilii M. aliorumque complurium virorum sanctorum exemplo, administravit: post sacræ Scripturæ libri ipsi per vim adempti: demum a Principibus per varios emissarios, quos αὐθημερινοὺς θεολόγους seu *unius diei Theologos* vocat, captiosis argumentationibus tentatus. Nihilominus tamen, in his carceris ærumnis, libros Historiæ Byzantinæ decem composuit, tanta quidem celeritate, ut vix dies quadraginta ei scriptioni impenderit; eosque librum decimum octavum & novem deinceps continuos esse, Boivinius commonet. A. C. 1354 a Matthæo, Cantacuzeni filio, in imperii socium a patre cooptato, denuo tentatus est Gregoras; sed ille in sententia sua immotus & inexorabilis perstitit, severius inde quoque custoditus: donec anno eodem exeunte, cum Joannes Palæologus Byzantio potitus esset, libertatem recepit. Anno proxime insecuto, cum Legato Pontificis Romani, Paulo, quod putat Boivinius, Archiepiscopo Smyrnensi, in aula Palæologi docte & mascule disputavit. Posthæc variis libellis a Palamitis, Cantacuzeni consilio, oppugnatus est & traductus, quorum unum MStum in bibliotheca Regia Parisiensi, alium in bibliotheca Ambrosiana Mediolani extare, Boivinius memorat. Tum quoque a Joasapho, quod Cantacuzeni monasticam disciplinam professi nomen est, aliisque viris Byzantinis, mendacii & maledicentiæ accusatus. Atque horum malis artibus quoque factum, ut libri Gregoræ magnam partem corrupti fuerint ac depravati, imo fortasse etiam quidam, ut plerisque auctoribus, suppositi; cujusmodi maxime esse existimat Boivinius *Somnium* illud Gregoræ *Propheticum*, a Philotheo Patriarcha productum & explosum. Mortis tempus & genus nondum sibi compertum esse, Boivinius fatetur; nisi forte liceat conjecturare, Gregoram eo ipso anno, quo Historiam suam Byzantinam finit, anno nimirum 1359 decessisse. Cæterum corpus ejus diu Palamitarum inhumanitate insepultum & ludibrio habitum, Boivinius adhuc commemorat, atque ultimo virtutes æque ac vitia tanti Scriptoris, comparatione simul cum Cantacuzeno instituta, subjungit.

THE ANCIENT ψυχϱολυσία REVIVED.

i. e.

ANTIQUA ψυχϱολυσία REVIVISCENS, SEU Exercitatio de Balneorum frigidorum usu æque tuto ac utili, per JOHANNEM FLOYER, Equitem, Med. D.

Londini apud Sam. Smith, & Benjam. Walford, 1702, 8.
Constat Alphab. 1.

POstquam Author Clarissimus in *Inquisitione in Usum & Abusum Balneorum Angliæ calidorum, frigidorum & temperatorum*, ante lustrum edita, & a nobis *Anno 1698 Mense Novembri pag. 524* recensita, quosdam ex vulgo Medicorum castigaverat, quod pro insensibili transspiratione conservanda & promovenda, ad thermas sine discrimine, neglectis frigidis balneis, ægros ablegent, suum nunc esse putavit, in quibusdam epistolis, ex quibus præsens tractatus conflatur, modum frigida se aqua abluendi & salubrem & tutum esse, prolixius probare. Ad quod dum se accingit, antiquitatem *ψυχϱολυσίας in prima Epistola* commendat, & ad Patriarcharum lustrationem respicit, quam deinceps Ægyptii, Judæi, Græci, Romani, & omnium terrarum, sive calidarum, sive frigidarum incolæ, non minus pro animæ quam corporis munditie recuperanda, imitati sint. Annectit insuper quasdam cautelas, circa balneorum usum observandas, ut scilicet V. S. & purgatio corporis præmittatur, pro diversa & morbi & ægri conditione; frigidam sub æstu corporis, sudoribus, ventriculo repleto, ne intrent ægri, nec diutius, quam vires permittere videntur, inibi permaneant, sed nonies vel decies, aut certe bis vel ter per septimanam, balnea repetant; ut post eorum usum, sudores provocent, imprimis si paralysi, vel rachitide, aut alio morbo genus nervosum cum obstructionibus afficiente laborent, qui tamen in flatulentis affectibus, & quando balnea præservationis aut spirituum corroborandorum gratia usurpantur, sint omittendi.

In *Epistola secunda* opinionem *Hippocratis*, circa naturam & utilitatem balneorum, ex ejus *de Veteri Medicina, de Diæta*, & de *Humoribus* libris commemorat, & exin concludit, balnea fri-

frigida nos calefacere, poros occludendo, ac effluvia calida cum spiritibus aëreis conservando, sed calida frigefacere, poros aperiendo, spiritus dissipando, & vires prosternendo: subjectum, in quod utraque balnea operantur, esse cutem, quæ humectetur, & spiritus aëreos, intra humores contentos, quorum quantitas & elasticitas per frigida augeatur, per calida imminuatur: utraque balnea cacochymiam non tollere, sed mediante vel calore vel frigore, modo rarefacere, modo condensare: frigida balnea jejuno stomacho usurpata calefacere, post pastum admissa exsiccare; & qui sunt alii effectus, quos utraque balnea, pro corporis & morbi conditione præstare dicuntur.

In Epistola tertia Veterum immersionem infantium baptizandorum proponit, ac in specie hunc ritum in Anglia ad annum usque 1600 fuisse observatum dicit, atque exinde infert, quod cum Deus & Ecclesia immersionem in aquam frigidam, tanquam innocuam, per 16 secula commendaverit, hujus immersionis pariter, ac balneorum frigidorum, salubritas male in dubium fuerit vocata. Maxime autem salubre esse tale lavacrum & animæ & corpori, exinde porro evidens esse putat, quod genus nervosum maxime roboretur, spiritus animales augeantur & conserventur: quapropter veteres Sacerdotes se non tantum frigida ablutione ad sacra officia præpararint, sed etiam proselytorum corpora aqua lavarint, & hoc modo ad novam capiendam doctrinam disposuerint. Quinimo morbos hæreditarios in infantibus, per immersionem in frigidam aquam, quemadmodum curari, ita & præcaveri, exemplo rhachitidis, (quæ post illud demum tempus in Anglia orta sit, quo immersio baptizandorum fuit abrogata) calculorum, torminum, exanthematum, excoriationum & inflammationum probat.

In ultima Epistola varia allegantur exempla eorum, qui ex frigidorum balneorum usu, sanitati fuere restituti, ex quibus infert Noster, convenire has aquas non solum pro corrigendis humoribus sive biliosis, ut in scorbuto calido, sive flatulentis, ut in malo hypochondriaco & hysterico, sive salsis, ut in renum affectibus & podagra, sive viscidis, ut in rheumatismis, sive putridis, ut in lepra, febribus &c. sed generi nervoso quoque magna se commendare utilitate, ut in paralysi, stupore, vigiliis, mania, epi-

lepsia, convulsionibus, vertigine, inflammationibus nervosarum partium. Adjecta est huisce Epistolis Appendix prolixa, in qua, quæ ad dictorum illustrationem facere poterant, adduntur.

C. PLINII CÆCILII SECUNDI EPISTOLÆ ET Panegyricus cum variis Lectionibus & Annotationibus.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1703, 8. Alph. 2. plag. 8. Venales prostant apud G. West.

PRæsentem Plinii editionem debemus doctissimo Viro, Thomæ Hearne, qui nihil prætermisit eorum, quæ ad emendandum expoliendumque hunc auctorem, ullo pertinere modo videbantur. Neque enim textum solum ad Elzevirianæ editionis, omnium certe, uti adfirmat, emaculatissimæ fidem recognitum dedit, sed tres quoque MS. codices in auxilium vocavit, eosque, quantum fieri potuit, diligentissime contulit. Horum duos suppeditavit bibliotheca Bodlejana, membranaceum alterum, alterum chartaceum, a Laurentio Valla sua manu innumeris locis notatum; quem ad calcem testari ait, se nunquam plus laboris, quam in hoc auctore emendando exhausisse. Tertii, itidem chartacei, in bibliotheca Collegii Lincolniensis reconditi, copiam fecit Vir doctissimus J. P. (quibus literis, ni fallimur, denotatur eruditissimus & nobis quoque aliquoties jure meritoque laudatus Jo. Potter, ejusdem Collegii Socius. Non minus rationem habuit eorum, quæ ex codice Westmonasteriensi (qui non ita pridem cum aliis quam plurimis fatali incendio perierit) editor prior Oxoniensis, ex MS. quodam Rodolphi Agricolæ Sichardus, ex Palatino Gruterus, & Modius ex Neustetterianis, nobis conservarunt. Imo vero ne quicquam desideretur illorum, quæ ad adornandum hunc auctorem facere possint, adjecit conjecturas clarissimorum Virorum, Justi Lipsii, Joannis Livineji, Cunradi Rittershusii, Isaaci Casauboni, Fridrici Gronovii, Latini Latinii, Casparis Barthii, Joannis Schefferi, Christophori Cellarii, aliorumque haud paucorum. Præterea ex impressis libris duos præcipue, qui ex Aldi nimirum ac Stephani officinis prodierunt, ob oculos habuit, eorumque discrepantias exhibuit, insimulque ea repræsentavit, quæ in margine editio-

tionis Stephanianæ, in bibliotheca Bodlejana, ad Orationem Panegyricam invenit, notata manu Josephi Scaligeri. Quæcunque autem in margine priores editores annotarunt, per notam hanc compendiariam (*vulg.*) designavit. Id vero monet maxime, in codicibus, quos adhibuerit, desiderari librum epistolarum octavum & decimum, nec non Panegyricum, neque plures quam octo libros Jo. Mansionario fuisse cognitos, & in codicibus Apollinari Sidonio coævis novem tantum libros comparuisse. Quin & decimum librum (quem non ipse Plinius, sed alius quispiam, isque fortasse Plinii libertus edidit) in codicibus, quibus primi epistolarum Plinianarum editores usi sunt, non inveniri, idque inde constare, quod Beroaldus, qui primus Plinium Bononiæ A. D. M CDXCVIII in lucem emiserit, novem tantum libros agnoscat. Decimum tandem Plinii librum, a Petro Leandro e Gallia in Italiam allatum, vulgavisse Hieronymum Avantium Veronensem A. D. M DII; quem descripsisse videatur ex eodem illo codice Parisiensi, cujus copiam Aldo fecerit Aloisius Mocenicus. Liquere autem, hunc librum ab ipso Plinio scriptum esse, propterea quod illæ de Christianis epistolæ etiam ante Sidonium cognitæ fuerint, utpote quarum Tertullianus, Orosius, Sulpitiusque Severus, Sidonio antiquiores meminerint. Plura de hac re, uti & de ordine epistolarum, disputaturum ait celeberrimum Dodwellum, in Annalibus Plinianis propediem divulgandis. Præfigendam porro curavit Plinii vitam, ordine chronologico a clarissimo Joanne Massono congestam, sibique ab eo communicatam, in cujus fine pollicetur Massonus, se, si Deus annuat, de Plinii secessu, operibus poeticis, epistolarum ordine & editione, prolixius aliquando acturum. Postremo præter testimonia de Plinio, & Græcarum, quæ in epistolis passim occurrunt, vocum ac sententiarum explicationem, tres indices adjecit, primum eorum, ad quos Plinius scripsit; alterum auctorum a Plinio laudatorum; tertium rerum & verborum maxime memorabilium.

LES ORIGINES DE LA VILLE DE CAEN, &c.
i. e.
ORIGINES URBIS ET AGRI CADOMENSIS.

Ro-

Rothomagi, apud Maurrium, 1702, in 8.
Conſtant 2 Alphab.

QUi immortalem nominis celebritatem patriæ, non incelebri alias Normannorum urbi Cadomo, eruditiſſimis ſcriptis conciliavit, Illuſtriſſimus Abrincenſium Epiſcopus, Petrus Daniel Huetius (hunc enim auctorem libri eſſe, accepimus) Varronis Catonisque exempla ſecutus, natalis ſolii res, valde confuſas intricatasque, libro præſenti in apricum poſuit, maxima æque ac minima colligens, quæ illuſtrandis iisdem utcunque inſervire poſſint. Itaque a Carolinorum ætate facto initio, popularis cujusdam ſui, illuſtri loco poſiti, ſententiam cap. I refellit, quæ *Otlinguam Saxoniam*, cujus in Capitularibus Carolinis mentio fit, Cadomum eſſe tradit. Noſter Otlinguam iſtam, non vicum aut urbem, ſed pagum, ſive regiunculam fuiſſe docet, inter Bagiſinum (*le Besſin*) & Lexovienſem agrum poſitam; qua data occaſione de *Corilifo* oppido in iisdem Capitularibus commemorato diſceptat, illudque non Curlejum (*Creully*) ſed potius Croſillum (*Croiſilles*) noſtræ ætatis eſſe, defendit. Tum cap. II fabuloſos Cadomenſium originum expoſitores, Paulum Æmilium, a Cadmo, Cajo Cæſare, vel Cajo quodam Britannico; Fauchetum, a Quentovico Caroli Calvi, quod ex Atrebatibus inconſulto huc translocatur; Burgevillium, Cadomenſium Hiſtoricum, a Caſſiatono Ptolomæi easdem derivantes caſtigat. Suſpicatur vero, etſi certi ſe nihil habere profiteatur, ante Normannorum imperium, forte ſub Saxonibus, eam Galliæ partem, quæ Saxonicum littus dicitur, occupantibus, urbem eſſe conditam, deque deperditis Cadomenſium tabulis publicis conqueritur. Imo cap. III, ob commerciorum facilitatem Cadomum exſtructam, non vero ex propinqua antiquiori quadam urbe, ut fabula fert, enatam; locum, qui *Vieux* dicitur, Cadomo vicinum, caſtris Romanorum, non urbi inſerviiſſe; Cadomum vero initio exiguo ſpatio comprehenſam fuiſſe; duos denique amnes, qui urbem diſtinguunt (*l' Orne & l' Odon*) factis ſub Ducibus Normanniæ divergiis, aliam faciem obtinuiſſe, cap. IV & V enarrat. Non minori induſtria arcem Cadomenſem, a Guilielmo Notho, ut exiſtimat, exſtructam cap. VI, decem urbis turres antiquiores cap. VII, muros & propugnacula ejusdem, quorum aliquam partem ſub Guiliel-

lielmo Notho extitisse probat, cap. VIII, duodecim portas Cadomenses, nec non pontes cap. IX, plateas cap. X, palatia & loca illustriora cap. XI, fora cap. XII delineat. Curiosius agitur cap. XIII de collegiis dictæ urbis forensibus, deque origine Vice-Comitum & Prætorum (*des Baillifs*) quibus multa alia ad statum Galliæ forensem pertinentia adduntur; tandemque de societatibus literariis Cadomensibus, quas Academias more Italo vocant, Philologica imprimis Briæi & Physica Grandorgæi agitur. Deinceps Vir eruditissimus de duabus Abbatiis apud Cadomenses illustrioribus, quarum altera a S. Stephano, altera a S. Trinitate nomen habet, cap. XIV, de Parochiis tredecim cap. XV, de Societatibus Religiosis, (quo loco etiam de Reformatorum Cadomensium rebus, motibus, atque exilio, p. 360 seqq. tractatur) cap. XVI, de ædiculis seu sacellis cap. XVII, de Universitate Cadomi ab Henrico VI Angliæ Rege A. C. 1431 instituta, ejusque collegiis, cap. XVIII commentatur. Quo loco mentio fit peculiaris Cadomensium ritus, A. C. 1527 instituti, quem *Palinod* vocant, quando videlicet die festo conceptionis B. Mariæ, in ejus honorem Poetæ carminibus publice decertant.

Ex Historico stadio in Philologicum se confert eruditissimus, atque in isto literarum genere apprime versatus Præsul. De appellatione Cadomi vocisque origine cap. XIX disserit, inque capitibus XX, XXI, XXII, & XXIII rationem init vocabulorum quoque aliorum in ora Normannica usitatorum, quæ partim a veteri Saxonum lingua, partim ab antiquo idiomate Gallico, partim a Romani sermonis reliquiis deducit, ac egregium specimen suppeditat, non solum Gallicas locorum familiarumque appellationes, verum etiam eas, quæ in aliis regionibus usu veniunt, ad veros fontes referendi. Specimini serviat una aut altera Illustris Huetii observatio. Ex veteri Germanica lingua vocem *Bricca* (ita enim pontem nominabant) allegat, quam alibi *Brigam*, *Brivam*, aut *Briam* pronunciari notat. Hanc in compositionem Hispanicorum nominum, nec non Gallicorum, v. gr. *Briquebec*, *Briquevil-* *p. 441.*
le, *Briovera* ingredi memorat. Alio loco ostendit, Fletionem & *p. 448. seq.*
Flevum veterum a Saxonico *fleot*, *flot*, sive *flut*, quod fluendi notionem habet, esse dictum, indeque urbes Normannicas *Harfleur*,

Honfleur &c. denominari, quæ in diplomatibus *Hareflot*, *Huneflot* nominentur. Ejusdem originis esse Belgicas voces in *Vliet* desinentes. Abrincatui, juxta Huetium nostrum, a veteri vocabulo
p. 467. Gallico *Aber*, sive portu, denominantur, quod ad portum siti fuerint: quo loco *Ingenam*, Abrincatuorum urbem, eam esse,
p. 485. quæ hodie *Genets* audit, non ineleganter suspicatur. Istud vero concharum genus, quod Porcellanam vocamus, a porca sive porcella nomen sortitum esse, noviter observat, eamque in rem Græcorum auctoritatem allegat, qui conchylia hujus generis χοιράδες, porculas, vocent.

Multo diffusissimum est caput XXIV, quo clari Cadomenses recensentur, & ii quidem primo loco, qui in urbe, aut agro vicino nati sunt, inter quos eminent Vitalis auctor Ordinis S. Trinitatis, qui A. 1119 decessit, Guilielmus Tolosanus Abbas Saviniensis, Guil. Acarinus, Nicolaus Oresmius, Jo. Soreth decimus quintus Carmelitarum Generalis, Jac. Dalechampius, Joannes & Wilhelmus Ruxellii, Carolus Burgevillius Dominus de Bras, Historiæ Cadomensis scriptor, Nicolaus Michaël de Prez, Jo. Gosselinus Caroli IX Bibliothecarius, qui in Bibliotheca incendio periit, Robertus Constantinus, Jacobus & Stephanus de Cahaignes, Franciscus Malherbius, Georgius Fournerius, Jo. Franc. Sarrasinus, Jacobus & Andr. Grandorgæi, Franc. de Boisrobert, Jac. Savary, Jacobus & Julianus Palmerii de Grentemesnil, Tanaquil Faber, Petrus Halley, Ægid. Andreas de la Roque, Stephanus Le Moyne, Stephanus Morinus, Jo. Rainaldus de Segrais &c. Hos illi excipiunt, qui alio loco nati, Cadomum sede ac munerum exantlatione illustravere, inprimis S. Lanfrancus primus Abbas S. Stephani apud Cadomenses, Robertus Waice Poëta, Margarinus de la Bigne, Antonius Rudolphus Cevallerius, Dominicus Baudius, Samuel Bochartus, Jo. Eudes, Petrus Galtruchius, Hyacinthus de Chaluet, Petrus Du Bosc, aliique. Ne solorum nominum jejuna nimis sit recensio, quorundam vitam paucis speciminis loco enarrabimus.

Jacobus Dalechampius, honesta familia Cadomi licet natus, inque illa Academia A. 1560 Doctoris Medicinæ dignitate ornatus, Lugduni tamen maluit domicilium constituere, ibique Medicinam cum fructu exercuit, insimulque Græcam linguam summo studio

studio excoluit. Doctissimum fuisse virum, tot edita ab ipso opera testantur, e quibus notæ illius in Athenæum, cui in Latinam linguam traducendo triginta annos impendit; & Plinium, inprimis in bibliothecis doctorum virorum hodieque servantur. Pauli Æginetæ librum sextum de Medicina in Gallicam linguam transtulit, illustravitque eruditis commentariis, quibus omnem veterum recentiorumque Chirurgiam complexus est. Idem versionem Gallicam tractatus Galeni de usu partium composuisse creditur; Lugduni etiam librum de peste edidit. Præcipuum vero ipsius opus Historia Plantarum fuit, magno figurarum numero exornatum, cui tamen ultimam imponere manum non potuit: manuscriptum vero cum in potestatem Universitatis Cadomensis pervenisset, ipsa id Cancellario Seguiero, Cadomum A. 1640 ingresso, dono obtulit. Floruit Lugduni circa annum 1580, cumque doctissimis sui seculi viris literarum commercium exercuit. Bibliothecam, quam collegerat, nepoti ex filio Andrea Johanni, rei tributariæ apud Cadomenses præfecto, legavit. Unde post Dalechampii obitum, Cadomum ea translata, & a Johanne vicissim filio suo, per speciem quandam fideicommissi, ut integra ad posteros transmitteretur, relicta fuit; inani quidem solicitudine & cautione, cum dissipata nihilominus postea, ut fieri solet, fuerit.

Dalechampio intima amicitia intercessit cum *Roberto Constantino*, iisdem cum eo studiis innutrito. Nam & hic artem Medicam sectatus est, Doctor illius in Universitate Cadomensi A. 1564 renunciatus, & Græcas literas excoluit ornavitque. Primum in Germania pedem fixit, postquam universam Europam, ut viris doctis innotesceret, pervagatus esset. Inde in patriam revocatus, ut in Cadomensi Academia bonas literas profiteretur, eo munere aliquo tempore functus est; in Germaniam tamen postea, relicto Cadomo, reversus, seu ob pestem ac civiles motus in Gallia enatos, qui prætextus fuit; seu, ut Huetius nos edocet, quod textum Græcum Epistolarum S. Pauli publicis prælectionibus explicans, Protestantium, quam in Germania hauserat, religionis semina sparsisset, ideoque docendi provincia esset prohibitus. Diem obiit exeunte anno 1605, cum ætatis annum centesimum ac ter-

tium ageret, nulla antea virium corporis animive decrementa expertus. Ita enim de ætate ejus refert Thuanus; cui cum fidem denegandi causa nulla sit, patet, erraſſe Scaligeranorum collectorem, qui Conſtantinum nonniſi decem annis Joſepho Scaligero, ex hujusmet ore, majorem facit: id enim ſi admittas, cum A. 1605 Scaliger 65 tantum annos natus eſſet, neceſſe foret, non 103, ſed 75 ſolummodo annos Conſtantinum vivendo exegiſſe. Inter plura, quæ luci publicæ expoſuit, opera Lexicon Græcum, Civitati Cadomenſi primum & Jacobo Dalechampio dedicatum, facile eminet, de quo tam diverſa hominum fuere judicia, ut a nonnullis ipſi Henrici Stephani Dictionario Græco prælatum fuerit, a Joſepho Scaligero autem ultra modum contemptum habitumque deſpicatui. Quorum priores uti immerito ſic ſentire Huetius agnoſcit, ita Scaligeri ſiniſtram eam cenſuram nonniſi ex acerbiſſimo, quo Conſtantinum, velut fatuum, impudentem, aſinum proſecutus fuerit, odio profectam monet, tantæque a Conſtantino alienationis cauſam & occaſionem, Joſepho in paternis forte ædibus ſubnatam conjicit. Fuerat enim Conſtantinus Julii Cæſaris Scaligeri aliquandiu domeſticus, tantique ab eo ob eruditionem & integritatem æſtimatus, ut ante obitum etiam librorum ſuorum ἀνεκδότων committi ipſi editionem voluerit: quæ vel ſola res, ad invidiam in filii Joſephi animo accendendam, potuit ſufficere.

Tanaquil Faber Cadomum natale ſolum nactus eſt A. 1615, & juvenis Clerum ſecutus, habitum Presbyteri jamjam uſurpaverat. Literarum vero cupiditate ductus, Lutetiam abiit, & a Romano cœtu alienior factus, ad Reformatos acceſſit, qui illum Salmurii Profeſſorem in tertia, quam vocant, claſſe conſtituerunt, ſalario non nimium pingui. Hinc paupertate preſſus, ad Pontificios redire, ut Auctor refert, meditabatur, oblata ipſi eodem tempore in Academia Heidelbergenſi Doctoris publici provincia. Anceps itaque & conſilii inops, die 12 Sept. A. 1672 deceſſit, filio filiaque relictis. Apollodorum, Longinum, Ælianum, Lucretium aliosque auctores antiquos caſtigate edidit, ſed conjecturas ejus criticas audaciam ſapere ajunt nimiam.

Ægidii Andreæ de la Roque, qui & ipſe Cadomenſis fuit, vel

vel ideo mentionem injicimus, ut hac occasione mendum tollatur, quod in Acta hæc Eruditorum irrepsit. Primo enim eorum, i. e. 1682 anno, mense Martio pag. 85, ubi Auctoris hujus tractatus de origine nominum & cognominum indicatur, Wilhelmus Andreas vocatur, qui Ægidius Andreas dici debuerat. Occupatum cum inprimis studium habuit Genealogicum & Heraldicum, ad quod excolendum prodigiosa memoria instructus a natura erat. Præcipuum, quod reliquit, opus est Historia Domus Harcuriæ, præter quam & de primariæ ac secundariæ clientelæ Nobilitate armata (*Ban* & [illegible]*iere - Ban*) de Origine nominum, de Ordine Equestri [illegible] Antiquitatibus Cadomensibus, tractatus edidit. Vastum moliebatur opus, quo universam Nobilitatem Normannicam complecti constituerat; ad quod elaborandum, non minus judicium cum methodi cura, quam memoria, adferendum ipsi fuisset. Sacris in juventute initiatus, subdiaconatum susceperat, sed dispensatione obtenta, uxorem improvide duxit, non multo post dimissam, cui, dum viveret, alendæ sumptus impendendi ipsi fuere. Hinc res angusta domi; etsi opes comparare majores potuisset, si extraordinaria sua eruditione & scientia, ad amicos potius quam inimicos parandos, uti scivisset. Mortuus est A. 1686, cum vini potione nunquam usus, ætatis octogesimum octavum annum ageret.

Doctissimum Cadomensium omnium Præsul noster prædicat *Stephanum Le Moyne*, A. 1624 in lucem editum. Hic cum Reformatæ religioni innutritus, Theologiæ se dedidisset, Antiquitates sacras cumprimis sectatus est, ac profundam literarum Orientalium, Græcarumque & Latinarum, sacrarum æque ac profanarum notitiam sibi comparavit. Testari eam Huetius ait *Varia* ejus *Sacra*, de quibus in Actis A. 1686 pag. 70 sqq. & pag. 145 sq. prolixe diximus, idque præcipuum ejus & unicum fere, quod publicaverit, opus esse monet: neque nobis certe aliud præter illud innotuit, quam Epistola de Melanophoris ad Illustrem Gisbertum Cuperum scripta, ejusque Harpocrationi subjuncta, & a nobis A. 1687 pag. 700 sq. recensita. Etsi enim a juventute operam haud levem ornando ac illustrando Josepho contulerit, nihil tamen meditationum ejus huc spectantium publice comparuit, forte quod abjecisset hunc laborem, postquam a Viro doctissimo E-

duardo Bernhardo fuisse occupatum, cognovisset; neque dissimulamus, aliquam ejus rei displicentiam in Moynio a quodam nostrorum, cum eum A. 1680 Lugduni Batavorum inviseret, fuisse animadversam. Rothomagi in Gallia longo tempore Ministrum egit Ecclesiæ Reformatæ, ubi & aliquando in carcerem conjectum Huetius perhibet, quod Senatoris cujusdam supremæ Curiæ filiæ, religionem Reformatam paterno exemplo ejurare recusanti, fugamque in Angliam capessenti, adjutorem se bono animo (*innocemment*) præbuisset. Accepta post a Sociis Ministerii quadam offensa, cum a Beuninghio in Hollandiam nomine [illegible]uum invitaretur, conditionem amplexus est, ac Oxonii pri[illegible] Anglia Doctoris suscepto gradu, Lugduni Batavorum Professoris Theologi munere A. 1677 ornatus est, ibidemque A. 1689, die 3 April. anno ætatis sexagesimo quinto defunctus.

Hæc sunt, & centum alia, quæ Polyhistoris Huetii librum commendant, qui antecessoris sui in scribenda Cadomensi Historia nævos complures annotavit, atque ad minima patriæ enarranda incredibilem diligentiam apportavit, in Protestantes æque ac in Romano-Catholicos æquus.

LAPIS LYDIUS PHILOSOPHICO-PYROTEchnicus, ad Ossium Fossilium docimasiam analytice demonstrandam adhibitus, & per multa experimenta Chymico-Physica in lucem publicam missus a JOANNE SAMUELE CARL, Licent. & Medic. Ordin. Oringensi.

Francofurti ad Mœnum, apud Joh. Maximil. a Sande, 1703, 8. Constat $\frac{1}{2}$ Alphab.

PRoblema Physicum, *an ebur, unicornu, & varii generis ossa fossilia, sint animalis vel mineralis prosapiæ?* his annis, ob largum eorum in multis terrarum locis proventum, in medium equidem fuit productum; verum quoniam sententia illa, qua ejusmodi ossibus efficacia singularis panacæis æquiparanda, alexipharmaca contra quosvis morbos malignos, imo & venena actualia, item confortativa, & cardiaca fuit adscripta, ex hoc potissimum fonte dimanasse videtur, quod multi, hæc pro singulari marga ab

Archæo

Archæo ſubterraneo artificioſe ita fabricata, & in quibus vere mundi ſpiritus hoſpitetur, venditare non deſierint; analyſin chymicam talium foſſilium e doctrina mixtionis ſuppeditare in præſenti tractatu ſuſtinuit Noſter. Quemadmodum autem tantum abeſſe putat, ut mineralium claſſi dicta oſſa ſint inſerenda, ut potius non modo veram ſtructuram, ſed & veram mixtionem oſſium animalium habeant: ita mixtionem hanc ex eo probat, quod 1) terram calcariam præcipue, & quoque vitreſcentem, 2) pinguedinem ac oleoſitatem, & denique 3) aquoſitatem contineant. Quæ mixtionis principia exinde clarius deducit, quod dicta oſſa eadem non ſolum producta, quæ recentia oſſa pyrotechnia examinata offerunt, exhibeant, ſal volatile, puta, fluidum, & ſolidum cryſtallinum, oleum empyreumaticum, ſal alcali fixum, & vitrum lacteum, verum eadem etiam phænomena & experimenta præbeant. Scilicet 1) alterationem diverſam in colorem nigrum & album, ſub igne occluſo & aperto, 2) imminutionem ponderis, & fumorum fœtidorum exhalationem, 3) calcinationem a nitro, cum ſequente hujus alcaliſatione, 4) generationem ac mixtionem ſulphuris mineralis, & 5) reductionem metallorum & metallicorum corporum e calcibus & crocis deſtructis. Ex quibus libero & æquo animo judicantem intelligere poſſe exiſtimat, quorſum ſupra commemorata elogia pertineant. In uſum equidem vocari oſſa foſſilia poterunt, ubi acidi abſorbendi, vias roborandi & adſtringendi, excretioneſque cohibendi indicatio adeſt; alexipharmacam vero ſeu bezoardicam efficaciam, vere & ſtricte talem, ab ejuſmodi calcibus nemo expectabit ab experientia, nec depoſcet, quicunque malignitatis naturam perdidicit. Licet autem oſſa foſſilia e terra admodum macra, lapidoſo-calcaria, marga dicta, eruantur, & cum eadem combinentur, allegata tamen phænomena huic an in acceptum referri debeant, Chymiæ peritus judicabit. Oſſa igitur marga tali involuta inſigniter quidem alterantur, ſed non materialiter, quaſi terreæ particulæ in oſſis poros ſe inſinuando, hoc in ſui ſubſtantiam convertant, verum formali ſolum phyſico-mechanico concurſu; dum marga ſub immediato contactu, per ſui ariditatem, ex ipſis oſſibus ſuperficialem humiditatem aqueam & oleoſam imbibit & abſorbet, ut nihil fere, maxime in ſuperficie, niſi cal-

calcaria terra remaneat. Quinimo humiditatem ab extra advenientem, solum successive magis compingendo & consolidando, ad ossa non admittit, sed in se recipit, ut ita motus corruptivi putredinosi instrumentum evadere nequeat. Coronidis loco Author Clarissimus experimenta de ossibus fossilibus aliisque mixtis; a Chymico sagacissimo *Joanne Daniele Ebilgero*, qui quondam Helmontio juniori, Boyleo, & Bechero socius ac amanuensis erat diligentissimus, facta, in tabella synoptica sistit, quam Chymiæ cultoribus non parum profuturam credimus.

LIBRI NOVI.

Nummi antiqui Familiarum Romanarum, perpetuis interpretationibus illustrati per Jo. Vaillant. Amstelædami, apud Huguetanos, 1703, fol.

Gemmæ selectæ antiquæ e museo Jacobi de Wilde. Amstelædami, sumptibus Autoris, 1703, 4.

Nicolai Henelii ab Hennenfeld Silesiographia renovata, necessariis Reverendissimi cujusdam in Silesia Præsulis scholiis & observationibus aucta. Vratislaviæ & Lipsiæ apud Christ. Bauchium, 1704. fol.

Christiani Johannis Langii Opera omnia Medica Theoretico-Practica. Lipsiæ apud Jo. Ludov. Gleditschium, 1704. fol.

Il Consulato del Mare, nel quale si comprendono tutti gli Statuti & Ordini, disposti da gli Antichi per ogni cosa di Mercantia & di Navigare. Italice & Belgice. Lugduni Batav. apud Jo. de Vivié & Isaacum Severinum, 1704, 4.

Joh. Jacobi Crameri Theologia Israëlis. Francofurti & Lipsiæ, apud Jo. Nic. Andreæ, 1705, 4.

Reponse aux Questions d' un Provincial. A Rotterdam chez Reinier Leers, 1704, 12.

Recueil des Voyages qui ont servi à l' Etablissement de la Compagnie des Indes Orientales. Tome II. A Amsterdam, chez Et. Roger, 1703, 8.

Memoires de tout ce, qui s' est passé de plus considerable sur Mer, depuis l' A. 1688 jusqu' à la fin de 1697. Par Mr. Burchett. Traduit de l' Anglois. A Amsterdam, chez Et. Rocher, 1704, 12.

* * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno M D C C IV.

EZECHIELIS SPANHEMII, LIBERI BARONIS & Legati Regii, ORBIS ROMANUS, seu ad Constitutionem Antonini Imperatoris, de qua Ulpianus Leg. XVII Digestis de Statu Hominum, Exercitationes duæ. Editio secunda, ab Auctore recensita, & altera parte auctior.

Londini, apud A. & J. Churchil, 1703, in 4. Alphab. 3, plag. 11.

OCto anni circumacti sunt, cum Vir summus & perillustris, Auctor harum Exercitationum, *Juliani*, Romani Imperatoris, Opera, cum Cyrilli contra eundem libris, & Variorum adnotamentis, in nostra Lipsiensi civitate vulgaret, quæ eodem A. MDCXCVI ...ense Novembri in Actis nostris recensuimus. Ut vero omnibus ...stenderet, quibus curis atque studio augustus ille scriptor tractari ...ebeat ac possit; in solam primam illius Orationem (nam per pu...lica DOMINI sui negotia non licebat tum plura adjicere) copiosas ... omni doctrina refertas Observationes conscripsit. In quibus ...um Juliani verba, quæ pag. 5 leguntur, *omnes in Romano Im...rio* μετέχειν ἤδη τῦ πολιτεύματος, *participes nunc civitatis ...se*, & πολίτας, *cives Romanos* factos, ex Lege XVII Digest. ... Statu Hominum erudite accurateque exposuisset; in idem post...odo argumentum, ante a paucis obiter, a nemine cum cura & ...decet, tractatum, cum plus otii esset, intentus, uberiorem ejus ...i interpretationem, duabus Dissertationibus comprehensam, ad ...plissimum Virum GISBERTUM CUPERUM scripsit,

quam ὁ πάνυ GRAEVIUS illico Antiquitatum Romanarum Tomo XI inseruit, & primo ejus loco, ut dignissima erat, collocavit. Nec vero id industriæ tanti Viri satis fuit, sed cum in Britanniam nuper a Potentissimo REGE Borussiæ ad Augustam REGINAM legatus esset, denuo superiores Dissertationes ad limam revocavit, atque tantis auxit additamentis, ut altera parte majores, quam priori editione, essent. Summa autem totius Operis est interpretatio jam dictæ Constitutionis Antonini, ab Ulpiano Lege XVII Dig. de Statu hominum memoratæ, *Omnes in Orbe Romano qui sint, cives Romanos effectos esse.* In duas Exercitationes Opus distributum est, quarum prior de Civibus Romanis ab Urbis natali ad Antoninum Pium agit: eaque rursus in duas partes est divisa ita, ut prior ab Urbe condita ad Julium Cæsarem XIII capitibus conditionem Civium exhibeat; posterior ab Julio ad Antoninum Pium per quinque capita reliqua idem argumentum producat. Altera Exercitatio ab Antonino primo usque ad verum Constitutionis auctorem & ultra, hanc de Romana Civitate materiam per XXV capita explanat.

Exercitationis primæ parte priore de statu Civium sub Regibus Romanis disquiritur, qui quidem non optimus, tamen aliquis, nec pœnitendus fuit, adscitis in Urbem pro incremento civitatis quibuscunque advenis, etiam hostibus devictis; & honoribus in digniores collatis, sacerdotii videlicet & consultationis de re publica. Exactis regibus ampliati sunt civium honores, plebejo magistratu inducto, qui sacrata lege inviolabilis esset. Tum jura civitatis in publicum, suffragiorum & capessendorum honorum; ac privata, connubii, testamenti, hereditatum, patriæ potestatis, & alia, divisa sunt. In modo autem amplificandæ civitatis, beatiores Romani Græcis, Spartanis, Thebanis, Corinthiis censentur, quibus Dionysius Halicarnasseus lib. II pag. 89 etiam Athenienses adjunxit, sed in eo ab illustri Auctore nostro notatus, quia hi non solum inquilinos toleraverunt, sed cladibus attriti donarunt etiam civitate, immo peregrinis imperia aliquando dederunt, quod exemplis Phanosthenis Andrii, Apollodori Cyziceni, & Heraclidis Clazomenii, ex Athenæo & Æliano demonstratur. Ceteræ vero majores Græciæ civitates, ut nobilitatem generis conservarent, omnes

omnes peregrinos rejecerunt, ſed cum rerum ſuarumq; detrimento. Actum etiam Romæ aliquando eſt, ut peregrini uſu urbis prohiberentur: nec vero id placuit Senatui, & Tullius lib. III Officiorum *inhumanum* dixit. Quin ſervos etiam, ſi meruiſſent, manumiſſos in civitatem receperunt, quod legibus publicis atque exemplis declaratur. Et hæc prioribus tribus capitibus diſputantur: quarto & quinto de ἰσοπολιτεία Græcorum, qua unus homo diverſarum civitatum potuit civis eſſe, diſſeritur: quod ſecus Romæ fuiſſe, Ciceronis teſtimoniis probatur, ubi amiſſa civitas, quam primum aliquis in aliam tranſcriberetur; quemadmodum neque recepti in Romanam, illam unde profecti erant, retinuerunt. Deinde traditur, quibus modis amiſſa fuerit civitas, pœnis quippe gravioribus utpote damnatorum in metalla, & ad ultimum ſupplicium, & ad beſtias: item incenſorum & deportatorum, nec non libertorum qui in patronos ingrati fuerant. Adduntur ex Cicerone & alii modi, quibus extra pœnæ damnum amittatur civitas, poſtliminio nempe, & rejectione: quæ cuncta perſpicue ibidem explicantur. Sexto capite ac ſequentibus de Municipiis agitur, quorum duplex patria fuit, altera loci & originis; altera juris, videlicet Roma; & una in utraque civitas, quod ex Ciceronis lib. II de Legibus illuſtratur. Municipiorum autem initium in Latio factum eſſe, civitate donata integris populis; Hernicis, Lanuvinis, Aricinis, Nomentanis, Privernatibus, Pedanis, Fundanis, Formianis, Anagninis, Arpinatibus: nec vero his omnibus jure æquo, ſed quibusdam plene, aliis ſine ſuffragio, copioſius demonſtratur: deinde extra Latium Civitatem manaſſe, primo omnium Cæritibus conceſſam, dein Campanis aliisque, ſed pleriſque ſine poteſtate ſuffragiorum.

Poſt hæc, capitibus VIII, IX & X, dilucidatur controverſia, inexplicabilis ante multis viſa, de Jure Latii ſeu Latinitate, de Latinis coloniis, de Libertis Latinis ſeu Junianis, & quo pacto Jus Latii ab Jure Italico, & utrumque ab Jure Quiritium, & hoc ab ipſa Civitate Romana differat: quæ omnia ita clare ſunt expoſita, etiam ab aliorum diſſenſu, Joannis Harduini maxime, egregie vindicata, ut dubitari amplius de illis non poſſit. Summa illorum hæc eſt: Jus Latii libertatem habuiſſe, non autem jus ullum civitatis, nec privatum neque publicum, utpote quæ propria fuerint

civium: per honores autem, in patria Latini juris gestos, patuisse ad civitatem aditum. Nec colonias Latinas beatiores fuisse, & si cives etiam in illas fuerint profecti (quod rejectionem civitatis dixerunt) diminutionem capitis mediam fuisse passos, id est amissa civitate solam libertatem tenuisse: colonias autem civium Romanorum privata tantum civitatis jura, id est, connubii, testamenti, patrium, & quæ alia erant, retinuisse; non æque jus suffragandi, & petendi honores, nisi per jus Latii, quo illis, qui magistratu inter suos functi fuerant, aditus ad honores in Urbe petendos patuit. Jus Italicum diversum a Latii fuisse jure, ac præcipue in immunitate, qualem Augustus toti Italiæ concesserat, versatum esse. Jus Quiritium non nunquam ipsum jus civitatis esse: aliquando ab illo distingui, quod utrumque exemplis & testimoniis probatur: nec priori notione omnia jura civium, sed privata tantum modo videtur habuisse. Latinos autem libertos, lege Junia sub Augusto inductos, dici ad similitudinem antiquæ Latinitatis, quæ in colonias missa fuerit: unde jurisconsulti illos Latinis colonariis exæquent, quamvis distincti per se sint & maneant.

A capite XI ad finem partis primæ in hac Exercitatione, Jus civitatis universæ concessum Italiæ describitur, idque qua occasione factum, recensetur, ut primum lege Julia, non Dictatoris Julii, sed antiquiore, Italis cunctis hoc beneficium conferretur: deinde lege Plotia, sive M. Plautii Silvani, peregrinis, domicilium in Italia habentibus idem concederetur: Galliæ autem Cisalpinæ post Italiam, & Cispadanæ prius, quæ inde Togata dicta fuit: Transpadanæ primum jus Latii, deinde per Julium Cæsarem, ante civile bellum, jus quoque civitatis datum, ostenditur: ex quo tempore & ipsa in societatem Togatæ seu nominis communionem pervenerit. Postquam vero coloniæ per Italiam, confecto Sociali seu Italico bello, plenum jus civitatis adeptæ sunt, indiscriminatim modo colonias, modo municipia deinceps appellatas fuisse, Cicerone auctore demonstratur. Ab his ad quæstionem acceditur, an municipia eo ipso, quod jus civitatis Romanæ habent, jus suarum legum amiserint? quod Sigonius statuit. Cui respondetur, ut non unius conditionis municipia fuerint, verum alia cum suffragii pleno jure, alia sine illo, aut tantum cum jure legionis; sic neutra

neutra suis legibus destituta fuisse, quod Gellius lib. XVI cap. XIII tradat, Municipes esse cives Romanos ex municipiis legibus suis & suo jure utentes, muneris tantum cum populo Romano honorarii participes: a quo munere capessendo appellati videantur.

Altera parte Exercitationis primæ, quæ circa civitatem Romanam a Julii Cæsaris temporibus ad Antoninum Pium contigerunt, expenduntur: quorum capita hæc sunt; Julium Transpadanis civitatem dedisse, ut supra dictum; etiam Gaditanis universis, quod ratum populus habuerit, ut Dio lib. XLI refert. Antonium Siciliæ jus idem vendidisse ex falsis Julii commentariis. Augustum parcissime, ut Suetonius ait, dedisse civitatem; etiam modum manumittendi terminasse: in Hispania tamen, quod ex marmoribus constat, municipia fecisse nova. Tarsum libertatem accepisse, non civitatem: nec plus memorare, qui Augusti in illam beneficia prædicant, quam immunitatem; de civitate silere, quam Pauli Apostoli majores singulari beneficio adeptos fuisse oporteat. Claudium multis indignis ademisse civitatem: multis etiam singulatim aut confertim sine discrimine largitum esse. Neronem Olympiæ victores & pyrricham saltantes donasse civitate; libertate Achajam. Othonem jus idem civitatis Lingonibus Gallis dedisse, secus ac vir clarissimus Theod. Ryckius in Tacitum interpretatus est: Trapezuntiis tribuisse Vitellium. Vespasianum Stobos Macedoniæ, quod ex nummo & Plinii testimonio liquet, municipium fecisse: Trajanum multis oppidis Hispaniæ idem contulisse beneficium. Omnia hæc ex antiquis monumentis, cum multis aliis, quæ interseruntur, erudite consummatissimus Vir hac altera Exercitationis primæ parte demonstravit.

Secunda Exercitatione ab Antonini Pii temporibus status civitatis declaratur, & in auctorem inquiritur, qui primus omnes in Romano imperio ingenuos civitatis jure ornaverit. Ipsum quidem consilium ejus rei Mæcenas Augusto apud Dionem lib. LII dedit, ut fideliores socii essent, qui pari jure uterentur: sed tum irritum fuit, neque ab Augusto approbatum. Chrysostomus, in Acta Apost. cap. XXII, Hadriano constitutionem tribuit, qua omnes cives Romani facti: sed peritior legum & constitutionum Ulpianus expresse *Antonino Imperatori* adscripsit.

Cum vero plures Antonini fuerint, in quæstione versatur, quisnam illorum sit conditor tam liberalis constitutionis? Videri potest Antoninus Pius fuisse, cujus non modo beneficum cognomen id indicare possit, sed Pausaniæ etiam in Arcad. testimonium, qui meruisse dicit, ut *πατὴρ ἀνθρώπων*, *pater humani generis* appellaretur. Addi nummus potest, dubius antea ex Golzii relatione; jam vero certissimus, postquam ejusdem typi alius ætate nostra in Ubiis ad Rhenum effossus est, & ab illustrissimo Auctore nostro inspectus & examinatus, qui Antonini Pii imaginem & nomen refert, in adversa parte inscriptus AMPLIATORI CIVIUM. quo titulo ad ipsum hoc universale beneficium videtur respici. Pondus addere huic sententiæ Justiniani possit auctoritas, Novella LXXVIII cap. V *Antonino Pio cognominato* hanc constitutionem adserentis. Sed majus est Dionis Cassii, coævi scriptoris, testimonium, quod postea proferetur. Repugnat etiam, quod discrimen illud inter Romanos, Latinos, & peregrinos post Pium etiam valuit, idque ex Ulpiani fragmentis & inscriptione Tergestina confirmatur. Aurelius Victor in *Marco* Antonino, ab hoc *cunctis datam civitatem* ait. At hunc neque Græci nec Latini absolute *Antoninum* vocavere, ut auctorem constitutionis Ulpianus nominavit: etiam ex Aristidis oratione in Romam, & ex Dionis Cassii lib. LXXI, ac ipsius Ulpiani fragmentis demonstratur, isto ævo discrimen civium & Latinæ conditionis hominum nondum fuisse abolitum: qui status etiam sub Commodo, Nigro, & ipso Severo ostenditur fuisse. Hæc per tria priora Exercitationis secundæ capita claris firmisque rationibus sunt exposita.

Capite IV verus auctor constitutionis de universali civitate adseritur, qui *Antoninus Caracalla* est, sæpe ab historicis & jurisconsultis *Antoninus* simpliciter dictus: cui æqualis scriptor Dio Cassius in Excerptis Valesianis pag. 745 aperte adscripsit, etiam caussam, qua inductus tam liberalis fuerit, addidit minus honestam, & neque Pio, neque Marco convenientem, videlicet ut plus lucri ex vectigali decimarum, quas pro vicesimis constituerat, & ex abolitis antecessorum benignis hereditatum aut manumissorum legibus acciperet. *οὗ ἕνεκα Ῥωμαίους πάντας τοὺς ἐν τῇ ἀρχῇ ἀπέδειξεν*, *cujus rei caussa omnes, qui sub imperio ejus erant*,

erant, *Romanos cives declaravit*, ſpecie quidem, quod Dio addit, honorem eis tribuens, ſed revera, ut fiſcum ſuum augeret, cum peregrini pleraque horum vectigalium non penderent. quanquam lex injuſta decimarum a ſucceſſore Macrino, eodem Dione teſte, reductis viceſimis, abrogata fuit. Nihilominus Caracalla ab Jureconſultis in multis legibus, quæ pag. 210 allegantur, etiam in nummis quibusdam *Magnus* immerito ſuo appellatur. Illa autem de univerſali civitate conſtitutio de ingenuis ſolis intelligenda eſt: unde cap. V diſcrimen inter manumiſſos declaratur, quorum alii vindicta, teſtamento, aut cenſu miſſi, civitatem, non autem optimo jure, conſecuti ſunt: alii tantum liberti Latini ſeu Juniani facti. Adduntur manumiſſi in eccleſia ex Conſtantini conſtitutione, itidem juſtam & directam libertatem adepti: qui ritus ex Sozomeni lib. I cap. IX explicatur. Agitur etiam de fideicommiſſaria libertate, & de pœna in libertos ingratos: item de libertis Dedititiis. Capite VI traditur, Romam poſt Antonini conſtitutionem factam eſſe communem patriam: quem honorem licet quidam antea eidem detulerint, ut Seneca & Plinius; oratorie tamen illos locutos eſſe, non proprie, ut Juriſconſulti poſteriores, cenſetur. Deinde de *Toga* uſu agitur, proprio civium Romanorum, ad ultima usque tempora ſervato: & tandem vox *Romanitas* Tertulliani, *Ῥωμανία* Epiphanii, *Romania* Oroſii explicatur. Cap. VII & ſequentibus, usque ad XIX demonſtratur, Antonini conſtitutione factum eſſe, ut leges Romanæ Orbe toto Romano valerent, ejusque rei cauſſa, Legum ſcholæ Beryti, Athenis & alibi inſtituerentur, & Edictum Provinciale, quod ad exemplum Edicti Perpetui, ſub Hadriano compoſiti, conſtitutum erat, ceſſaret: hic, illic tamen & gentes quædam integræ, & civitates aliquot, præſertim in Græcia & Aſia, *αὐτονόμοι*, id eſt ſui juris ac liberæ manerent, ut inter gentes erant Achaja, Theſſalia, Lycia, Argivi: inter civitates Amiſus, Anazarbus, Ancyra, Antiochia, Arethuſa Syriæ, Byzantium, Cæſarea Palæſtinæ, Capitolias, Corycus, Diocæſarea, Dora, Gadara, Gaza, Halicarnaſſus, Joppe, Lappa Cretæ, Mopſueſtia, Moca Arabiæ, Methone, Nicomedia, Palmyra, Philadelphia, Rhodus, Sebaſte Navarchis, Seleucia ad Calycadnum, Tarſus, Tyana, & ſi quæ aliæ ſunt, quæ in hiſtoriis, &

& maxime in nummis suis, αὐτονόμοι seu liberæ appellantur. De his autem singulatim agitur, & de multis non semel, sed iterum iterumque, prout diversitas temporum conditionem etiam libertatis non nunquam immutavit. Data enim multis libertas, postea adempta, deinceps forsan reddita, aut imminuta, ut sunt fata populorum atque urbium. Nec vero libertas immunitatem semper conjunctam habuit, sed in paucis tantummodo, idque ex singulari beneficio, quod rarius dabant Romani, ut facilius ab ipsis αὐτονομία, quam ἀτέλεια seu tributorum immunitas impetraretur. Nec libertas illa absoluta erat, sed Romano imperio subjecta, & ad nutum ejus adstricta, ut tamen civitates suis uterentur legibus, nec ad Romanas se componere necesse haberent.

Capitibus XIX, XX, XXI, docetur, quantæ mutationes hanc Antonini constitutionem secutæ sint. Sublatum illico Jus illud Latii, quo prius variæ gentes & civitates gaudebant, cessavitque discrimen inter Latinæ conditionis urbes ac municipia civium Romanorum: nec coloniarum discrimen, Romanarum & Latinarum, & quæ juris Italici apud jurisconsultos dicuntur, postea valuit; sed omnibus promiscue jus petendi honores & adipiscendi fuit concessum. Excurritur hinc in veterem suffragandi ritum, quem Tiberius mutavit; comitiis e Campo ad Patres translatis, idque ad speciem, revera ad ipsum Principem. Caligula tentavit populo reddere, non autem perfecit. Trajanus Senatui jus illud suffragiorum conservavit, qui mos & inter Principes posteriores obtinuit, ita tamen, ut Consulum creatio penes Principem esset, reliquorum Magistratuum penes Senatum. Tandem Comitiorum status sub Cæsaribus explicatur. Proditum utique in Campum Martium, non autem ut quidquam populi suffragiis conferretur, sed ut a Principe vel Senatu electi coram populo solenniter præconis voce pronuntiarentur: quod Dio Cassius de Tiberii ætate referens, addidit *καθάπερ καὶ νῦν, quemadmodum & nunc*, hoc est Dionis ætate, fieri solet, qui sub Severo, Caracalla, Alexandro Mammææ floruit. Inde aliquot Suetonii loca in Galba, Vitellio, Vespasiano explicantur. Additur, post Antonini constitutionem etiam peregrinos in Fastis consularibus legi: etiam militares dignitates frequenter ad Barbaros translatas, & horum milites immixtos legionibus:

bus: quod contra disciplinam superiorum temporum fuit. Exempla ex Ammiano & Zosimo adferuntur. Capite XXII Connubiorum, quæ olim ad cives restricta erant, laxata jura describuntur; & quotuplex Peregrinitas fuerit, explicatur: post Antonini enim constitutionem novæ notiones accesserunt Jurisconsultis posterioribus usitatæ, quarum erat præcipua, ut omnis peregrinus diceretur, qui non Roma oriundus esset, ut ita non civibus, sed Romæ indigenis, peregrini opponerentur. Quæ supersunt tria capita, de jure patrio, & testamenti factione, & cessione bonorum agunt, quatenus illa civibus vel servata fuerint vel amissa, præsertim in pœnis exilii aut deportationis: eaque occasione de pœnis ipsis earumque discrimine, & quæ abstulerint jus civitatis, quæve id reliquerint, accurate copioseque pertractatum est. Hæc omnia egregie ex antiquis legibus, historiis, nummis, aliisque antiquitatis monumentis illustrata, & multa in priscis auctoribus emendata, explicata ita sunt, ut hic liber vere ORBIS ROMANUS nuncupetur, quia statum hominum sub universo Romanorum imperio, non tantum in libera Republica, ut fere Sigonius fecit, sed maxime sub Imperatoribus qui fuit, planissime absolutissimeque exponit ac interpretatur.

ECCLESIASTICAL CASES RELATING TO THE DUTIES and Rights of the Parochial Clergy &c.

i. e.

CASUS ECCLESIASTICI, CONCERNENTES OFFICIUM & jura Cleri Parochialis, formati ac decisi secundum principia conscientiæ & legum, Autore EDWARDO STILLINGFLEET, Episcopo Wigorniensi.

Londini apud Henr. Mortlock, 1702. 8.
Alphab. 1. plag. 3.

THE SECOND PART OF ECCLESIASTICAL CASES, &c.

i e.

PARS SECUNDA CASUUM ECCLESIASTICORUM, CONcernentium exercitium Jurisdictionis Ecclesiasticæ, quoad per leges patet. Cui accesserunt duæ Orationes in Comitiis habitæ &c.

nec non Dissertatio de genuina Londini antiquitate, ejusque sub Romanorum Imperio facie, Autore EDW. STILLING-FLEET, Episcopo Wigorniensi.

Londini apud eundem, 1704. 8. Alph. 1. pl. 16.

QUi & vitæ sanctimonia inter suos, & eruditionis fama apud exteros clarus, editis compluribus ingenii monumentis (quorum indicem proxima a præfatione pagina exhibet) bonos omnes in sui dudum admirationem rapuit Autor, hunc nec fastigio suo, nec ingenio indignum ratus est fœtum, quem publicæ daret luci.
p. 1. Qui ut originem suam, teste ad Clerum suæ diœceseos præfatione, sermonibus debet in Ecclesiarum visitatione exhibitis: sic in eo totus est, ut naturam juxta ac dignitatem sacri ordinis exponat, regulasque præscribat in obeundo munere observandas, & casus denique solvat dubios, ministrorum jura & officium concernentes.
p. 2. Quo quidem in argumento cum præclare multos, at paulo generalius, nulloque ad patriæ leges habito respectu, versatos fuisse; vicissim alios legum habuisse rationem, neglecto tamen conscientiæ vinculo, deprehenderet: id sibi datum negotii credidit Autor, ut utriusque hanc in rem præcepta conferret; cum neutrum negligi debeat, ubi de administratione muneris sacri plena & accurata instituenda sit oratio. Quod antequam expeditum reddat, haud abs re fore censuit, si quæ de
p. 7. ministrorum dici muniis poterant, paulo altius repeteret, & ab ipsis inde orientis in Anglia Christianismi incunabulis arcesseret:
p. 16. tum & eorundem assereret dignitatem, & ab Atheorum, vitam Clericorum criminantium, calumniis vindicaret. Hæc præfatus rem ipsam aggreditur, & sex veluti capitibus Partem I. absolvit.
p. 1. Cap. I. admonitionem exhibet Episcopalem, Clero suæ diœceseos in prima Episcopatus sui visitatione dictam, qua Episcoporum in
p. 50. Clerum potestatem exponit, & officii Pastores admonet, ac insi-
p. 73. gniora atro lapillo vitia notat. II. Muneris, ceu depositi Clericorum fidei concrediti, naturam expendit, & quid singulis ecclesiæ ministris, quo rite provinciam ornent, incumbat, ordine & sigil-
p. 122. latim exponit. III. Quæ ministrorum partes sint, diligentissime considerat, geminumque illorum officium, quo & animarum curam

ram gerere, & actus obire sacros tam publicos & solennes, quam privatos tenentur, declarat. IV. De eorundem sustentatione agit, eamque primæ Ecclesiarum dotationi, oblationibus populi, & decimis, vi legum ecclesiasticarum, acceptam refert. V. De vinculo, quo ad observandos canones ecclesiasticos & constitutiones sacras obstringitur Clerus, disserit, legumque tum vim & autoritatem, tum quo pacto & in quantum obligent, demonstrat. VI. Sermonem subnectit prolixum, eumque peculiari, quæ occasionem disputationis & causas explicat, præfatione instructum, quo in resignationem beneficiorum ecclesiasticorum inquirit, & quam ab hac proclivis in Simoniam lapsus sit, commonstrat.

p. 160. p. 227. p. 277.

Pars II. quæ circa exercitium Jurisdictionis ecclesiasticæ versatur, tribus constat dissertationibus, quarum I. de natura ac indole hujus jurisdictionis, legumque pariter, quibus suffulta eadem innititur; agit. II. cui præmissa præfatio scopum & argumentum indicat, de jure Regis ecclesiastico, & quam late id pateat, quantumque in dispensatione legum valeat, tradit, remque omnem quatuor capitibus distincte complectitur. III. De jurisdictione pariter ac suffragio Episcoporum in regni Comitiis, quod ad causas capitales attinet, ferendo disputat, ac dignitatem sacri ordinis tuetur, & ab insultantium impetu vindicat ac defendit. His accesserunt sermones duo in comitiis dicti: ac prolixa demum de genuina metropolis Regni sui ætate exercitatio, qua simul, quæ Britanniæ urbisque in ea principis, florente Romanorum Republica, facies fuerit, ex vetustissimis ac fide dignis monumentis eruitur ac declaratur.

p. 1. p. 62. p. 227. p. 411. 437.

Quæ singula qua dexteritate & industria executus Autor fuerit, exactiori dissertationis cujusdam recensione ostendendum est: quam in rem tractatum III. partis II. enarrabimus, quod in ejusmodi ille versetur argumento, cujus fusiorem expositionem non injucundam speramus futuram. Cum enim missa in lucem epistola jus Episcoporum, quod in ferendis circa causas capitales in Parlamento suffragiis obtinent, non impetere nemo ac subvertere, fidemque dictis & legum autoritate conciliare, & exemplorum frequentia fuisset conatus: operæ se pretium facturum Autor existimavit, si ordinis sui dignitatem & jura sarta tecta servaret, tum & quæ

ſuæ ſententiæ firmamenta ſubſtruxerat Adverſarius, iret everſum. Quæſtio itaque, in qua cardo rei vertitur, ſtatim in limine Cap. I.
p. 227. ab Autore formata, ita habet: An Epiſcopis & præſentibus adeſſe liceat, & ſuffragia ferre, cum in Parlamento cauſæ capitales dijudicandæ veniunt: ſive ipſi ſententiam dicant, ſive circumſtantias examinent, viam tali judicio ſternentes? Quam antequam excutiat controverſiam, quaſdam utrinque conceſſas, magnique in formanda
p. 228. da deciſione momenti propoſitiones præmittit. Has inter primo loco refert, quod Epiſcopi, ex Baronali ſua dignitate Parlamento intereſſe, Regemque conſiliis juvare teneantur. Tum, quod eodem, quo ceteri Barones, Regio juſſu, Epiſcopi in Parlamento locum te-
p. 230. neant. Denique quod, ubi ad ferendas leges comitia procedunt, eadem, quæ cæteris reliquorum ordinum Proceribus eſt, Epiſcopis aſſidendi, ſuffragiaque ferendi competat poteſtas. Porro vero,
p. 232. cum autor epiſtolæ oblique, & velut aliud agens, varias graveſque in lectorum animos opiniones inſinuare allaborarit, amoliri eas No-
p. 233. ſter & convitii arguere, hoc eodem capite operam dedit. Ubi ergo ille omnem Clericorum operam, quam in ſecularia negotia curamque Reipublicæ impendunt, talem eſſe pronunciat, quam a ſe alienam putarint Apoſtoli; Noſter quid conſtituendam inter & conſtitutam eccleſiam interſit, docet, & inde ab Apoſtolorum temporibus, per univerſam fere Europam, ad publica concilia Epiſcopos fuiſſe admiſſos, maximeque in Anglia id pervetuſto more inde a Saxo-
p. 241. num tempore obtinuiſſe, demonſtrat. Mox cum ille, Imperiales leges Clerum a ſeculi negotiis arcere, eamque in rem Honorii & Theodoſii reſcriptum, tum & decretum aliquod Juſtiniani facere urgeret: Noſter nec vim legum Imperiales conſtitutiones in Anglia obtinere, nec omnem agendi in rebus ſecularibus facultatem Clero adimere, nec tales denique eſſe oſtendit, quæ nullam
p. 246. patiantur exceptionem. Capite II. Adverſarii in aciem producit argumenta, quæ cum in geminam veluti diſpoſuerit phalangem, quarum altera legum præſidio, rerum uſu altera, temporumque conſuetudine ſe tutaretur, cum utraque ſigillatim congrediendum cenſuit Autor. Et legum quidem autoritatem tantum abeſt ut defugiat Autor, ut Clarentinæ illius, quam in cauſæ præſidium Adverſarius attulerat, conſtitutionis ſententia ſtare ſe & cadere

dere

dere paratum pronunciet; quæ tamen quam manifeste pro Episcoporum causa militet, ex ferendi eandem occasione, genuino verborum sensu, & valore, quem in sequenti Northantonensi Parlamento obtinuit, prolixe & ad oculum demonstrat. Illam p. 271.
vero Parlamenti sententiam, quæ Regio jussu omniumque Ordinum consensu hanc Episcoporum confirmavit protestationem, qua salvo jure suo seipsos ab irrogandis capiti alicujus suppliciis excludunt, ita explicat, ut & rationes excutiat, quibus moti p. 275.
Patres Conscripti talibus eos judiciis legitime interesse posse ne- p. 289.
garunt; & studiose inquirat, num hæc protestationis confirmatio p. 290.
vim habeat legis; & sollicite demum indaget, an, licet Episcopi, florente in Anglia Papatu, vi legis hujus ejusmodi se judiciis subtraxerint, idem inde a Reformationis tempore, in more positum habuerint, semperque observarint? Cap. III. ad exemplorum, quæ p. 297.
a partibus suis stare Adversarius opinatur, censuram pergit, eaque distincte & ex temporum ordine disposita, partim sublesta fide niti, partim nihil prorsus pro Adversario facere, ostendit. Cu- p. 344.
jus ad calcem capitis, velut in tabula, & Adversarii pondera junctim repetit, & responsionum capita iisdem subnectit, unde judicare Lector queat, quænam propius ad veritatem momenta accedant. Cap. IV. dignitatem Episcoporum asserit, eosque Pares Regni esse p. 346.
evincit, discussis ac explosis, quæ in contrarium allata erant, argumentis; tum & eosdem locum atque suffragium suo merito p. 373.
in Parlamento tenere, nec tanti esse autoris epistolæ, graviter hoc impugnantis, rationes, quæ eos de sede sua deturbare queant, prolixe demonstrat.

GEORGII BEYERI, J. U. D. DELINEATIO JURIS Civilis ad fundamenta sua revocati & ad seculi usum accommodati; positionibus succinctis inclusa secundum Pandectas. Accesserunt typo minori expressa capita juris non recepti vel mutati, & de studio juris ejusque subsidiis prolegomena, nec non index rerum uberrimus.

Lipsiæ apud Heredes Jo. Grossi, 1704. 8.
Constat alph. 2. plag. 19.

SAtisfecit tandem Consultissimus Autor multorum desiderio, ac Positiones, ante aliquot annos inchoatas, ad finem perduxit. Præcipuus ejus scopus, nisi fallimur, est, artis hujus cultores ad solidam Juris Romani ac Germanici, antiqui pariter ac moderni, cognitionem manuducere; quo fine etiam, eruditis prolegomenis Jurisprudentiæ Studiosos, ac suos præcipue Auditores, prolixe satis instruxit, iisque elenchum eorum, quæ Positionibus suis addi, vel in iis mutari velit, subjecit. Rationem tractandi quod attinet, Doctissimus Autor, ad exemplum fere Huberi, sæpe Lectorem, ne actum agat, ad Positiones suas, juxta Institutionum seriem confectas, remittit, ac deinceps cætera, quæ præsentis instituti videbantur, addit. De ordine totius operis aliqua dicere, non attinet; nam juxta Pandectas Jus Civile hic esse delineatum, ex ipso titulo satis intelligitur. Nihil aliud igitur nobis agendum videtur, quam ut exemplis nonnullis Consultissimi Autoris doctrinam adumbremus: id quod dum, citra scrupulosi delectus curam, exequimur, eo ipso cæteris ipsiusmet meditationibus, quas silentio præterimus, nihil omnino volumus detractum. In *l.1.tit.2.* historiam juris Romani prolixe enarrat Noster, ejusque statum ante Justinianum, sub eo, & post eum, dilucide repræsentat; quæ tractatio multis institutis Romanis, ut Legislationi Prætoriæ, fictionibus, similibusque lucem eximie affundit. In *l.2.tit.2.* eos egregie falli censet, qui famosa tituli illius rubrica, *quod quisque juris in alterum statuerit, ut eodem ipse utatur*, generalem regulam de custodienda æqualitate cum proximo, *Matth.7. v.12.* a Christo repetitam, inculcari putant. Nam sermonem ibi solum esse de Magistratu, jus novum & iniquum contra aliquem dicente: potestatem enim legislatoriam aliquo modo Magistratibus Romanis competiisse. Hinc simul amplius patere arbitratur, titulum hunc ab usu fori recessisse, cum nostri Magistratus jus novum statuere nequeant; & quamvis vulgo putent, jus retorsionis civitatum erga civitates, in puncto gabellæ migrationis, albinagii &c. ex hoc titulo descendere, tamen Hahnium fateri, hodiernas retorsiones solum ex ratione generali æquitatis naturalis descendere, cujus origini hic titulus, tanquam exemplum, sit adscribendus. Fundamentum igitur unius decisionis, non in simili de-

decisione abrogata, sed generali potius utriusque ratione, quærendum esse, Noster concludit. *L. 3. tit. 1.* de honorariis Advocatorum, ex legis Cinciæ, a Friderico Brummero commentario donatæ, sententia, disserit Consultissimus Autor. Nimirum jam olim Romulus Patrocinium instituerat, ut quisque plebejus, quem vellet, ex Patribus sibi Patronum eligeret, a quo in Clientelam susceptus, in judiciis alibique defenderetur, legumque scientia & commerciorum arte imbueretur, quæstumque inde capere Patribus turpe esset. Atque hoc Patroni & Clientum nomen, post Reges exactos, ad Oratores causarum, qui ex Patriciis & Senatoribus constabant, soloque virtutis & famæ meritorum præmio inducti, tenuiores defendebant, transferebatur. Clientes interim non voluntate sola, sed reipsa Patronis gratitudinem testaturi, Natalibus, Calendis Januarii, Saturnalibus, natalitia, strenas, xenia sponte mittebant. Cum vero gratæ mentis significationes postea a Rabulis in debiti necessitatem transformarentur, ac grandiores summæ præscriberentur, ut Patriciis plebs stipendiaria esse cœperit, Cincius, Tribunus plebis, laudabilem & conciliandis civium animis aptissimam, sed fere collapsam consuetudinem restauraturus, plebiscitum rogavit, ejusque primo capite sanxit, ne quis, ob causam orandam, donum munusve capiat. Postea Augustus legem contemtu oppressam, sub quadrupli pœna renovavit, sed mox abolitam Claudius temperavit, ne Oratores, ultra dena sestertia, seu decem mille nummos sestertios, h. e. centum aureos, vel nostræ monetæ 250 aureos Rhenanos, caperent: Nero autem Legem Cinciam pristino vigori restituit, sed mox Claudii constitutio renovata, ac a Trajano limitata est, ut peractis demum negotiis, pecuniam decem millium dare, tantum fas esset; verum limitatione illa mox iterum exspirante, honorario sordidum mercedis nomen obveniebat, Advocatis illud non expectantibus, sed præcipientibus & paciscentibus. Ex illis hæc Autor noster amplius infert: titulum de Calumniatoribus, ex Augusti oratione enatum: nullum honorarium olim certa quantitate determinatum & promissum fuisse, sed in dignissimis etiam negotiis, accedente pacto, in mercedis nomen transiisse: consuetudinem de annuo salario, Advocato numerato, non repetendo, licet hic statim post anni initium de-

decedat, oriri ex ſtrenis aliisque munuſculis, citra conventionem ſolvi ſolitis, easque ipſas rationes (de honorario, ad proportionem laboris non determinando,) quæ rapacitatem Cauſidicorum inhibebant, in ejus adjumentum fuiſſe detortas: rationem *l. 1. §. 13. de extraord. cognit.* falſam eſſe, ſive munus poſtulandi conſideretur tanquam contractus *do ut facias*, ſeu tanquam donatio ſub modo, ſive tanquam locatio, & ex facilitate Imperatoris, tolerando Legis Cinciæ neglectui, prætenſam: Palmaria Advocatorum, in fraudem prohibitæ redemtionis litis, peſſimo exemplo fuiſſe admiſſa.

Quoad actionem ad exhibendum, hæc Noſtri *l. 10. tit. 4.* eſt ſententia: In foro Romano quotidianam hujus actionis fuiſſe utilitatem; cum enim vindicationes ſemper in re præſenti fierent, adigendum fuiſſe reum, ut rem exhiberet, i. e. ejus poteſtatem in Publico ſeu Jure faceret, ut vindicatione experiundi copia eſſet, id eſt, actor, re apprehenſa, formulam ſuam recitare poſſet: *Ego hanc rem, ex jure Quiritum, meam eſſe ajo, &c.* eamque exhibitionis petitionem eousque ſe extendiſſe, ut reus rem vindicandam, a re ſua, cui juncta erat, v. gr. gemmam actoris ab annulo ſuo, ſeparare debuerit, ne actor totum apprehendens illudque ſuum eſſe ajens, plus petiiſſe videretur. Cum vero hodie in rem præſentem amplius non agatur, adeoque primarius actionis exhibitoriæ uſus corruat, ideo non amplius actionem, ſed ſolum obligationem ad exhibendum hodie ſupereſſe, ejusque impletionem mediis magis compendioſis obtineri poſſe & ſolere, Noſter ulterius cenſet. Circa dominii translationem legibus poſitivis multa caveri ſolent. Ita in Geldria immobilia non transferuntur, citra actum ſolennem in Jure & ſymbolicum, quem olim effeſtucationem vocabant, hodie Opdracht ſive Transport / quod refert Noſter *l. 19. tit. 1.* & quoad effeſtucationis explicationem, ad Huberi *Prælect. ad J. de R. D. n. 42* lectorem remittit. *L. 28. tit. 1.* de uſu teſtamentorum in Germania, in hanc fere ſententiam diſſerit Autor noſter: antequam Epiſcopi Germaniam inſiderent, nullum teſtamentorum fuiſſe uſum; ab iis vero ſenſim poſtea eum introductum, tum ad amplificanda bona, tum ad manumittendos ſervos, qui urbes redderent frequentiores; has enim

po-

potiſſimas cauſas fuiſſe, ex formulis Marculfi aliorumque, a Baluzio collectis, conſtare; acceſſiſſe opinionem injuſtitiæ legum, liberos naturales & filias etiam legitimas ab hæreditate excludentium, quam teſtamentis corrigebant. Ita vero, pergit Noſter, in hac materia Jus Canonicum magis quam Civile obſervatum fuiſſe, rem ipſam oſtendere. Antequam enim illud in Germaniam reciperetur, teſtamenta magis donationum nomine veniſſe, & proprietatem, retento uſufructu, fuiſſe translatam, ſtipulatione ſubnexa; dein Jus Canonicum magis invaleſcens, teſtamentorum regulam probabiliter factum eſſe, donec irrepente Jure Romano, primum ex privato JCtorum ſuaſu, ſolennia teſtamentis adhiberi cœpta, ac tandem publica lege confirmata ſint. Interim multa loca Germaniæ Juris Canonici prius recepti ſimplicitatem retinuiſſe, ulterius Noſter contendit. Hinc ſimpliciorem teſtandi modum, alicubi occurrentem, non ſingulari privilegio, ob ruſticitatem, vel ſimiles cauſas, forſitan indulto tribuendum, ſed potius, ut in aliis, ita in hac etiam materia, reliquias juris patrii, in pagis, civitatibus aliquot liberis, & locis, a quibus remotiora ſunt JCtorum Collegia, quærendas & agnoſcendas eſſe, concludit. Inter alias Subſtitutionum ſpecies occurrit etiam Subſtitutio Cohæredum, quam Breviloquam ſeu Reciprocam dicere ſolent: ſed cui bono hæc Subſtitutio inventa, & in libros Juſtinianeos relata, cum cohæredes jam jure accreſcendi, in vacantes cohæredum portiones admittantur? Reſpondet ex Balduino Noſter *l. 28, tit. 6*, Legem Papiam Caducariam jus accreſcendi infregiſſe; hinc teſtatores, ſubſtitutionibus adjectis, viam Legi Papiæ obſtruxiſſe: cum vero hanc poſtea Juſtinianus penitus ſuſtulerit, ideo ſubſtitutionis breviloquæ nullum amplius eſſe effectum.

DE BIBLIOTHECIS NOVA ACCESSIO, COLLECTIONI MADERIANÆ ADJUNCTA A JOHANNE ANDREA SCHMIDIO, D.

Helmſtadii, apud G. W. Hammium, 1703, in 4.
Alphab. 2, plag. 3.

DUdum eſt, quod celeberrimus Maderus Virorum clariſſimorum libellos & commentationes, de *Bibliothecis & Archivis*,

cum præfatione sua de *Scriptis & Bibliothecis Ante-diluvianis*, luci publicæ exposuit. Nec displicuisse institutum istud eruditis, ut exemplarium defectus mox secutus, ita & doctorum judicia atque desideria affatim monstrarunt. Utrisque ergo ut mederetur Helmstadiensis Bibliopola, adhibito in consilium Summe Reverendo Schmidio, fasciculum a Madero collectum superiori anno 1702 typis denuo exscribi curavit, adjecta tum Hermanni Conringii commentatione *de Bibliotheca Augusta, quæ in arce Guelferbytana visitur*, ad quam Maderus in epilogo provocaverat. Sed & insuper Venerando, quem modo laudavimus, Schmidio interprete, pollicitus est, annis sequentibus singulis, de re Bibliothecaria volumen aliquod scriptorum, quæ vel non amplius in terris nostris apparent, vel exoticis conscripta linguis a paucis legi possunt, se rursus producturum, & Latina versione expressurum. Promissis itaque his prima jam vice stetit, & in Accessione præsenti hunc ordinem, impostetum quoque servandum, tenuit, ut vel methodum instruendæ Bibliothecæ, vel generalem Bibliothecarum historiam scribentibus subjiciat illos, qui singularium Bibliothecarum designationem ediderunt, idque moderante iterum meritissimo de omni re literaria Schmidio, qui & peculiari præfatione opus integrum ornavit. Et primo quidem loco heic comparet *Philobiblion*, seu liber *de Amore Librorum & Bibliothecarum Institutione*, quem A. 1344 scripsit Richardus a Buri, cognomento Angemillius, sub Eduardo III. Anglorum Rege, Episcopi in Ecclesia Dunelmensi, magnique in Aula Cancellarii & Thesaurarii munere defunctus. Sequitur Bessarionis, Cardinalis, Epistola ad Senatum Venetum *de Bibliotheca sua*, quam Venetus, libris Græcis magno sumtu in Italiam transvectis, erexit, moriensque Reipublicæ Venetæ in æde S. Marci locandam dono dedit. Tertium locum obtinet Gabriel Naudæus, cujus hic consilium *de Bibliotheca instruenda*, ex lingua Gallica in Latinam conversum legitur. Huic jungitur Theophili Spizelii Dissertatio de *Bibliothecis*, Sacris Bibliothecarum illustrium Arcanis detectis præmissa, itemque Coronis *de Hebræorum erga rem Bibliothecariam studio* iisdem subjuncta. E numero illorum, qui singularium Bibliothecarum historiam scripserunt, primus se sistit Christophorus

Heid-

Heidmannus, Eloquentiæ Professor Helmstadiensis, qui Serenissimo Principi, Friderico Ulrico, Brunsvicensium & Luneburgensium Duci, *de Bibliotheca Julia*, in Aula Guelphica olim asservata & in Academiam Helmstadiensem post translata, decreto Senatus Academici, oratione peculiari publicas A. 1622 egit gratias. Sed longe illustrius Principalis liberalitatis monumentum haud ita pridem edidit Serenissimus Rudolphus Augustus, ante paucos hos menses in cœlitum numerum cooptatus. Thesaurum ille literarium, longo annorum ambitu, in domesticos suos usus comparaverat, ac partim Hedwigsburgi in Tusculano, partim Brunsvigæ in Ducali sua Aula, ut ubique in oculis esset manibusque, apte collocaverat. Creverat ista, & diversis sedibus in eam molem surrexerat, ut spatium deesset illi capiendæ, nec cessura tandem fuisset amplissimis Germaniæ Bibliothecis, nec ipsi Augustæ Wolffenbuttelensi, nisi subinde Princeps benignissimus ingentem ejus apparatum per varia sacra Collegia largissime dispertivisset. Verum omnem gratiæ abundantissimæ cumulum in Academiam postremo Helmstadiensem contulit, dum excellentem rei suæ librariæ reliquæ thesaurum, in usus ei publicos quam clementissime donavit. Hujus ergo *Rudolphea nova Helmstadiensis Bibliotheca Memorabilia* in oratione peculiari, festo Academiæ natalitio A. 1702 recitata, uberius exposuit insigne Academiæ decus, Herman. von der Hardt, quæ Heidmannianæ gratiarum actioni merito heic comes additur. Hanc oratio excipit, quam Caspar Sagittarius aliquando habuit *de Bibliotheca Jenensi Academica*, antiqua æque ac nova, istiusque non minima portione, apparatu librorum Bosiano plane egregio. Cujus orationis dum Rev. Schmidius in præfatione meminit, ipsius quoque Sagittarii liberalitatem, qua per testamentum omnes suos libros, compactos & incompactos, laudatæ Bibliothecæ inferri voluit, dignam omnino censet solenni gratiarum actione, ut posteris constet, quanta Vir ille boni publici causa pertulerit & fecerit. Volumen denique obsignat Julii Pflugk Epistola ad Illustrem Seckendorfium, *de variis Bibliotheca Budensis fatis*, quæ simul librorum in ultima expugnatione repertorum catalogum subministrat.

HISTORIA ANGLO-SCOTICA.

i. e.

VERA HISTORIA GESTARUM RERUM INTER Reges & Regna Angliæ & Scotiæ, ab Wilhelmo Conquæstore usque ad Elisabetham Reginam &c. cum Dedicatione Præliminari JACOBI DRAKE, M.D.

Londini apud Johannem Hartley, 1703, in 8.

Constat Alph. 1, plag. 5.

REm peropportunam, & quantivis in Historia momenti statuendam, suscepit Nobilissimus Editor, dum præsentem libellum, in schedis sibi oblatum, prælo describendum commisit. Quamplurimos enim reperias Lectores, qui causas atque progressus internecini dissidii, quod Angliam & Scotiam per tot retro secula afflixit, unice cognituri, aliorum eventuum cuilibet regno propriorum curam tantisper minime agunt. Utraque tamen ab Historiarum scriptoribus communiter misceri solere deprehendas, sic ut memoriam legentis prolixa narrationum alterius generis, & a scopo jam suo abludentium, farragine fatigari, ac summo sæpe cum tædio obrui necesse sit. Istum igitur scopulum sollicite evitaturus hujus de rebus Anglo-Scoticis commentarii Autor, ea in nuce solum collecta profert, quæ homagia, foedera, inducias, matrimonia, violationes pacis incursiones, devastationes, prælia, obsidiones, aliaque inter prædictas gentes individua connexione tractata respiciunt. Omittit autem, vel parcius delibat cætera, quæ alterutri domestica videri possunt. Qua quidem methodo nihil compendiosius, aut tempori lucrando magis accommodatum, excogitare licet, ut optandum omnino foret, adesse nobis, in tanto scripturientium agmine, qui Gallo-Hispanicas, aut Anglo-Gallicas, Dano-Suececas, nec non Sueco-Polonicas, Polono-Russicas, Italo-Germanicas, aliasque finitimarum mutuisque bellis sese lacessentium nationum historias, a primordiis earum, pari cum cura ac brevitate componerent. Autorem verò hujus ibri quod attinet, de illo ne divinando quicquam certi sibi constare potuisse, in præfatione Editor affirmat; id tantum se olfecisse e loco non uno; quod ætas ejus in Caroli I Regis tempora inciderit, utpote quem data subinde occasione Dominum suum Clementissimum appellitet. Num

Num Jacobo Howelio, qui Bella Scoto-Anglica descripsisse dicitur, opusculum vindicari debeat, alii viderint. Cæterum Historia ipsa cur in Maria Angliæ Regina desinat, Drakius rationem hanc suggerit, ne, si Elisabethæ ævum complecti debuisset, de Mariæ Scotiæ Reginæ cæde aliqua graviora dicenda fuissent, quam filii ejus ferre scivissent aures. Initium facit a Wilhelmo Conquæstore, qui Malcolmum III Scotiæ R. Edgaro Attelingio Anglia ejecto refugium non modo præstantem, sed etiam sorori ejus Margarethæ matrimonio junctum, bello domavit, adque homagii necessitatem adegit. Hanc fidem datam cum Wilhelmo II regnante Malcolmus fefellisset, Angliæque infesta signa intulisset, & vitam atque opes perdidit. Interim successores, quos habuit, fere omnes regnum Scotiæ feudi titulo ab Angliæ Regibus impetrare oportuit, quæ subjectionis species, cum ambitiosioribus nonnullis, ut est natura hominum, nedum Regum, libertatis appetentissima, valde displiceret, gravissimas discordias identidem excitavit. Inde enata diuturna bella, modo Anglis, modo Scotis luctuosa, ita tamen, ut illi, si ab Edoardi II infelicibus præliis recesseris, frequentiora tropæa erexerint. Nobis jam non vacat, singulos casus memorandos operose hic persequi; quapropter intra fœdus illud nuptiale, quod Jacobus IV Scotiæ Rex cum Margaretha Heinrici VII Angl. Regis filia iniit, cujusque intuitu ambo deinceps regna coaluerunt, hic subsistemus. Cum nempe famosus ille impostor Perkinus Warbeck, assumta Richardi Ducis Eboracensis persona, Scotorum, quibus fucum fecerat, ope borealem Angliæ plagam devastasset, sed quod nullos inveniret amicos, re infecta discedere coactus esset, de induciis A. 1497 inter utrumque Regem ita convenit, ut Perkinus Scotia pelleretur. Hæc ipsa vero Halcyonia, quin sequenti statim anno fœdarentur, parum abfuit. Accidit enim, ut nonnulli e juventute Scotica, castrum Norhamense paulo curiosius ac petulantius appropinquarent, suspicionemque hostilis machinationis præsidiariis injicerent, qui responsis insuper injuriosis accensi, eruptione facta aliquot trucidarunt, reliquos vulneribus probe multatos in fugam verterunt. Istud tanquam indigne factum graviter ferre Jacobus, ac feciali misso bellum denunciare, nec rationibus ab Heinrico allatis demulceri; jamque res ad arma spe-

ſpectabat, niſi Epiſcopus Dunelmenſis, cujus maxime intererat, turbas iſtas, utpote ſuorum præcipitantia commotas, ſopiri, multis literis deprecatoriis ad Jacobum miſſis iram ejus leniviſſet. Tanti quippe apud Regem valuit Viri prudentia atque pietas, ut eundem colloquii cauſa in Scotiam accerſeret. Qui aſſenſu Heinrici impetrato, iter illuc aggreditur, Regemque prius multa conqueſtum, de ſævitia erga ſuos prope Norhamum exercita, optime cæteroqui Heinrico cupere, quin & Margaretham filiam ejus natu majorem in uxorem ſibi expoſcere, lætus audit. De opera quoque ſua in tanto negotio interponenda rogatus, eam Regi liberaliter ſpondet, ſicque ad Henricum rem totam deferens, eundem non alienum a tali fœdere, ut erat pacis ſtudioſiſſimus, deprehendit. Quod ubi reſcivit Jacobus, legationem ſplendidiſſimam, cujus principes erant Archiepiſcopus Glascovienſis & Bothwelliæ Comes, petendæ Margarethæ in matrimonium cauſa, in Angliam mittit, quæ etiam honorificentiſſime fuit excepta. Cum vero Heinricus rem ad Conſilium ſanctius referret, paucos approbatores e purpuratis habuit, cauſantes nimirum, inconveniens eſſe, ut corona Angliæ ad Scotos devolveretur, propter poſteritatem Margarethæ, ſi Heinrici propago deficeret. Tum Regem dixiſſe ferunt: *Quid ſi fieret? Sane ſi tale quid contingat, quod Deus avertat, animo prævideo, regnum Angliæ nullum hoc pacto diſpendium facturum, ſiquidem Anglia non accedet Scotiæ, ſed Scotia potius Angliæ, utpote multum præſtantiori totius Inſulæ parti, quandoquidem illud quod minus eſt, ſemper in ornamentum ac decus majoris accreſcere ſoleat, ceu vidimus in Normannia, cum ſub dominatione ac poteſtate Regum Angliæ majorum noſtrorum ſtaret.* Hoc effatum, tanquam e tripode dictum, totum Conſilium ſuſcepit, decrevitque unanimi ſuffragio, Margaretham Jacobo in matrimonium collocari debere. Pax itaque primum ſanciebatur inter utrumque Regem, ad dies vitæ permanſura, quæ ut ſtabilior redderetur, edictum, nemini ſubditorum alterutrius regni in poſterum fas eſſe, absque commendatitiis Regis ſui literis, limitibus patriæ ſuæ excedere. De dote ita Margarethæ proſpiciebant, ut decem millia librarum Sterl. Marito afferret, qui dotalitii loco duo millia poſt mortem ſuam, in præſenti vero mille ad ejus ſuſtentationem

nem e ditionibus certissimi reditus quotannis percipienda, vicissim promisit. Hanc dotem dum maximi Regis filiæ ista ætate sufficisse narrat Autor, ingemiscit simul moribus seculi sui, quo propter luxum ac prodigalitatem fœminarum, ejusmodi dotem ac reciprocam provisionem nobiles non modo, verum etiam ignobiles æquent, imo superent. Re sic conclusa, Legati Scotici domum abeunt, mox Londinum reversuri, consummandorum solemnium causa, quæ etiam d. 25 Jan. A. 1501 ita fuerunt peracta, ut Comes Bothwelliæ, Jacobi nomine, virginem Regiam sibi publice desponderit. Memorat Autor, tantæ hasce nuptias universo populo fuisse lætitiæ, ut mireris, inimicitias adeo recentes tam subito ex animis hominum deleri potuisse, inprimis cum cives Londinenses procul fuerint a calamitatibus bellicis; itaque præsagitioni alicui venturæ felicitatis, divinitus immissæ, istud adscribendum censet. Insequenti Junio mense, in Scotiam deducta sponsa Regia, cum annorum esset quatuordecim, atque a sponso, ad fines regni magno apparatu obviam procedente, Edinburgi in amplexus maritales accepta fuit. Sic Heinrici R. Salomonis Anglici sapientia matrimonium hoc feliciter conciliavit, e quo genitus est Jacobus V Scotiæ Rex, qui filiam Mariam Reginam, matrem Jacobi VI, primi Magnæ Britanniæ Regis, porro suscepit. Cæterum, licet pax satis firma duraverit inter utrumque Regem, quoad in vivis esset Heinricus VII, post ejus tamen obitum, & regnante Heinrico VIII, cum is Gallico bello intentus Teroannæ obsidionem urgeret, Jacobus IV, spreto arctissimæ affinitatis vinculo, & liberandi Ludovici XII Galliæ Regis amore, Angliam valido cum exercitu intravit; quod improspere ipsi cecidit, eo quod obviam sibi habens Thomam Howardium Comitem Surriæ, Locum tenentem Regis Angliæ in plagis septentrionalibus, ingentem cladem accepit, unaque cum flore Nobilitatis mortem oppetiit. Contigit hoc d. 9 Septembr. anno 1513, cum trigesimum nonum ætatis annum ageret, filiumque tenellum septendecim tantum mensium haberet, qui tamen statim d. 21 Sept. Regium diadema consecutus, nomineque Jacobi V salutatus fuit. Reliqua deinde bella, in minore hujus ætate, auspicio Johannis Stuarti Albaniæ Ducis, administrata, tum ea quoque, quæ cum per ætatem regni habenas ipsemet moderaretur, molitus est, nec

non

non funeſta illa diſſidia, ſub Maria Regina Scotiæ, & Edoardo VI ejusque ſorore Maria Angliæ Regibus exercita, benevolum Lectorem ex Autore ipſo, quam noſtro indicio, percipere malumus.

JAC. PERIZONII Q. CURTIUS RUFUS RESTITUTUS in integrum, & vindicatus, per modum ſpeciminis, a variis accuſationibus & immodica atque acerba nimis criſi Viri celeberrimi Joannis Clerici.

Lugd. in Batavis, apud Henr. Teering, 1703, in 8. plag. 13.

CUm clariſſimorum duumvirûm, Perizonii & Clerici, ea fere propria gloria ſit, ut poſt graviores diſciplinas, ingenium & operam ad humaniores literas juvandas & illuſtrandas conferant, cujus ſtudii vel hæc Acta luculenta ſatis documenta dabunt; non adverſum fore ſperamus Lectori benevolo, ſi quæ de Q. Curtii nitidiſſimi autoris ſtylo ac hiſtoria iſti, non ingrato eruditis ſtudio, controverſati inter ſe attulerint, brevibus hic & quaſi in tabella exhibeamus. *Judicium* ſcilicet *de forma ſcribendi Q. Curtii* Arti Criticæ ſuæ, (quam in his Actis A. 1698 m. Jan. p. 11 recenſuimus) parte tertia addiderat Jo. Clericus. In illo autem hanc eruditis Curtii ideam adumbraverat: Illum, cum diuturnam " & diligentem operam arti oratoriæ dediſſet, imo forte eam alios " docuiſſet, vidiſſetque neminem apud Latinos res geſtas Alexan- " dri M. pro argumenti dignitate ſcribere aggreſſum eſſe; hanc " materiam elegiſſe, non tam ut accuratiſſime hiſtoriam Alexandri " conderet, licet hoc quoque tentarit, quam ut eloquentiæ ſuæ " ſpecimen ederet. Eam in rem res ab Alexandro geſtas, non ut " curioſi ſingularum circumſtantiarum hiſtorici ſolent, ſed decla- " matoris more conſcripſiſſe: itaque tot orationes non eo ſtylo, qui " Macedones aut Scythas, rudes pleroſque ac militaribus artibus " deditos, ſed qui otioſum rhetorem deceret, conſcriptas inſe- " ruiſſe: narrationem ipſam non nativa ſimplicitate deſcriptionum- " que ἀκρίβεια & fide, ſed nitore & elegantia vocum, & totius " ſtyli ardore quodam ac ſublimitate ornatam dediſſe: occaſiones " deſcribendorum fluviorum, itinerum aliarumque rerum avide " nimis captaſſe, deſcriptiones autem ipſas ſtylo ſubinde hyperbo- " lico

lico & ab Historicis alieno elaborasse: adeoque declamatorem "
potius (elegantem istum quidem) quam historicum in toto isto "
opere egisse. Cæterum Astronomiæ & Geographiæ plane ipsum "
imperitum, ac Chronologiæ incuriosum esse: fabulas subinde se- "
qui & describere: repugnantia prodere: inutilibus narratis, ne- "
cessaria omittere: laudatorem potius nimiæ Alexandri ambitionis "
esse, quam vituperatorem: quin & in stylo suo declamatorio "
nimias hyperbolas, *ἀκυρολογίας*, *τερατολογίας* &c. admittere: "
genuini vero historici requisita ubique fere desiderari.

Quod Clerici de Curtio judicium cum acerbius paulo crederet CL. Perizonius; in nitidissima Æliani editione ab se adornata, & in his Actis A. 1701 p. 485 recensita, data occasione quædam monet, & libro quidem X, c. XXII, ubi Dioxippi, ob eximiam *virtutem virium* etiam a Curtio celebrati, mentio occurrit, censuram *Φράσεως virtus virium* a Clerico *ἀκυρολογίας* notatæ, examinat: libro autem XII, c. 37, *Paropamisadarum sedes* recte a Curtio libro VII, 3, contra Clerici observationem, constitutas & descriptas fuisse probat. Ad hæc Clericus in Præfatione *C. Pedonis Albinovani*, sub nomine *Theodori Goralli* A. 1703 ab se illustrati, & a nobis in his Actis eodem anno p. 494 sqq. exhibiti, quædam reposuit. Digna igitur causa videbatur CL. Perizonio, quæ accuratius paulo ageretur pro Curtio contra Clericum. Quare hunc, quem præ manibus habemus libellum, *Curtium restitutum in integrum & ab accusationibus Clerici vindicatum per modum speciminis*, edidit: in quo quidem Curtium, præsertim in Geographicis, humani quid aliquando passum, nequaquam diffitetur, styli etiam ornamentis magis forsan, quam gravem historicum decet, rhetora quippe, studuisse concedit: in reliquis autem CL. Clerici crisin immodicam & sæpe iniquam esse existimat; idque occasione potissimum duorum locorum, quæ in notis ad Ælianum vindicare cœperat, ut declaret, nunc quidem videbimus. Primo enim loco, verbis Curtii l. IX c. VII, pugil nobilis & ob eximiam *virtutem virium* regi pernotus &c. Clericus *ἀκυρολογίαν* intolerabilem inesse dixerat. Quod cum ex ea ratione a Clerico factum putaret Perizonius, quod virtus ipsi solam animi præstantiam notare, nec ad corpus pertinere videretur, contrarium, & ex etymologia, & ex

usu hujus vocis, cum Plauto *virtus forma*, Sallustio *historiæ virtus*, Cæsari *virtus bestiæ elephanti*, Ciceroni *virtus* cujusque rei præstantia, Suetonio *virtutes corporis*, Græcis denique ἀρετὴ eodem modo dicatur, probare nisus erat Perizonius. Ad hæc Clericus eandem Φράσιν, *virtus virium*, in aliis autoribus sibi ostendi postulaverat. Quod vero iniquissimum postulatum putat Perizonius: cum plurimæ Φράσεις optimæ apud autores solitariæ legantur, quæ propterea non sint rejiciendæ, quod non totidem verbis in aliis reperiantur, cum analogiæ linguæ nihil contrarium habeant. Eadem ratione reliqua ἀκυρολογίας exempla, a Clerico allata, excutit Perizonius. Paritatem vero styli, in omnibus Curtii orationibus conspicuam, & a Clerico taxatam, tum scopo Curtii, qui non *commentarios*, sed *historiam* ornate scribere voluerit, tum Livii, Sallustii aliorumque exemplis excusat; absurda exinde a Clerico deducta, a p. 96 ad 114 declinat; hyperbolicas autem dicendi rationes aliquot concedit, sed istas parum dignas fuisse, quæ ita extra ordinem tanquam vitiosæ notarentur, judicat. Altero loco, quem in Æliano examinaverat Perizonius, Curtius VII, 3 *Paropamisadas gelidissimum Septentrionis axem ex magna parte spectare* dixerat, pluraque deinde ad describendum frigus & nivem istic repertam addiderat, quæ Clericus omnem ineptiam superare, atque adeo Curtium, sub quo climate siti fuerint Paropamisadæ, nescivisse existimat. Perizonius vero extra omnem hic culpam Curtium positum esse, ex eo ostendit, quod is nihil rerum de suo historiæ veteri aspergere voluerit, nec debuerit, ut qui veterem jam tunc & Græcam valde illustrem historiam civibus suis vernaculo sermone exposuerit, interpretemque magis alienæ, quam novæ historiæ scriptorem egerit, adeoque alios, v. g. Diodorum Siculum, Ælianum, Strabonem, Eratosthenem &c. secutus sit, & ut ipse lib. IX, cap. 5, v. 21 dicit, plura transscripserit, quam crediderit, & nec affirmare, de quibus dubitarit, nec subducere quid de acceptis voluerit. Ad hæc Clericus, non tam vanos a Curtio autores sequendos, sed illorum errores e *mensoribus itinerum Alexandri* emendandos fuisse, censet. Nullos autem tales in omni antiquitate esse, neque a Clerico, qui aliter Paropamisadarum regionem describant, afferri posse, respondet Perizonius, adeoque Cu-

Curtium, tot Græcorum autoritatem ſecutum, etiamſi in re ipſa erraſſet, excuſat: quin & ulterius, nullum plane in ipſa re a Curtio deſcripta errorem eſſe, demonſtrat. Quamvis enim Ptolemæus, quem unum ſequatur Clericus, Paropamiſadis gradus altitudinis ſeptentrionalis minus quadraginta, h. e. mollius cœlum tribuat; verum tamen omnino eſſe poſſe, quod veteres omnes de frigoribus & nivibus eorum tradiderint, cum ipſi undique altiſſimis montibus, frigoris ac nivium non minus quam Alpes feracibus, cincti fuerint, & Alexander, contra quam Clericus ſentit, menſe Novembri, adeoq; in hyeme, iter per eorum regionem fecerit. Eodem modo Curtium, Hammonis oraculi ſitum deſcribentem, a p. 144 ſeqq. tuetur, & ſi qua etiam erraverit, communi veterum, orbe terrarum nondum ita peragrato, & navibus quaqua patet inveſtigato, ignorantia excuſat: contradictionum vero imputationem, inprimis in deſcriptione curruum falcatorum, inde a p. 163 ab autore ſuo declinat, & p. 175 aliquam rotæ figuram æri inciſam exhibet, quæ ſine contradictionis metu, ex aſſe cum Curtii deſcriptione conveniat. Contra vero multos errores e Clerici Hiſtoria, Parrhaſianis, Bibliotheca ſelecta &c. facile oſtendi poſſe putat, quosdam etiam oſtendit, & ipſum quoque Curtii cenſorem ab humanis erroribus non omnino liberum eſſe, declarare nititur. Quod quidem ut aliorum judicio linquimus: ita nunc brevibus, quid ad has Curtii vindicias denuo attulerit Clericus, expendemus. Hoc enim agit Vir clariſſimus in Bibliotheca ſua ſelecta Tomo III p. 171 ſeqq. ſub hoc titulo: *Jac. Perizonii Q. Curtius Rufus reſtitutus in integrum & vindicatus per modum ſpeciminis a variis accuſationibus, & immodica atque acerba nimis criſi Viri celeberrimi Joannis Clerici. A Leide, 1703. in 8. p. 193.* In quo quidem oſtendit celeberrimus Clericus, in multis iisque præcipuis controverſiæ hujus capitibus, convenire ſibi cum Perizonio: quippe qui & ipſe fateatur, Aſtronomiæ, Geographiæ & Chronologiæ non omnino peritiſſimum, Rhetorices contra & affectatæ ſtyli elegantiæ nimis fere ſtudioſum fuiſſe Curtium. Ægre autem forte tuliſſe Perizonium exiſtimat, quod liberius paulo de variis autoribus, & præcipue criticis, Logices incurioſis, cœcisque antiquitatum admiratoribus, honorificentius autem de Anglis eruditis

ſenſerit ac ſcripſerit Clericus. Ad quæ quidem, prudentem judicandi libertatem in republica eruditorum libera cuilibet permisſam, & ab ipſo Perizonio in alios ſæpe uſurpatam, criticorum erroribus non eſſe palpandum, nec Anglos magis quam alios meritis laudibus a quoquam fraudandos, reſpondet. In eo autem non probat Perizonii ſententiam, quod is Curtium, ambitionem Alexandri laudantem, ea ratione excuſet, quod *popularis ſit hiſtoricus*, adeoque ſenſum populi expreſſerit. Nullus enim Clerico probatur hiſtoricus, qui non ſit & philoſophus, & e cujus lectione prudentiæ incrementa morumque emendatio non expectari poſſit. Quod ad Φράσιν *virtus virium* attinet, nondum ejus bonitatem Clerico perſuaſit Perizonius, cum in loco Plautino *virtus formæ* denotet efficaciam formæ, hic autem virtus virium ſignificet roboris excellentiam; quem alium ſenſum eſſe, nec uſquam alibi horum vocabulorum conjunctionem inveniri, Clericus exiſtimat. Quamobrem hanc Φράσιν & reliqua, quæ circa Φράσεως improprietatem monuerat Perizonius, obiter tranſit, ſeque non tam de verbis Curtii controverſiam cum illo habere, quam de rebus ab illo minus e perſona hiſtorici tractatis, declarat; omnes autem dicendi improprietates & hyperbolas, orationumque fingendarum licentiam, ultro Curtio condonat; quamvis noſtratem Cl. Cellarium multo de his, quam Perizonium, rectius judicaſſe addat. Circa res ipſas autem, quanquam Perizonius ſatis tutum ſuum Curtium ſub prætextu illo cenſeat, quod Græcam ſolum hiſtoriam verterit, non novam condiderit: quia tamen ipſe Perizonius p. 117 addat, eatenus Græcos ſecutum eſſe Curtium, *quatenus non aperte falſa veroque abſimilia tradiderint*, verbis ſuis victum Perizonium judicat, cum Curtius aperta falſitate mare Caſpium cum Ponto Euxino, vicinasque terras & aquas confuderit, autores, quos ſequitur, non accurate examinarit, adeoque pro hiſtoria fabulas fere Romanenſes lectori dederit. Deſcriptionem certe regionis Parapamiſadarum, nullo modo probari ſibi patitur Clericus, multoque hic rectius Cellarium ac Tellierium judicaſſe exiſtimat, confitentes Curtium a Diodoro ſeductum, hanc regionem, quaſi ſub ipſo Septentrionum ſidere poſita eſſet, deſcripſiſſe: nec nives hyemales, ut Perizonio videatur, ſufficere ad tanti frigoris deſcriptionem excuſan-

cusandam, quale vix in ipsa concipi Laponia queat: cum inprimis Curtius plura etiam, quam Diodorus habet, (velut de die nocti simili, &c.) solum ut magis admirandam descriptionem redderet, addiderit, & tamen Sogdianorum regionem, propius adhuc ad Arctos positam, ut regionem calidam & æstuante sabulo ferventem descripserit. Rectiora certe Curtium e Strabone, qui *mensores itinerum Alexandri* citet, & Parapamisadarum situm satis clare indicet, discere potuisse. Non enim solam hic descriptionem facti, sed suetæ regionis Parapamisadarum tempestatis ac conditionis esse, quæ gelidissimum Septentrionis axem spectet, i. e. juxta Diodorum, sub ipsa Arcto jaceat. Id enim denotari per *Φρέαν, spectare Septentrionis axem*, Clerico videtur, quia a Curtio additum sit vocabulum *gelidissimum*, quod omnino propinquitatem Septentrionis subindicare, non solam plagam notare, existimat: cum alias de calidissima Æthiopia dicere liceret, eam gelidissimum Septentrionis axem spectare. Rectissime igitur hic Cellarium censere, qui hæc, *gelidissimum Septentrionis axem spectare, & ad Indicum mare vergere*, non cohærere dicat. Pari ratione sedem oraculi Hammonis Jovis, a Curtio descriptam, veritati nequaquam esse consentaneam, cum cœli temperies æstuosissima, per arbores oraculi sedem cingentes adeo mitigari non potuerit, ut temperatissimo veri similis haberetur. Et quanquam antiquiores Græci rudes plerumque Geographiæ fuerint, Curtii tamen tempore satis jam excultam hanc disciplinam fuisse, ut facile inde emendare tam crassos errores potuisset. Ipsam denique rotarum formam, qualem curruum falcatorum ære exprimi curaverit Perizonius, satis ostendere, Clerico causas dignas fuisse, cur credere non potuerit, istiusmodi curribus aliquid mali in bello hostibus afferri potuisse. Cæterum errores sibi objectos ita diluere nititur Clericus, ut se quidem ab errandi periculo non omnino liberum profiteatur, iis tamen, qui allati a Perizonio hoc loco fuerint, vel alibi jam satisfactum esse, vel fieri saltem facile posse perhibeat, adeoque philologicam hanc controversiam solemni illo,

Veniam petimusque damusque vicissim,

digna viro docto moderatione usus, concludat.

M. CHRISTIANI STIEFFII, LIGNICENSIS Silesii, de Urnis in Silesia Lignicensibus & Pilgramsdorfiensibus *Epistola*.

Lipsiæ apud Chr. Bauchium, 1704, in 4

Constat plag. X, & V Tab. æneis.

QUum Reverendissimus atque Illustrissimus Dominus, MICHAEL JOSEPHUS FIBIGER, Sacri Ordinis Militaris Crucigerorum cum rubra stella supremus per Silesiam & Poloniam Magister, & ad D. Matthiæ apud Vratislavienses Prælatus, NICOLAI HENELII SILESIO-GRAPHIAM RENOVATAM, doctissimis scholiis a se auctam atque illustratam, prælo submitteret, & in tertii capitis ultimo commate Urnarum sepulchralium, quæ apud Silesios effodiuntur, mentio facta esset, nulla vero ibi Lignicensium ollarum memoria extaret; operæ pretium duxit Vir-Juvenis noster Clarissimus, natione & ipse Silesius, hanc de Lignicensibus atque Pilgramsdorfiensibus Urnis epistolam, ad Illustrissimum Ordinis dicti Magistrum adornare, & in illa reliquias antiqui in patria funeris fusius illustrare. Quod ut curatius faceret, inter alia ipsum ocularis Urnarum inspectio, tum civium quorundam, (ex quibus sigillatim M. Davidem Schindlerum, Pastorem apud Lygios Marianum, & Georgium Antonium Volckmannum, Medicum Doctorem laudat,) institutum cum ipso litterarum commercium, maxime autem singularis laudatissimi Præsulis favor adjuvit, qui sumtus etiam, ut epistola typis exscriberetur, & iconismi ollarum æri inciderentur, liberaliter suppeditavit. Argumentum Auctor in XI quasi sectiones divisit, quarum *prima* Scriptoribus, qui de Urnis variarum gentium, *secunda* illis, qui de ollis in Silesia speciatim effossis egerunt, recensendis impenditur. In *tertia* Thebesium, Schindlerum & Volckmannum aliquid scriptionis de Lignicensibus in animo habuisse; illum tamen morte præreptum, cæteros autem gravioribus negotiis impeditos fuisse memorat. *Quarta* sectio inventarum ollarum historiam continet, qua diu jam Urnas sepulchrales passim ex agris casu quodam effossas, sed a rusticis semper neglectas, primas tandem anno 1680 a Schindlero in Figulorum monte diligentiore cura observatas, & annis 1697, 1698 plures ex eodem loco a D. Volckmanno extractas, atque ad vivum

virum delineatas ostendit. In *quinta* locum nobis describit, *Montem* nimirum *Figulorum*, quod suburbii fere Lignicensis nomen est: eumque non Figulorum, sed Ollarum potius montem adpellandum esse putat, cum quod publicus olim funerum ibi locus fuerit, tum quod alius ejus generis prope Trebnicium monticulus, ab ollis, non a figulis cognomen acceperit. Addit deinde, quod Lignicensium alius situs sit a Pilgramsdorfiensibus; quod utræque valde differant a vasculis Romanorum, qui *Columbaria* habuerint, ex cocto lapide exstructa, duas aut quatuor ollas cinerarias complectentia: cujusmodi columbarii iconem ex Fabretti Inscriptionibus Romanis delineatam adpinxit. Montis autem Figulorum occasione, ad ipsam urbem Lignicensem pedem promovet, quam civitatem fuisse quandam Lygiorum veterum narrat, dubius tamen, num Ariis aut Naharvalis (quæ duæ fuerunt præstantissimæ gentis Lygiæ nationes) tractus iste adsignandus, & an Ptolemæi *Hegetmatia* civitas, pro Lignicio habenda sit: qua quidem in re ad Naharvalos inclinat, *apud quos antiqua religionis lucum ostendi, & Sacra gentis sub ALCIS Numinis nomine floruisse*, Tacitus memoriæ prodidit. Hos autem Naharvalos ad ripas Viadri, & præcipue ad Leubusiensis monasterii districtum, altero fere ac tertio a Lignicio lapide, incoluisse concludit inde, quod seculo X, quo ad Christi fidem conversa fuit omnis Silesia & Polonia, celebratissimum Silesiorum gentilium fanum illic stetisse, Annales prodant: ubi simul illos taxat, qui Leubusiensis aut Lubensis cœnobii nomen a Julio Cæsare derivant, exemplo inepti cujusdam versificatoris, cujus hos quatuor versus adducit:

Est locus iste LUBENS JULIO de Cæsare dictus,
Sclavonisando loquens consuevit dicere vulgus
LUBENS pro JULIUS, qui primus castra metatus
Isthic, & populus ejus phanum veneratus;

quum tamen nullo cordati scriptoris testimonio probari possit, Romanorum unquam Ducum, multo vero minus Julii Cæsaris aquilas eousque victorias suas extendisse. In *sexta* Urnas ipsas adgreditur, easque ostendit non esse a natura productas, sed manu fabrefactas: differre quoad figuram a Romanis, sed convenire

venire cum Marchicis: materiam omnium argillaceam, sed argillæ sæpenumero sterile quoddam nitidum, sive particulas auri colorem mentientes admixtas deprehendi: colorem variare, sed lævorem ac polituram conspici; quod sane Lygios veteres usum rotæ, & encausti figulini calluisse probat: linearum ductus & strias pro certis characteribus non habendas, sed ornatus tantum gratia adjectas: radices arborum per molliores aliquas transiisse: majori urnæ multas semper minores adjunctas, quas utensilia defuncti & vascula ad inferias Manibus exsolvendas interpretatur, motus inprimis exemplo Prussorum, qui ad seculum usque decimum ac quintum post Christum natum, in media veritatis luce, vascula medone, vino, adusto, aut cerevisia plena, cum defunctis in loculo condiderint. Postea serum ac liquorem congelatum, in ollis aliquando repertum, pro lachrymis amicorum inibi adservatis non habendum, ejusque generis vascula neutiquam lachrymatoria esse dicenda demonstrat, quando Germanos in luctu moderatissimos a lachrymis abstinuisse, sed carminibus atque epulis funebribus memoriam Heroum celebrasse, & liquorem in vasculis obvium, cum balsamo, oleo, ac medone magis, quam cum lachrymis, convenire constat. *Septimam* reliquiis intra vel prope Urnas inventis conservat Auctor. Ex iis familiam ducunt *Styli*, *Acus*, & *Fibulæ Vestiariæ*, lævore quodam & ærugine eleganter obductæ: *Annuli* deinde ex vario metallo, sed rariores ex ferro, cujus in tumulis Cimbricis & Lygiis magna raritas. Succedunt *Frameæ* a Tacito memoratæ, & armaturæ veteris quoddam genus, in agris Martisburgensibus nuper effossum, cujus ectypus adjicitur: *Jacula* etiam & *Culter* in Urna Lignicensi inventus: *Cos* item & *Lapides Fulminares*, quos a natura non productos, sed ex silice aut serpentino lapide cæsos tradit; qua in re ὁμοψήφους habet Majorem, Mellenium, & Rhodium, cujus observationes in Actis Litterariis Maris Balthici leguntur. Mox arma in tumulis defunctorum olim condita; Viros Principes & Heroes cataphractos in sepulchrum illatos; hodie autem vexilla, gladios & calcaria in monumentis suspendi, insignia vero, si postremus quisquam familiæ suæ obierit, simul tumulari, narrat. Equorum post sandapilam ætate nostra ductorum morem, a veteri consuetudine deducit, qua Tacitus

citus Germanos equum cum cadavere defuncti cremasse scribit. *Crines* porro docet Urnæ Lignicensi superimpositos; eos tamen distinguendos esse a filis in fundo urnarum jacentibus, quæ fibrillæ sint radicum ex ossibus. *Lucernas Sepulchrales* nunquam in Silesia detectas, *Globulum* autem ligneum perforatum, quo mulieres ad fila ex colo ducenda utuntur, & *Crepitaculum* puellare figlini operis apud Lignicenses repertum memorat. Inter reliquias funebres *Numi* quoque sunt, quos *octava* sectione considerat. Tales in Silesia e terra quidem effodi, sed in ossuariis raro inveniri dicit. Signati sunt utplurimum imagine Romanorum Impp. Trajani maxime, Hadriani, Antonini & Faustinæ, sed ex iis ingressum Romanorum militum in oras illas minime probari posse, contra civis cujusdam sui sententiam contendit. Disquirit deinde, an *Numi*, sive in urnis, sive in agris illic inventi, habendi sint pro thesauris sepulchralibus, aut pro naulo Charontis? Et thesauros quidem sepulchrales apud Judæos, Romanos, Gothos, Francos, Suecos, Danos, & Prutenos in usu fuisse, apud Silesios tamen, rei pecuariæ studiosos, minus frequentatos concedit; cæterum Charontis naulum, quod Græcorum inventum est, uti aliis gentibus, ita Silesiis incognitum arbitratur: & quamvis apud antiquos Christianos SS. Eucharistiæ symbola, nauli nomine, mortuis non tantum infusa, sed & cum iis consepulta legantur, (quod testimonio Theophili Raynaldi ex Heteroclitis Spiritualibus, libro apud Silesios rarissimo, confirmat,) Moscique hodiedum commendatitias ad D. Petrum literas defuncto in manus tradant; loca tamen ex Bosio, Aringho & Chifletio adducit, quibus Christianis & Martyribus veteribus consepultos fuisse numos Imperatorum, sub quibus aut martyrium passi aut mortui sunt, ipsisque adeo Gentilibus numos, ceu indices funeris temporarios, adjunctos probatur. Tres interim numulos ex argento, Schmigelii in Polonia ex agris prope urnas extractos, inter iconismos subjunxit, quorum illustrationem, quod serius cum ipso sunt communicati, & ad Lignicenses specialiter non pertinent, peculiari dissertationi servat. In *nona* Ustrinam describit, quam prope humum paludosam, oppidanis der Bruch dictam, D. Volckmannus detexit. Ibi cremata sunt cadavera, ossium tamen respectu potiori habito quam cinerum.

Patresfamilias ſolos fuiſſe ſolemni funere combuſtos, tenuioris autem conditionis homines, ſervos item, ancillas, mancipia, infantes, publicum funus non accepiſſe ſtatuit, & occaſione dentium in ollis repertorum, de Romanorum dentibus aureis, vel auro incruſtatis, quibuscum cadavera urere ac ſepelire Leges XII. Tabb. permittunt, quædam non injucunda obſervat. *Decima* in ætatem Urnarum Lignicenſium inquirit, & ante XIII, XIV aut XV ſecula in terra fuiſſe defoſſas putat, quod æreæ ſemper armorum reliquiæ, nulli autem unquam gladii aut arma ferrea inveniantur; quum tamen veroſimile ſit, altero poſt Chriſtum natum & tertio ſeculo, tum ferri ad arma, tum gladiorum inter arma uſum, apud Sileſios veteres introductum fuiſſe. Lygias autem has Urnas eſſe, & ante Slavorum in Sileſiam ingreſſum ibi conditas, inde arbitratur, quod Slavi Sarmatæ, qui ſeculo VI medio Sileſiam fere ſubjugarunt, cadavera non cremaſſe, ſed humaſſe, a Dlugoſſo ſcriptore Polono ſcribantur; quamvis exempla noſtro Auctori non deſint, quæ cremationem & humationem cadaverum eodem tempore, apud Germanos aliasque gentes, uſitatam confirmant. *Undecima* tandem, quæ ultima ſectio eſt, epiſtolam concludit, ob inextricabiles veteris Geographiæ nodos, & antiquorum in Sileſia codicum penuriam, nihil certi definiendum ſtatuit, pluraque hujus generis a ſe proferri in medium potuiſſe, ſed magnitudinem epiſtolæ obſtitiſſe fatetur: excuſat ſimul errores fortean obvios, & cum voto pro maturanda Henelianæ Sileſiographiæ publicatione finit: quam etiam nundinis Lipſienſibus nuperrime prætterlapſis in lucem publicam emiſit Reverendiſſimus Præſul FIBIGERUS, a nobis inter Acta Eruditorum proxime recenſendam.

TAB. III. Quod reliquum eſt, ex quinque tabulis, quarum prioribus quatuor Urnarum varia genera Auctor expreſſit, quintam lectori ſpectandam exhibemus. Et illa quidem repræſentat

a.) Ferrum bifurcatum, duorum cubitorum & quod excedit, cujus uſus ignoratur.


b.) Fibulas, Acus & Stylos numero ſex. vid. pag. epiſtolæ 28.


c.) Fragmentum Annuli majoris ex metallo mixto.

d.) Globum ex metallo mixto.


e.) Cotem, de qua pag. 32. lin. 11.

f.) Fra-


a
b


i
f
f



b


c
e


d.


3
AR
K


h.


b
b

f.) Frameam, de qua pag. 30. lin. 21. 23.

g.) Cultrum, de quo p. 32. lin. 2.

h.) Circulum octuplum ex auro puro, duorum ducatorum pondo æquantem, ductilem, & ad crines colligendos vinciendosque fortasse adhibitum.

i.) Instrumentum ex metallo mixto, in agris Martisburgensibus prope urnam inventum, cujus mentio facta p. 31.

k.) Tres Numulos ex argento, Schmigelii Polonorum ex agris effossos.

GERARDI NOODT, JC. DIOCLETIANUS ET Maximianus, sive, de Transactione & Pactione criminum, Liber singularis.

Lugduni in Batavis, apud Frid. Haaring, 1704, 4. plag. 14.

Quemadmodum Clarissimus JCtus, Gerardus Noodt, totus ac semper in eo occupatur, ut Jurisprudentia paulo castiore ad ingenii lumen procedat, ita argumentum libri hujus perelegantis est, communem destruere sententiam illorum, qui sibi aliisque c. 1. persuadent, in L. 18. C. de Transact. dari affectui humanitatis, ad sui conservationem egregie inclinanti, ut non tantum non prohibeatur transactio inter accusatorem & reum de admissis delatisque criminibus, pœnam mortis naturalis ingerentibus, sed & inter eos optimo jure servetur. At Noster contra existimat, talem transactionem quandocunque factam de omittenda accusatione, Jure Civili non valere, nec legibus unquam approbari, vel peccato etiam vacare: sed humanitate Principum id solum assequi, ut non perinde in reo, atque in accusatore, puniatur. Monet au- c. 2. tem ante omnia, in isto textu Imperatores proprie neque novam, neque generalem facere constitutionem, sed respondere libello aut epistolæ cujusdam hominis privati, Valentis, a quo de jure, etsi alioquin certo, fuerint consulti; quam distinctionem iidem Impp. in L. 3. C. si minor se maj. dix. sequantur. Suadere hoc verba Rescripti: *probibitum non est*, &, *non licet:* quæ non novi, sed certi & pervulgati juris indicium præbeant. Id tamen cum parum sit hactenus observatum, causam compluribus & gra-

c. 3. vibus dedisse erroribus. Monet porro, eosdem Impp. in L. 25.
C. de transact. & L. 3. C. de repud. vel abstin. heredit. distinguere transactionem a pacto, hic autem pro iisdem accipere, & magis ad transactiones, quam ad gratuitas pactiones respicere; quod inde elicit, quia alias reus non posset incidere in accusationem fal-
c. 4. si. Mentem igitur Imperatorum hanc esse: transactionem de criminibus qualemcunque legum severitate prohiberi, factamque
c. 5. 6. 7. improbari, amplius, pro peccato puniri; attamen, si de sanguine fiat, reo solum Principum lenitate remitti, eique ignosci, atque adeo eum a pœna illius excusari: ipsam vero transactionem manere
c. 8. nihilominus nullam. Neque enim negare Imperatores, prohibitum esse transigere vel pacisci de capitalibus criminibus, (sic enim fa-
c. [illegible] cerent constitutionem proprie dictam,) nec mutare quid ex recepto & solenni jure, sed potius ex usu juris certi rescribere. Neque quæsivisse Valentem, ad quem rescriptum est, quæ transactio de criminibus nulla sit, aut valeat? sed quæ evitet falsi accusationem, aut sub ea relinquatur? Et quanquam reus ab eo accusatore, cum quo transegit in publico & capitali crimine, non possit
c. 10. amplius accusari, id tamen non fieri exceptione pacti, quam Prætor promittit L. 7. §. 7. ff. de pact. (non enim transactionem esse, sed corruptionem,) quin potius in pœnam accusatoris, & ob infamiam illius, qui citra veniam abolitionis legem prodidit turpi quæstu. Fluere hinc, reum post talem transactionem accusa-
c. 11. ri posse ab aliis, nec magistratum inquisitione prohiberi. Neque
c. 12. tamen accusatori perinde, ut reo, ignosci: non enim contineri in textu constitutionem generalem, ubi a latitudine verborum argumentum possit produci ad accusatorem. Et Valentem ne quæsivisse quidem, utrum reo tantum, an etiam accusatori hoc liceat? sed, cum certum esset, tantum reo licere sine pœna transigere, accusatori non licere, solum quæsivisse, an reo æque de publicis criminibus, quæ infra mortis pœnam consistant, ac de his, quæ in eam cadunt, impune & citra pœnam falsi transigere vel pacisci liceat? Rescribere Imperatores ad unam tantum quæstionem, circa genera criminum; alteram, quæ potuerit ad personas paciscentium pertinere, non attingere. Nocere igitur accusatori transactionem etiam ante institutam accusationem, non

vero

vero pactionem gratuitam: post institutam, nocere utramque, & vel ex SC. Turpiliano, vel officio judicis puniri. Licere tamen accusatori transigere, si videatur in capitis periculum innocentia rei venire: sed jam jure rei id fieri, non jure accusatoris, & ut reum concussione vexet. Ulpianum etiam in L. 1. §. 3. D. de calumniator. ita accipiendum, quod in causis, in quibus unicuique *licet* transigere, non sit interdictum transactionibus bona fide factis, sed sordidis concussionibus. Et recte legi in omnibus exemplaribus, uno excepto Florentino: *neque enim transactionibus* licitis *est interdictum.* Sicut in L. 16. D. de transact. *qui fidem* licitæ *transactionis rupit.* Ad illas autem non pertinere has nostras transactiones. Præterea voculam *Nam* in d. L. 1. §. 3. non habere vim causæ, sed vim incipiendi; denique sumi pro *cæterum* vel simili. *Vici*, inquit Clarissimus Autor, *difficultatem d. l. 1. §. 3. hactenus insuperabilem.* Adulterium porro in L. 18. C. de transact. non recte excipi a capitalibus criminibus, cum Diocletiani & Maximiani tempore non fuerit capitale crimen. Equidem adulteros, etiam ante eos, aliquando morte aut exilio punitos, apud Suetonium Octavio c. 5. Sed hunc non loqui de jure communi, verum de pœna a Principe aut Senatu extra ordinem & contra leges illata, adductis Taciti Dionisque testimoniis. Interpolatum etiam esse textum Imp. Alexandri L. 9. C. ad L. Juliam de adulter. & stultissima adjectione deformatum. Sensum enim hunc emergere: convenire temporum suorum castitati, mulierem Lege Julia de pudicitia damnatam, perseverare sive perdurare in pœna mortis, ac, si hanc, postquam occisa est, quocunque modo evaserit, eamque sciens quis uxorem duxerit vel reduxerit, eadem hunc lege ex causa lenocinii puniri. Occisam autem non reviviscere, & nubere. Omittenda igitur verba: *si quocunque modo pœnam capitalem evaserit.* Hoc sensu: mulierem adulterii damnatam, non liberandam esse pœnis, quæ ei Lege Julia sint inflictæ, relegatione scilicet, inter alias, & amissione partis bonorum ac dotis, atque ut innupta sit: hinc eum, qui illam sciens duxerit, ex causa lenocinii puniri. Proculum enim, ad quem rescripsit Alexander, voluisse uxorem ducere mulierem Lege Julia de pudicitia damnatam, & quæsivisse adeo jus connubii per indulgentiam Principis. Rescripsisse hunc,

c. 13. c. 14. c. 15. c. 16.

eam non solvi pœnis Legis Juliæ, nec apparere, cur a pœna lenocinii etiam recedendum sit. Pergit Noster, etiam post Alexandrum, non fuisse adulterium sub Valeriano & Gallieno capitale, & contrarium patere ex L. 17. C. ad L. Jul. de adult. Arnobium sane, qui floruerit sub Diocletiano & Maximiano, (quod Noster veluti certum atque perspicuum præsupponit) jam meminisse *pœnarum capitalium* lib. 4. advers. gentes, sed ambiguam esse vocabuli significationem: ac videri non mortem naturalem, imo ne civilem quidem, sed infamiam cum cæteris Legis Juliæ pœnis intelligere, favente contextu verborum sequentium. Pœnam igitur gladii, ceu novam, Constantino adscribi a Justiniano, Nov. 134. c. 10, atque ipsum Constantinum hoc docere L. 16. C. de pœnis, & L. 1. C. Theod. eod. tit. Non videri tamen quærendam hanc pœnam in L. 30. §. 1. C. ad L. Jul. de adulteriis, quanquam Lex illa Constantini sit. Nam istam scriptam esse a nato Christo A. 326, cum d. L. 16. & d. l. 1. jam ante scripta sit anno 314. Profectam ergo pœnam gladii ex alia Constantini lege, quæ perierit injuria temporum, & circa initia imperii Constantini lata sit, atque ita transiisse in d. L. 30. §. 1. Sic enim & alibi Tribonianum duas, etiam diversorum Imperatorum, constitutiones confundere, puta in L. 2. C. de infant. expos. Accedere locum Lactantii *de mortibus persecut. c. 39. & 40.* de rebus circa annum 312, cujus mentem edisserit Noster, concluditque, hæc verba L. 18. C. de Transact. *excepto adulterio*, esse aut Triboniani, aut alicujus veteris interpretis. Nam & Græcos ea agnoscere, quanquam ita, ut deinde Scholiastes diversum sentiat. Videri autem exceptionem illam adscriptam deinceps ex L. 10. C. ad L. Jul. de adult. in qua Alexander dicit, de crimine adulterii pacisci non licere; quia eo imperante nondum fuerit capitale, atque adeo ne rei quidem transactionem tunc reciperet. Postquam vero factum est capitale, itidem non debuisse in d. L. 18. a capitalibus criminibus excipi. Hodie enim, & post hanc novam pœnam, humanitati convenire, transactionis veniam dari etiam adulterii reo, qui sanguinem suum qualiter qualiter redemtum voluerit, ob generalem rationem Principum. Manere tamen, quod nec in adulterio de jure transigi possit, nec transactio valeat. De accusatore vero ne hic quidem

dem sermonem esse. Similiter in crimine raptus virginis, ignosci raptori, ceu reo, transigenti, ob eandem generalitatem; non item parentibus raptæ, quia accusatores sunt aut esse possunt, L. unic. §. 2. C. de raptu; nec delatori, in crimine perduellionis, L. 5. C. ad L. Jul. Maj. Ergo & hic reo. Hæc de publicis capitalibus. De publicis non capitalibus statuit Autor loqui ultima verba L. 18. C. de transact. non autem de privatis criminibus. Non, quod Impp. velint, aliud in his, aliud in illis obtinere; sed quod a Valente de publicis tantum, non etiam de privatis fuerint consulti. Ab istis autem non capitalibus noluisse Diocletianum & Maximianum excipere falsum, qui hic, & infinitis aliis locis, *citra* accipiant pro *fine*. Neque ullibi in toto Jure Civili prodi exemplum criminis falsi, de quo impune facta sit a reo transactio, utpote cujus accusatio infra sanguinis pœnam subsistat. Et L. 7. C. ad L. Corn. de falsis, non loqui de crimine falsi, sed de instrumento ante transactionem suspecto, post eam vero non amplius in dubium vocando. In accusationem igitur falsi incidere reum, transigentem super non capitalibus; quod omnis rei corruptio accipiatur pro falso. Denique architectos nostri Juris perperam posuisse id caput Diocletiani & Maximiani sub titulo Codicis de Transactionibus: quum tituli hujus non sit, exponere, quando transactio de criminalibus falso locum faciat? sed quæ transactio de rebus privatis, nec dolo, nec adversus leges facta valeat? Debuisse igitur collocari, ubi agatur de criminibus eorumque pœnis, aut de jure Fisci: quomodo in Pandectis fragmenta Veterum hujus argumenti, non sub titulo de pactis aut transactionibus, sed de calumniatoribus, de prævaricatione, & similibus deprehendantur.

c. 21. c. 22. c. 23.

D. JOHANNIS BOHNII, PROFESSORIS Lipsiensis de Officio Medici duplici, Clinici nimirum ac Forensis; hoc est, qua ratione ille se gerere debeat penes infirmos pariter, ac in Foro, ut Medici eruditi, prudentis ac ingenui nomen utrinque tueatur.

Lipsiæ apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1704, in 4.
Alph. 3. Plag. 21.

Cum

CUm Medici genuini officium a paucis adhuc rite pertractatum fuerit, Excellentissimus noster Autor, quemadmodum consummati Medici munus ad amussim explendo, magnum inter Medicos dudum meruit nomen, ita occasionem curatius illud hic delineandi negligere noluit. Consensum vero suum iis ille denegans, qui officium Medici apud infirmos terminari autumant, quasi operam ipsius non sæpissime Magistratus requireret; utrique officio distinctam in præsenti tractatu dicare partem deprehenditur. Nemo tamen Medicorum cum sine eruditione ac prudentia officio, sive clinico, sive forensi, rite queat fungi, Autor in parte prima veram Medici doctrinam, ab illius fortuna haud discrepantem, nec in Empiricis occurrentem, una cum ejusdem decoro atque moribus confidentiam ægrotis conciliantibus, exactius ante tradit, quam solide docere pergat, quomodo Medicus ægrorum curam suscepturus, primum in sciscitando sive morbo explorando, hinc in judicando seu præsagiendo, tandem in remediis convenientibus ope indicationum inveniendis, ac instrumentis eorum ex fonte diætetico, pharmacevtico aut chirurgico administrandis, recte sese debeat gerere. Ex multis, qui hinc inde perstringuntur atque corriguntur erroribus, sequentes delibasse sufficiat: Medicum, etiam non pestilentialem, te[illegible]peste laborantes visitare, p. 100. In consultationibus Medicu[illegible] secretorum revelationem haud adstringi, p. 125. In chronicorum morborum medela non lente semper esse procedendum, p. 192. Remedia prophylactica frequentius sine ratione assumi, p. 195. Experientiæ etiam tunc oportere inniti, quando ratio deficiat aut repugnet, p. 202. In morbis curandis Astrologorum præcepta nihil valere, p. 209. Alterantium dosin hodie justo parciorem plerumque præscribi, p. 246. Venæsectionem multa recenseri prohibentia, quæ talia non sint, p. 256. Diureticis etiam a pastu licere uti, p. 305. Ex phænomenis quibusdam particularibus male formari hypotheses universales, p. 355. Remedia spiritus vere roborantia & corrigentia dubia, p. 356. Membris inflammatis ab opiatis extrinsecis gangrænam & sphacelum haud induci, p. 363. Panis repletionem non magis nocere ac aliorum ciborum, p. 389. Ordinem in assumendis cibis nullius esse momenti, nec eduliorum varietatem tantum nocumen-

cumenti afferre, ac communiter creditur, p. 393. Medicis licere pharmaca parare ac dispensare, p. 431. Medicinam præscriptoriam periculosiorem esse dispensatoria, p. 444. Constitutionem medicamentorum internam, ex eorum principiis non semper dignosci, p. 453. Lapidum pretiosorum, margaritarum atque auri efficaciam majorem, neque experientia, neque ratione posse probari, p. 456. Instrumentorum in officinis chirurgicis alia deficere, alia haberi inepta, p. 488.

In altera autem parte, dum Forensem instruit Medicum, quo hic a Magistratu postulatus perite pariter atque fideliter queat respondere, non solummodo Medicinæ Forensis necessitatem, ac Medicorum, Chirurgorum & Obstetricum testificantium conditiones scite commemorat, sed & renunciationum instrumenta atque difficultates, cum renunciandi modo, accurate explanat. Integram tamen Medicinam Forensem, a multis multum desideratam, ut Excellentissimus Autor cum publico aliquando valeat communicare, vegetas ipsi vires a summo Numine apprecamur.

ELOGIA ILLUSTRIUM QUORUNDAM MATHEMATICORUM NUPER DEFUNCTORUM.

NUlli facile Eruditorum ordini magis funesta hactenus fata fuere, quam Mathematicis, quorum principes quatuor, in Anglia *Joannes Wallisius*, in Gallia Marchio *Hospitalius*, *Joannes Christophorus Sturmius* in Germania, in Belgio *Joannes Huddenius*, intra sex fere mensium spatium, mortem cum vita commutarunt. Et *Joannes* quidem *Wallisius* superiori anno Oxonii, die 28 Octobris, diem obiit, cum ætatis annum ageret octogesimum septimum: ut adeo non tam deploranda sit mors ejus, quam gratiæ agendæ Numini, quod Virum, perficiendæ Mathesi natum, tanto tempore terris indulgere voluerit. In Cantabrigiensi Academia bonis literis ac Mathematicis inprimis scientiis imbutus, cum in Oxoniensem inde digressus esset, jam A. 1649 Geometriæ Professor Savilianus constitui meruit, illamque spartam ex eo tempore ad vitæ usque finem ita ornavit, ut summi Mathematici nomen famamque per Europam omnem dudum fuerit consecutus. Nec minus ornamentum Illustrissimæ Societatis Regiæ Anglicanæ

 fuit,

fuit, quam cum paucis aliis fundavit primitus, & per omnem postea vitam inventis ac observatis insignibus sustinuit. Sed de eo plura dicere non attinet, cum exasciatam Viri eruditionem amplissima luculentissimaque, quæ Orbi Erudito reliquit, opera, separatim olim, dein annis 1693, 1695, 1699 junctim edita, & tribus spissis in folio, ut vocant, voluminibus comprehensa, abunde testentur. Alterius vero ex quatuorviris nostris obitus, tanto acerbior Literato Orbi accidit, quod in ipso ætatis flore vivis fuerit ereptus; de quo pluscula dicenda nobis sunt, quod non æque, ac Wallisius, cunctis nostratium innotuerit. Est is Vir Illustrissimus, Marchio *Hospitalius*, Præses alter Academiæ Regiæ Scientiarum Gallicæ Eminentissimus, qui d. 2 Febr. anni currentis ad meliorem vitam transmigravit. Is jam per integrum Januarium mensem elanguerat, febri correptus, nullatenus quidem decretoria, sed quam pridie mortis diei apoplexia excepit, in paralysin totius lateris sinistri desinens. Insequenti die, circa horam X matutinam, loquela destitui visus est, omniumque sensuum officio paulatim carere, usque ad VI vespertinam, qua spiritum reddidit, cum annos tres solum ultra quadraginta numeraret. De vita ejus, quam Viri cujusdam nobis amicissimi humanitati debemus, pauca adjicere lubet. Acceperat eam parentibus Anna II Hospitalio, Comite S. Mesmii &c. Primocerio Magistrorum Stabuli Gastonis Aurelianensium Ducis, & Elisabetha, Claudii Gobelini Consiliarii Status ordinarii, Magistri libellorum supplicum ac Quæstoris in exercitu Regis filia. In pueritia sua duos habuit præceptores, quorum alter Mathematicis disciplinis operam locaturus, libros hujus generis nonnullos sibi comparaverat, quibus Nostro quoque ardentissima versus studia hæcce propensio obvenit, ita ut mortuo illo non cessaret, assidua eos evolvere manu. Cujus instituti successus fuit tam insignis, ut alter præceptor, licet homo minime truncus, cum illis deliciis animum pariter appelleret, attingere ipsum haud valeret. Noster etenim, nullo præeunte Magistro, totum Mathematum campum feliciter emetiebatur. Hinc accidit, ut, cum annos circiter XV natus, apud Ducem Rohanii forte esset, problema Pascalii de Rotula, (incertum quodnam) resolvendum aggrederetur, & cum applausu etiam expediret, miran-

rantibus celeberrimo Arnaldo aliisque, qui juvenilem temeritatem initio taxaverant. Ab eo tempore unice in pulvere Mathematico desudavit, & nec Aulæ deliciis ac splendore, nec militaribus functionibus inde se avelli unquam passus est, ut & in tentorio suo curam ei impenderit. Capitanei munus aliquandiu gessit, in cohorte equitum prætoria, quod tamen abdicavit, propter debilitatem oculorum, qua valde laborabat, ut vexillum videre, aut homines ab altera compiti parte ipsum salutantes discernere potis non esset. Missis itaque castris, Mathematicas scientias noctes diesque tractare cœpit, sed intemperantius, quam valetudo imbecillis permittebat. Fama siquidem est, eum fata sua hac vivendi ratione præcipitasse. Sane quanta fuerit ejus in hoc studio assiduitas, vel exinde dignoscere licet, quod, cum propter frequentiores capitis dolores atque insomnia, otium sibi imperare vellet, ultra quatriduum tamen nunquam a solitis lucubrationibus abstinuerit. Id agendo ad summa penetravit, atque excellentissimus ævi nostri Geometra consensu omnium evasit; prout apparet e felici tot problematum, tum in Actis nostris, tum alibi propositorum analysi, quibus enodandis pauci Mathematicorum vel primi ordinis suffecere. Quod non porro judicii acumen, quam invidendum cognitionis thesaurum non prodidit liber ejus, *de Analysi infinite parvorum* vulgatus? In quo viam ad intimos Geometriæ recessus monstravit, suppeditando singulis Geometris tot facillimas methodos, quot propositiones continet. Præ manibus habebat opus elaboratum, ad mentem Geometriæ Cartesii, sed magis absolutum & vastioris argumenti, quod pene ad finem perductum, paucis ante excessum diebus affirmabat. Optandum igitur quam maxime foret, ut illud, quali quali demum facie ornatum, in publicam emitteretur lucem; siquidem & fragmentis Viri adeo illustris statuendum pretium. Uxorem duxerat Mariam Charlottam de Rommilley de la Chesnelaye, nunc viduam, e qua gnatum unicum & tres filias reliquit. Nomen vero & titulus ipsi erant: *Wilhelmus Franciscus Hospitalius, Eques, Marchio S. Mesmii & Monteleri, Comes Aubremontii, Dominus d' Ouques, la Chaise, le Beau aliorumque locorum.* Familiam ipsam quod attinet, fertur ea a Galluciorum in Neapolitano Regno stemmate

perquam nobili descendere, cujus propago fuerit Alphonsus quidam, qui a Dynastia Hospitalii, in Principatu ulteriori sita, cognomen sibi adsciverit, atque a Carolo II R. Neapol. A. 1308 gratiam mercatus octiduani ibidem instituendi impetraverit. Ejus e filio Friderico, regia affinitate claro, nepos Johannes, in Gallia fortunarum sedem stabilivisse, atque Hospitalios, quotquot ibi jam degunt, prosevisse dicitur. Cæterum Hospitalii dominium penes Moniales a S. Annunciatione nuncupatas, quæ Neapoli vivunt, jam residet. Succedat *Jo. Christophorus Sturmius*, Germaniæ nostræ decus ac ornamentum, qui annos octo & sexaginta natus, postquam primum Deiningæ Rhætorum, Pastoris Ecclesiæ munere per quinquennium functus esset, posteaque in Illustri Academia Altorfina per annos triginta quatuor, Eclecticam philosophandi rationem secutus, Mathematicas scientias & Physicam publice docuisset, anni proxime elapsi die 26 Decembris animam Deo reddidit. Ejus eruditionem, & in Mathesin inprimis præclara merita, tot scripta loquuntur & schediasmata, quæ publici usus fecit, summo etiam ab exteris cum applausu excepta, ut longe lateque famam nominis sui propagarit. Quæ quidem hic enumerare supersedemus, cum eorum pleraque in Actis hisce fuerint recensita, partim etiam integra exhibita. Jacturam vero tanti Viri eo æquiore ferimus animo, quod Filium reliquit Leonhardum Christophorum, Mathematicis studiis a pueritia innutritum, eaque in Viadrina Illustri Academia publice hoc tempore profitentem, quem, quod in Patre amisimus, redditurum cum fœnore, nulli dubitamus. Superest *Joannes Huddenius*, Consul, dum viveret, Reipublicæ Amstelodamensis gravissimus, die proximo 16 Aprilis defunctus. Fuisse & illum insignem Mathematicum, & nisi maturius rebus gerendis ac administrandæ Reipublicæ admotus fuisset, præstare egregia potuisse, vel *Epistolæ* ejus *de Reductione Æquationum & de Maximis ac Minimis*, jam A. 1658 conscriptæ, & a Francisco a Schoten suis in Cartesii Geometriam commentariis annexæ, abunde comprobant. Sed quid prohibet, quominus quatuorviris nostris Mathematicis, vel ob insignem plane ac inusitatam Chronologiæ, qua excelluit, peritiam, quintum adjungamus, Romanæ Ecclesiæ Cardi-

na-

nalem Eminentissimum, *Henricum Norisium*, die 23 Februarii hujus anni, cum ætatis septuagesimum quartum ageret, extinctum? Ordini is Eremitarum S. Augustini addictus, & Serenissimi Magni Ducis Etruriæ Cosmi III Theologus, in Academia Pisana longo tempore S. Scripturæ & Historiæ Ecclesiasticæ Professorem summo cum applausu egit, scriptis etiam profundam eruditionem spirantibus ingentem nominis famam consecutus. Ex quo factum, ut A. 1692, post Emanuelis a Schelstraten Bibliothecæ Vaticanæ Custodis obitum, Romanus Pontifex Innocentius XII non alium invenerit digniorem, quem Bibliothecæ præficeret, eundemque in Collegium Consultorum Romanæ Inquisitionis cooptarit, imo & A. 1695 Purpurato Cardinalium Ordini adscripserit. Primum, quod sciamus, operum, quæ edidit, *Pelagiana* fuit *Historia* cum *Vindiciis Augustinianis*; qui liber longe doctissimus, Patavii primum A. 1673 impressus, posteaque in Germania etiam & Belgio recusus, ut magnam statim celebritatem Auctori peperit, ita & conciliavit invidiam. Etsi enim supremæ Romanæ Inquisitionis decreto, antequam vulgaretur, probatus esset, non defuere tamen, e Societate Jesu inprimis, qui Jansenismi ex eo Norisium insimularent, ut secundum etiam, imo tertium, examini ac censuræ Romanæ Inquisitionis subjiciendus fuerit, indemnis licet, nec ulla Theologica nota perstrictus. A. 1674 Patavii *Censuram* edidit *in Notas Joannis Garnerii ad Inscriptiones Epistolarum Synodalium XC & XCII inter Augustinianas:* uti ibidem A. 1676 *Dissertationem de duobus Nummis Diocletiani & Licinii, cum Auctario Chronologico de Votis Decennalibus Imperatorum ac Cæsarum.* Quæ postea prodiere, & ad nostras manus pervenere, Norisiana scripta, justo studio in his Actis recensita Lector benevolus deprehendet: *Cenotaphia Pisana Caji & Lucii Cæsarum*, vastum opus variamque eruditionem complexum, A. 1683, pag. 113: *Epistolam Consularem* A. 1684, pag. 302: *Annum & Epochas Syro-Macedonum in vetustis urbium Syriæ nummis, præsertim Mediceis, expositas* A. 1690, pag. 425: *Dissertationes de Paschali Latinorum Cyclo annorum LXXXIV, & de Cyclo Paschali Ravennate annorum XCV*, A. 1692, pag. 187: *Historicam Dissertationem de Uno ex Trinitate carne passo, & Historiæ Pelagianæ ab Anonymi*

scrupulis Vindicias, A. 1696, pag. 508 seqq. Historia Donatistarum, quam dudum totiesque minatus est, num ad umbilicum perducta, & in lucem aliquando proditura sit, dies docebit.

NOVA LITERARIA ITALICA.

ANtonius Gattus Berthonensis, Ictus clarissimus, absolvit jam Historiam & Vindicias Ticinensis Gymnasii, cujus ipse ornamentum existit eximium. Opus hujusmodi titulo est inscriptum: *Gymnasii Ticinensis Historia & Vindiciæ a sæculo V ad finem XV, & plura de ejusdem Urbis antiqua Nobilitate, Authore Antonio Gatto, in eodem Gymnasio Antecessore. Ad Excellentissimum Senatum Mediolanensem. Mediolani, typis Josephi Pandulfi Malatestæ, 1704. 8.* Romæ Jo. Vignolius, Vir doctissimus & in re imprimis nummaria exercitatissimus, ultimam manum imponit Dissertationi de Columna Imperatoris Antonini Pii, recens Romæ detecta, cui accedunt Inscriptiones variæ in agro Romano & alibi effossæ. Quod opus uti non poterit non acceptum esse rei antiquariæ amatoribus, ita dubium non est, quin eadem Columna plurium excitatura sit industriam. Certe attigit & argumentum illud celeberrimus Blanchinus, in opere, quod prælo commissum jam dicitur, hoc titulo: *De Kalendario ac Cyclo Cæsaris, ac de Paschali Canone S. Hippolyti Martyris, Dissertationes duæ. Ad SS. D. Nostrum Clementem XI Pontificem Max. Quibus inseritur descriptio & explanatio basis, in Campo Martio nuper detectæ, sub Columna Antonino Pio olim dicata. His accessit Enarratio per Epistolam ad Amicum, de Nummo & Gnomone Clementino. Auctore Francisco Blanchino Veronensi, Basilicæ S. Laurentii in Damaso de Urbe Canonico, S. D. N. ab Honore Sac. Cubiculi, & a Secretis Sac. Congreg. Kalendarii. Romæ, typis Aloysii & Francisci de Comitibus, in fol.* Ista vero Congregatio, quæ hodierni Pontificis Maximi auspiciis, pro emendando Kalendario Gregoriano, instituta est, haud dubie plusculis scriptis occasionem præbebit. Jamque prodiit sequens: *Dominici Quartaironii Responsiones ad nonnullas Assertiones pro Reformatione Kalendarii Gregoriani de Paschate Anni 1700. Romæ ex Typographia R. Cam. Apost. 1703 in fol.* nec non aliud hoc titulo:

tulo: *Responsio ad Literas ab Uranophilo ad Amicum datas, de erroribus Clavio objectis, in Expositione Romani Calendarii, a D. Jo. Dominico Caffini. Vindobonæ, 1704, typis Hæredum Matthai Cosmerovii, in 4.* Quod posterius tamen, etsi Viennæ nomen præferat, in Italia typis excusum accepimus. Prodierunt & in Italia libri alii superiore anno, qui ad nos, propter impedita per motus bellicos itinera, nondum pervenerunt; quos indicare tamen Lectori Benevolo consultum ducimus. *La Gerarchia Cardinalizia, di Carlo Bartholomeo Piazza. In Roma nella Stamperia del Bernabò, in fol. De Ecclesiasticæ Hierarchiæ Originibus Dissertatio, Auctore D. Benedicto Bacchino, Monacho Benedictino Casinensi. Mutinæ typis Antonii Capponi, in 4. De suspectis ab Hæresi Opus, Auctore Anselmo Dandino Cæsenate, utriusque Signaturæ Referendario. Romæ, in fol. Lettera Discorsiva di Apostolo Zeno, Nobile Cretese e Cittadino Originario Veneziano, al Signore Abate Giusto Fontanini, Bibliotecario di sua Eminenza il Signor Cardinale Giuseppe Renato Imperiali, intorno alla grand' Opera delle Meditazioni Filosofiche del Signor Bernardo Trivisano, Patrizio Veneziano: con la quale occasione si ragiona parimente della Origine e degli Homini Letterati della Famiglia Trivisana. In 8.* Ubi notandum, quod in calce hujus Epistolæ Apostolus Zenus catalogum exhibeat manuscriptorum codicum Bibliothecæ Bernardi Trivisani, & librorum, quos scripsit, sed nondum edidit Trivisanus, inter quos Collectio variarum Inscriptionum eminet. *Joan. Antonii Astori, JCti Veneti, Dissertatio de DIS Cabiris. Venetiis apud Aloysium Pavinum, in 8. Lucæ Tozzi Neapolitani in reliquos Hippocratis Aphorismos Commentaria. Ubi universæ Medicinæ, tum Theoreticæ, tum Practicæ, celebriores Quæstiones perpenduntur, atque nedum Recentiorum inventis, sed & genuinæ ejusdem Hippocratis menti congruentes, quam dilucide explicantur. Tomus IV. Cui accessit Appendix ad Commentarium Aphorismi III Libri I. Neapoli, ex typographia Caroli Porporæ & Nicolai Abri, in 4. Nicolai Comneni Papadopili adversus hæreticam Epistolam Jo. Hokstoni Responsum. Adjecta est in calce Jo. Hokstoni Epistola. Venetiis apud Andr. Poleti, in 8.* Subjicimus librum e recentissi-

tissimis, quem salivam moturum curiosioribus, non dubitamus, vel ex eo, quod imagines 161 laminis æreis insculptas complectitur: *Racolta di Statue antiche e moderne, data in luce sotto i Gloriosi Auspicii della Santità di N. S. Papa Clemente XI, da Dominico de Rossi. Illustrata colle sposizioni a ciaschedun a immagine da Paolo Alessandro Maffei, Patrizio Volterrano, Cavalliere dell' Ordine di S. Stefano e della Guardia Pontificia. In Roma, nella Stamperia alla Pace. A. 1704. in fol. max.*

LIBRI NOVI ALII.

JO. Fabricii Consideratio variarum Controversiarum, quæ nobis intercedunt cum Atheis, Gentilibus, Judæis, Mahommedanis, Socinianis, Anabaptistis, Pontificiis & Reformatis. Accesserunt quædam inedita Chr. Dreieri, Herm. Conringii, J. C. Dürrii, & Jo. Fabricii auctoris parentis. Helmstadii apud G. W. Hammium, 1704, 4.

Ritualis Ecclesiastici Pars prior, Origines ac Causas Rituum, quos Ecclesia, Evangelica cumprimis, in Vitæ Ingressu, Progressu, Egressu frequentat, evolvens. Auctore Casparo Calvör. Jenæ, sumptibus Jo. Christoph. König, Bibliopolæ Goslariensis, 1704, 4.

Via ad Pacem Ecclesiasticam, seu Gulielmi Forbesii Considerationes controversiarum Pontificiarum principalium, & Nicolai a Zizwiz Compendium Regulæ Fidei Catholicæ Veronianæ. Helmstadii, typis H. Hessii, 1704. 4. Prostat Lipsiæ apud J. F. Gleditsch.

Histoire de Hollande, depuis la Paix de Nimegue jusq' à celle de Ryswyk. Ou Suite de l' Histoire de Hollande de Mr. De la Neuville. A Amsterdam, chez Adriaan Braackman, & Jaques Desbordes, 1704, 9.

Oeuvres Postumes du Chev. Temple, contenant 1. Un Essai sur les Mécontentemens Populaires. 2. Un Essai sur la Santé. 3. Une defence de l' Essai sur le Savoir des Anciens & des Modernes. A Utrecht, chez Gu. vande Water, 1704, 12.

Histoire du Regne de Louis XIII Roi de France & de Navarre. Tome VI. Par Mr. Michel le Vassor. A Amsterdam, chez Piere Brunel, 1704, 12.

* * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno M DCC IV.

FRIDERICI SPANHEMII, FRID. F. PROFESSORIS Batavi Primarii, Operum Tomus secundus & tertius.

Lugduni Batavorum, apud Boutestein, Luchtmans, du Vivie & Severinum, 1703, fol. Alphab. 17.

Qui ante hoc triennium Opera sua seorsim ante edita junctim evulgare cœpit, Vir celeberrimus, Frid. Spanhemius, ultra tomum primum, Geographiam, Chronologiam & Historiam sacram atque ecclesiasticam utriusque Testamenti complexum, & a nobis in Actis anni 1701, p. 325 sequ. delineatum, haud progressus est, placido quippe decessu præpeditus, quo minus reliqua sua scripta, in duos adhuc tomos constipanda, dum imprimerentur denuo, recensere, emendare, & eruditis additionibus locupletare potuerit. Suscepit tamen eorundem curam lubens, rogatus etiam a vivo Autore, scientissimus in Præceptoris olim hujus & Collegæ postea sui Manes, Joannes Marckius, & quæcunque sive antea inedita, sive dudum impressa, ad editionem hanc ille paraverat, ea, qua fieri potuit, attentione collegit, ordinavit, & ut quam rectissime imprimerentur, solicite prospexit.

Prior itaque tomus, qui operum omnium secundum constituit, *Miscellanea ad Sacram Antiquitatem & Ecclesiæ Historiam pertinentia*, eaque in decem libros distributa, exhibet, quorum primus opusculum de *antiquitate & obscuris Historiæ Jobi*, ipatum Heidelbergensi *de voto Jephtæ filiam suam immolantis* dissertatione, sistit. Secundus tractatum repetit de *Autore Epi-*

 stola

ſtolæ ad Hebræos, ſub cujus calcem additur academica exercitatio de *Hiſtoriæ Evangelicæ ſcriptoribus*, & ſigillatim de *Marco Evangeliſta*, quis ille, & ubi ſcripſerit? Tertius *res Apoſtolicas* tribus in diſſertationibus illuſtrat, quarum prima de *Apoſtolis duodecim & Apoſtolatu ſtricte dicto*; ſecunda de *converſionis Paulinæ epocha, deque Pauli hiſtoria & nomine*; tertia de *ficta profectione Petri Apoſtoli in urbem Romam, deque non una traditionis origine* inſcribitur: quibus tripartita annectitur disquiſitio *de traditis antiquiſſimis converſionibus Lucii Britonum Regis, Juliæ Mammeæ Auguſtæ, & Philippi Imperatoris, Patris & Filii*. Quartus iterum tres diſſertationes habet, quæ autoritati Romani Pontificis potiſſimum adverſantur, primam de *ſenſu Canonis VI Concilii Niceni I*, deque *juribus veterum Metropoleon & Romani Patriarchatus*; ſecundam de *Eccleſiæ Græcæ & Orientalis a Romana & Papali in hunc usque diem perpetua diſſenſione*, adverſus Abrah. Ecchellenſem, Petrum Arcudium, Leonem Allatium, & alios; tertiam denique de *ficta collatione Imperii in Carolum M. per Leonem III. Rom. Pontificem*, contra Baronium ejusque hyperaſpiſtas. Quintus disquiſitionem *de Papa fœmina inter Leonem IV, & Benedictum III*; Sextus *reſtitutam Imaginum hiſtoriam* legendam dat. In ſeptimo gemina comparet de Chriſtianorum quibusdam ritibus ſacris Diatriba, Heidelbergenſis una de *ritu impoſitionis manuum in Eccleſia vetere, ac degenere ejus uſu*; & Lugdunenſis altera, de *ritibus quibusdam, præcipue Sacramentalibus, in Eccleſia vetere, ac precatoriis*, quæ ad prudentiam Chriſtianam circa eorum in Proteſtantium Eccleſiis diſſonantiam manuducit. Octavus atque nonus liber eriſtica quædam ſcripta ſervant, exaratam puta A. 1676 epiſtolam de *noviſſimis circa res ſacras in Belgio diſſidiis*, aliamque de *præfationis Friſiæ accuſationibus*, cum animadverſionibus Joanni van der Wayen oppoſitis, adverſus quem & novis *de Eccleſiarum Politia varia & libera*, deque *Anglicano Epiſcopatu* animadverſionibus, Spanhemius ſe vindicat. Accedit hinc in libro nono *Judicium ſuper diſſidio Anglicano, & capitibus, quæ ad unionem ſeu comprehenſionem faciunt*. Decimus denique variarum orationum, in Academiis Heidelbergenſi & Lugdunenſi habitarum, ſylloge conſtat. Videas

deas ibi Autorem disertissimum de *divina Scripturarum origine & autoritate*, contra profanos, de *Doctore Theologo*, de *auditoriis veterum*, de *dissidiis Theologorum eorumque causis*, de *prudentia Theologi*, de *sacrarum antiquitatum præstantia*, de *Cometarum & naturæ totius admirandis*, de *degenere Christianismo*, de *corruptis emendandisque studiis*, verba facere. Modo *excessum Elisabethæ Palatini Electoris Matris Regiæ* deplorat, modo *Guilielmum Regem una cum Maria Augusta* alloquitur, iisque pro imperii æternitate & salute regnorum vota nuncupat; modo *Mariæ Reginæ obitum* tristi eloquio perpendendum proponit. Ut taceamus, quæ de *erigendis Belgarum animis* anno 1672, de *Belgicæ restitutæ admirandis* A. 1674, eodemque anno de *Bibliothecæ Lugduno-Batavæ novis auspiciis*, e cathedra dixit. Est & oratio, quæ *Antonium Hulsium* funebri laudatione mactat. Hæc facies prioris tomi eorum, quos curavit Marckius, ex cujus præfatione nonnulla adhuc, circa eundem monenda, juvabit repetere. Disquisitio scilicet de *testimonio Flavii Josephi Servatori nostro perhibito*, quod heic desideretur, mirum videri nemini debere ait. Utut enim illam sæpius promiserit Spanhemius, collectione tamen necessarii apparatus nondum finita, atque aliorum operum scriptione potius absolvenda, impeditum, non ita eam adornasse refert, ut edi commode potuerit. De *Judicio super dissidio Anglicano*, quod in libro nono reperiri supra diximus, testatur, quod ex literis fide dignissimis intellexerit, illud haud parum a viris primæ dignitatis in Ecclesia Anglicana, simulque a Presbyterianorum doctissimis fuisse laudatum, sub regno Guilielmi & Mariæ; ac licet rerum externa facies magnopere nunc queat videri immutata, ab illiusmodi tamen judicio magnum aliquando adhuc usum expectandum esse spondet. Addit præterea Marckius duplex scriptum, quod Friderici nostri Spanhemii Patrem ὁμώνυμον autorem agnoscit, *Epistolam* puta *ad Davidem Buchananum super Controversiis quibusdam, quæ in Ecclesiis Anglicanis agitantur*, ante plus quam dimidium seculum scriptam, nec in omnium hodie manibus versantem, quam Autoris nostri Judicio super dissidio Anglicano non incongrue comitem dari posse credidit; & orationem secularem de *Geneva restituta per Reformationem Evangelicam*,

cui locum tribui inter orationes suas Filius meritissime voluerit, ne tam nitida & utilis rei hujus historia inter disjectas chartas facile periret. Quinimo & ad orationum Spanhemii nostri finem, annexuit *Dedicationes & Inscriptiones* quasdam opusculorum, ab Autore olim positas ante alias antiquiores eorundem editiones, ut in hac operum omnium editione nihil antea editum desideraretur a quoquam, nec imposterum hæc quoque doctrinæ & eloquentiæ specimina delitescerent.

Alter porro tomus, operum omnium tertius qui est, Theologica continet, quæ ex argumento, quod tractant, textuali videlicet & magis systematico, in partes duas *Exegetico-Elenchticam*, & *Didactico-Elenchticam*, distribuuntur. Pars Exegetico-Elenchtica ultra sui dimidium occupatur in repræsentandis tribus *Evangelicarum Vindiciarum* libris, in quibus loca illustria ex Evangeliis, ac præcipue illo Mathæi, a falsis τῶν ἀντιλεγόντων quorumvis interpretamentis, exceptionibus, instantiis vindicantur, varieque illustrantur. Sequuntur duæ exercitationes Academicæ in loca duo Pauli illustria, *caput* nempe *septimum Epistolæ ad Romanos*, & in *I. Cor. XV, comma 29*, ubi de *Baptismo propter mortuos* agitur. Agmen claudunt *observationes in Leviticum historicæ, typicæ, & morales*, ad usus practicos accommodatæ; de quibus observat Marckius, quod prima nunc vice prodeant, cumque ab Auditoribus variis calamo exceptæ, atque eorum variante admodum manu exaratæ fuerint, aliquid forte tabis eas nonnunquam contraxisse, seu in argumento, seu in citatione textuum, seu in stylo, haud dissimulat; istud tamen nec Autori, nec sibi imputari cupit. Didactico-Elenchtica pars in fronte statim obvium facit notissimum *Elenchum Controversiarum de Religione cum dissidentibus hodie Christianis & Judæis*; quem excipit *Specimen Stricturarum ad libellum Episcopi Meldensis*, cui titulum hic fecit *Expositionis doctrinæ Catholicæ*; tertio loco sequitur exercitatio *de Præscriptione in rebus fidei*, adversus novos Methodistas Pontificios. Quod quartum locum occupat opusculum, inscribitur: *Xenia Romano-Catholicorum justo pretio æstimata, & xeniis Protestantium pari affectu relata.* Scriptum istud quondam dicit Marckius, in gratiam Hungarorum Protestantium, sub nomine

nomine *Timothei Philalethi*, & utilissimum vocat ad detegendas & retundendas fraudes Papistarum hodiernas. Hinc quinto inseritur epistola Gallica, quam occasione tristi, & Batavis suis sat nota scriptam fuisse notat Editor, pio sane Spanhemii, instituto, sed ab aliis quibusdam in livoris & injuriæ publicæ occasionem tum indecenter rapto. Ejus vero hæc est inscriptio: *Lettre à un Amy, sur les Motifs, qui ont porté un Reformé à se rendre de la Communion de Rome, ou l'on repond aux Illusions d'une nouvelle Methode.* Quam in operum indice notaverit Autor, dissertationem *de voce παρέσεως, & an Christus sub veteri Testamento consideratus fuerit ut expromissor?* eam reperiri haud potuisse fatetur. Ejus itaque loco dedit disputationem Autoris inauguralem, de *Quinquarticulanis Controversiis, pridem in Belgio agitatis*, idque eo se fecisse innuit lubentius, quo magis hanc speciali opusculo refutandam sibi sumserit anno 1658 Arnoldus Pœlenburg, Ecclesiastes tum Remonstrantium Hornanus, quem passim in Evangelicis Vindiciis suis solide perstrinxerit Autor, & scriptionis adeo suæ prioris valorem ostenderit. Septimo disputationum Heidelbergensium sequitur fasciculus, *Collegium* asservans *Theologicum*, & *octo Decades Theologicas*, & *de statu instituto primi hominis* unam, deque *actione Dei hominem indurantis* quatuor dissertationes; quibus appendicis in vicem aliquot accedunt Lugdunenses, tres de *Personarum acceptione in Divinis*, & undecim de *fundamentalibus fidei articulis*. Undecima vero hæc ut inchoata modo est, sic quod universæ ad finem suum & justum numerum perductæ non fuerint, impense dolet Marckius, nec inutile futurum fuisse judicat, si ex una majori disputatione Heidelbergensi, totius hujus tractationis lineas complexa, & a Walenburgiis Fratribus impugnata, qualicunque modo hic defectus fuisset suppletus. Verum hanc plane suppressam voluisse Autorem innuit, cujus voluntati merito obtemperandum judicavit. Tandem epistolæ responsoriæ duæ ad literas Melchioris Leydeckeri A. 1674 scriptas, de *fabula acceptilationis* procedunt.

Sed unicum adhuc est, quod in commemoranda hac operum Spanhemii editione, prætereundum minime videtur, vitæ

Temporis, nisi Præsentis, apud Ebræos detur defectus, quem tamen per Benoni iidem etiam felicissime compensent. Male itaque cum Aben-Ezra facere Buxtorfium, quod vel ad Præteritum, vel ad Futurum, ut Præsentis lacuna suppleatur, semper recurrant, Imperativique pro Futuro, Præteriti itidem pro Futuro, & contra, Commutationem atque Enallagen admittant. Imperativi enim pro Futuro nullam proprie dari Enallagen, aliarum Linguarum naturam atque indolem suadere, cum ipsum Imperativum Futuri quoque nomine ibidem gaudeat. Præteritum porro cum vau conversivo per Plusquamperfectum, Futurum vero sub eodem statu per Imperfectum, non minus ἀναλόγως atque commode reddi posse, siquidem Imperfecta de natura Futurorum, cum Perfecti quid & Futuri insimul involvant, & ipsa quadantenus participent. Post observationes, quarum tamen septimam demum p. 88 inculcat, ulterius inquirit Clarissimus Autor, quænam sit exemplorum in Versionibus ad Temporum Permutationes comprobandas antiquitas, ut, an exinde autoritatis eadem aliquid nancisci queant, comperiretur. Differit hac occasione paucis de Paraphrasibus Chaldaicis, de septuaginta Interpretum, ut & Hieronymi, quæ Vulgata vulgo dicitur, Versionibus, & argumentis quibusdam in medium allatis, (qualia sunt, quod ipsa Targumim ab hominibus Judæis Prophetici sermonis & suæ ipsorum Linguæ parum gnaris, septuaginta item Seniorum Interpretamenta, Lightfooto docente, a Sanhedrin in fraudem Gentium fuerint confecta,) in iis nihil esse præsidii, Lectori persuadere annititur. A Versionibus ad Grammaticorum de Temporum Permutationibus regulas pedem promovens, R. Davidem Kimchium, seculi duodecimi scriptorem, qui ob summam industriam, & subtilitates, quibus studuit, Grammaticas, נאש המדקדקים appellatur, examinandum sibi proponit. Cum vero מכלול רד copia, cujus prior pars חלק הרקדוק inscribitur, Clarissimo Autori non fuerit, adiit Ebraicas Sanctis Pagnini Institutiones, ex dicta priore מכלול parte fere transcriptas; ubi circa duodecimum tertii libri caput, cui titulus *Temporum Permutatio*, maximopere occupatus fuit. Ut vero Lector de Regulis Kimchio-Paginianis, & suis ad easdem exhibitis stricturis, amota præjudicio-

rum

rum nube, ex æquo judicet, obſervationum ſupra traditarum applicationem ubivis ita inſtituit, ut demonſtrare ſatagat, eſſe illam Temporum in SS. literis admiſſam hactenus ἐναλλαγὴν maximam partem ne flocci quidem, & merum hominum, magna laborantium proprii idiomatis ignorantia & incertitudine, ad nos derivatam commentum. Ultima interim Pagnini regula, qua Futurum aliquando vice Præteriti poni indicat, pluſculum negotii Autori noſtro faceſſit, adeo, ut præter Canticum Moſis ad Mare Algoſum, (in quo κατὰ πόδας, Interpretibus & Grammaticis in aliud ſæpe abeuntibus, Temporum ſtudet ſequi analogiam) ductu aliquot verſiculorum, integros quoſdam Pſalmos juxta hypotheſin ſuam reſolvat; imo ob locum ex Judicum c. 2. v. 1. a Pagnino allegatum, aliquid ἀνομαλίας Temporum tandem ferme concedat; quod omne tamen per ſpecialem, quam p. 168 fabricat, Regulam, emollire, imo eludere allaborat. Coronidis loco ex Hiſtoriæ Regum Judæ & Iſraelis Harmonia, quam Reverendus Autor ex Samuelis, Regum & Chronicorum Libris in concentum coagmentavit, & integram jam tum confectam habuit, Pſalmum decimum octavum, qualis apud Samuelem & in Pſalmorum Libro comparet, in concentum digerit, operiſque adeo, ut loquitur, a nemine hactenus tentati ſpecimen, (ne fruſtra Regulam ſuam, quam apprime Pſalmus hic utrinque collatus illuſtret, cudiſſe videatur) cum Erudito Orbe communicat. Ipſa Pſalmi Analyſis, quæ infra textum conſpicitur, Celeberrimi Tillii eſt, Adnotationes vero lateri textus adjectæ, Hilleri, ob Libros de Arcano Keri & Ketib alioſque Clariſſimi, Varietates ſapiunt, quarum numerus in unico hoc Pſalmo, iis, quas Autor adjecit, non attentis, ultra nonaginta aſcendit. Cæterum, quid de hac Autoris noſtri hypotheſi habendum ſit, Lector dijudicet. Sufficit nobis, quod Reverenda Facultas Theologica Lugduno-Batava approbationem ſuam Diſſertationi præfixam ita limitet, ut multiplicis doctrinæ apparatum, & pios conatus decus ſacrarum literarum altius provehendi, debite quidem collaudet, hypotheſin tamen eruditi Scriptoris & omnes ejus interpretationes ſuas non faciat, ſed palmam adhuc in medio eſſe poſitam, dum de cauſa nondum liqueat, aperte pronunciet.

GUILHELMI MUSGRAVE M. D. INCLYTI Medicorum Londinensium Collegii & Regiæ Societatis Socii, Dissertatio de Arthritide Symptomatica.

Exoniæ, sumptibus Yeo & Bishop, Sosiorum, 1703, 8.
Constat plag. 19.

CLarissimi hujus Viri mentionem aliquoties jam in Actis nostris fecimus, quando nempe curiosas ipsius observationes, Transactis Philosophicis Anglicis insertas, in nostra transtulimus. In præsenti tractatu systema Arthritidum symptomaticarum exhibet, non quas imaginatio peperit, aut opinio commenta est, vel Authores sunt elargiti, sed quæ ipsi usu & experimentis sese prodiderunt; siquidem, qui hactenus Arthritidem explicuerunt Authores, exquisitæ illius, genuinæ, legitimæ & primariæ doctrinam excoluerunt, de larvata sive symptomatica parum vel minime soliciti. Arthritidi equidem symptomaticæ cum primigenia, si primas earum facies conferamus, in plerisque convenit; differre vero utrasque maximopere a se invicem, illi cognoscent, qui earum εἶδος καὶ ἦθος penitius scrutabuntur. Arthritis enim primigenia morbus est exquisitus, γνήσιος, sui ordinis princeps, & peculiarem suique generis conjunctam habet causam, proprio utique Marte agentem, per se vel procatarcticarum stimulo paroxysmos inducentem, a nullo vero affectu alio aut primitus acceptam, aut in operibus dependentem; e diverso symptomatica morbo alteri succrescens, vel materiam, (id est, causam continentem) vel ad minimum materiæ in hujusce generis Arthritida μετασχηματισμὸν illi primario, quo directe vel oblique ortus ejus promovetur, refert acceptum. Itaque tum morbi, unde fluxit, primarii, tum Arthritidis, quam æmulatur, exquisitæ de natura tanquam Hybrida participat. Et usque adeo copiosæ occurrunt symptomaticæ, ut his affecti eos, qui ab exquisita torquentur Arthritide, numero videantur æquare, imo quidem vincere. Nec semper tamen una eademque facie se præsentant, siquidem aliæ εὐτοκίᾳ, aliæ partu difficili, eduntur; aliæ a primigenio morbo ægrius, aliæ libentius decedunt; aliæ ad parentem cito regrediuntur, aliæ vix unquam, ac ne vix quidem; aliæ frequentiores, rariores aliæ infe-

fe-

ferunt paroxyſmos. Sed illa potiſſimum differentia inter Symptomaticas eſt advertenda, dum *alia improprie* & ex vulgi tantum opinione, alia *proprie* ita appellatur. Illa *rheumatiſmum* ſequitur, nullos tamen ad arthriticam normam formatos compoſitosve habet paroxyſmos, nec materiam ei, quæ eſt arthritica, ulla ex parte comparem. Quæ proprie ſymptomatica dicitur, iterum duplicis obſervatur eſſe generis. *Altera* enim *generatione æquivoca* procreatur, dum ſcilicet gravi quodam ſuperato ac penitus ſubacto morbo, natura ſui demum juris & vegetior facta, miaſma arthriticum hactenus occultum, ſanguinem & quicquid intus virium eſt, depaſcens, (maxime vero, ſi pharmacis ea pronitetur) ad τὰ ἔξωθεν pellit, itaque præter ſpem & expectationem omnem ſæpe gignit arthritidem; atque talis eſt, *quæ ſupervenit chloroſi & hydropi*, ſecundaria potius quam ſymptomatica dicenda. *Altera κυριωτάτως ſymptomatica* vocanda eandem cum primario morbo & ab eo derivatam habet materiam, modo penitus, modo aliqua ex parte alteratam, modo integram, modo cum alio quodam miſtam, ſed quæ in aliam corporis regionem transvehitur, & alia ratione, i. e. arthritica operatur; cujus ſpecies ſunt *arthritis melancholica*, *ſcorbutica*, *quæ lui Venereæ*, *aſthmati*, *febri*, *dolori colico*, & *morbis cutaneis*, achoribus puta, hæmorrhoidibus, atque ulceribus *ſupervenit*. De ſingulis breviter & ita diſtinctis in capitibus agit Noſter, ut primum morbi primarii naturam explicet; tum ejus in arthritidem progreſſum; deinde ſecundarii jam facti, & in aditu maxime propinquo conſtituti, diagnoſin qualemcunque; poſt a cognatis ſecundariis & arthritide exquiſita illius differentiam; tum morbi ejusque ſymptomatum curationem perſequatur, tandemque iſthæc illuſtrandi ergo hiſtorias ſubnectat. Nec tamen diffitetur, harum catalogum Poſterorum induſtria auctum iri.

Gründliche Anleitung zur Teutſchen accuraten Reim- und Dicht-Kunſt.

i. e.

SOLIDA INTRODUCTIO AD POESIN GERMAnicam. Auctore MAGNO DANIELE OMEISIO, Comite Pal. Cæs. Moral. Orator. & Poës. Prof. Publ. in Academia Altorfina, & Florigera ad Pegnesum Societatis Socio.

Norimbergæ, sumtibus Wolffg. Michahelles & Joh. Adolphi, 1704, in 8.

Constat Alphab. 2, plag. 3.

I*Ntroductio hac ad Poësin Germanicam*, justa methodo, firmisque regulis & præceptis accuratis fundata, nec non brevibus aptissimisque exemplis illustrata, exhibet ab initio *præliminares* quasdam *Contemplationes*: quarum prima agit de ipsius Poëseos origine; altera speciatim de Poësi Germanica, hujusque prima ætate sive pueritia; tertia de ejus adolescentia; quarta de robusta quasi maturitate, sive virili, & ea, qua nunc floret, ætate: ubi non solum differitur de Poëtis Germanicis antiquioris, medii & junioris ævi, atque iis, quæ hoc de argumento Celeberrimus Morhofius proposuit, adduntur multo plura; sed & speciatim de *Florigera ad Pegnesum Societate*, hujus ortu ac propagatione ad hæc usque tempora, legum sanctionibus &c. sermo longius producitur. Sequitur dein *ipsa Introductio* ad Poësin Germanicam accuratiorem; quæ dispescitur in *Artem Metricam* & *Poëmaticam*. Pars *prior*, sive Ars Metrica, continet (1) doctrinam de Quantitate Syllabarum, eamque breviter ac perspicue, absque regularum multarum adminiculis traditam; (2) de Pedibus, Versibus & variis Carminum Generibus, tam Simplicibus quam Mixtis; ubi, inter alia, evidenter demonstratur, *Anapæsticum* Carminis Teutonici Genus perperam ita dici, idque *Amphibrachicum* multo rectius debere nuncupari; (3) de Rhythmis, Cæsura, & apta verborum (sive prosaica, uti Clarissimus Weisius loquitur) Constructione; (4) de diversis Carminibus, ratione formæ exterioris consideratis, (von unterschiedlichen Reim-Schlüssen) ut sunt: Disticha, Tetrasticha, Hexasticha, Octosticha &c. Odæ tam sacræ quam profanæ, Parodiæ, Odæ Pindaricæ, Tesseradecasticha, Gallis *Sonnetes* dicta, Madrigalen / Ital. *Madrigali*, Dithyrambi, Ringel-Lieder / Gall. *Rondeaux*, Echo &c. De quibus omnibus multo

multo curatiore agitur industria, quam in plerisque Prosodiis Germanicis fieri vulgo solet. Sequitur Pars *posterior*, quæ doctrinam pandit de Inventione, Dispositione & Elocutione Poëtica; de Varietate Carminum Teutonicorum, ratione Materiæ seu Objecti consideratorum: nimirum de Genethliacis, Strenis Poëticis, Carminibus Panegyricis, variisque Gratulatoriis, Eucharisticis, Epiniciis, Epithalamiis, Epicediis, Soteriis, Propempticis &c. ubi singillatim Præcepta Inventionis ac Dispositionis non tantum fideliter proponuntur, sed & Exempla, ex Poëtarum Germanicorum optimis nostrorum temporum, citari & allegari solent; eo fere modo, quo in Latinæ Poëseos Cultorum gratiam & usum, usus est B. Morhofius in Hyle Invent. Poët. Pertractatur ulterius doctrina de minoribus quibusdam Poëmatibus Germanicis; nimirum de Epigrammatibus, Anagrammatibus, Logogriphis, Ænigmatibus, Rebus de Picardie, Symbolis Heroicis (Gallis *Devises* dictis) Emblematibus, Modernis, quæ vocant, Numismatibus, &c. amplius de Poëmatibus majoribus, ut sunt Epica seu Heroica, Fabulæ Romanenses, Bucolica sive Idyllia, Satyræ, Ludique Scenici. Quibus Ludis Comicis Tragicisque, ut & Arti Emblematicæ ac Numariæ, cum plurimum conducat Iconologia, de hac quoque fuse disseritur; ac dein sermo de Inscriptionibus Argutis, Germanico etiam idiomate concinnandis instituitur: nec non de Epistolis Metricis, lingua nostra vernacula pariter exarandis. Qua occasione a Clariss. Auctore inseritur *Paris Teutonicus*, prosa & ligata oratione delineatus; sive Amor admirabilis Comitis Alberti Altenburgensis, & Helenæ, Imperatoris Henrici Aucupis cognominati filiæ; quam dictus Comes raptam in nemora Bohemica secum abduxit A. C. 925. Finita *Introductione*, sequuntur præcepta de *Orthographia Germanica*, communi Societatis Fl rigeræ ad Pegnesum consensu studioque contexta, non eo quidem fine, ut aliis opera hac præjudicetur, istaque scribendi ratio vel invitis obtrudatur; sed ut laudatæ Societatis membra in unum scribendi modum amice conspirent, nostrorumque tironum, & Poëseos Teutonicæ amatorum, commodis hac etiam parte consulatur.

Succedit jam altera Operis hujus Pars, videlicet *Mythologia Germanica*, qua Fabulæ Poëticæ, seu veterum fictiones de

verſari, quivis facile conjiciet. Qua igitur via Autor hic proceſſerit, quibusdam in exemplis breviter commonſtrabimus, de omnibus ſingulisque judicio Lectoribus relicto. Ipſum Phœnicis nomen ex Hebraica voce כנען *Canaan* exortum fuiſſe, ut evincat, primum reſecari cupit poſtremam literam ן, tresque reliquas legendas poſtulat, non more Hebræorum a dextra ad ſiniſtram, ſed inverſo potius, & Occidentalibus ſolenni ordine. Loco τοῦ ע porro ſucceſſiſſe arbitratur Græcorum Φ, & literam כ, unde per inverſionem fiat C, duplicatam fuiſſe in Græcorum Ξ, vel Latinorum X, ut adeo hinc emerſerit Φοῖνιξ & Phœnix. Quod veteres ab ave mutuo transſumſerint Jacobi ejusque ſobolis ſymbolum, non unam ſuaſiſſe rationem innuit, & præter alias hanc etiam allegat, quod, ſicut avis velociſſime præ reliquis animantibus loco moveatur ac egrediatur, ſæpe ſubito diſpareat, iterumque inopinato adſit, ex longinquis quoque oris; ſic peregrinus fuerit Iſraël in ipſa ſua patria, multoque magis in Ægypto, ubi incolæ filios Jacob vocitarint hoſpites vagos. Phœnicem pro ave venditatum legi unica ſemper, peculiari atque ſingulari, id multos torquere notat Autores, ſi de ave quadam naturali ſermonem accipias; ſed ſi de Jacobo ejusque progenie Phœnicem interpreteris, omnia plana atque enodata futura ſpondet, quandoquidem Iſrael unice Deo dilectus fuerit. Dum Phœnix a Nonno Poëta σοφὸς appelletur ὄρνις, ſymbolum hoc eſſe conjicit Sapientiæ, ex Jacobo poſterisque ejus manifeſto elucente. Phœnicem avium omnium Regem perhibere Hebræos, Arabes, Græcos, Romanos, Chriſtianos; ac Reges quoque fuiſſe addit filios Iſraël, quos Deus elegerit in Regale Sacerdotium, Regem fuiſſe Joſephum Dominatorem in terra Ægypti, Moſen Regis munus geſſiſſe apud Iſraëlitas, & Regem imprimis vocandum venire Jeſum Chriſtum. Quando de Phœnice pronunciarit Ovidius, nec fruge eum, nec herbis, ſed thuris lacrymis & ſucco amomi vivere, iſtud ad Manna Iſraëlitarum in deſerto, & ad aquam e rupe profluentem trahit. Cantum Phœnici in extremo vitæ termino tributum, ad Moſis trahit ſcripta ultima, qualia fuerint liber, qui Jobi vulgo nuncupetur, ſed Moſen autorem habeat, qui itidem Pſalmum, in Pſalterio Davidico qui nonageſimus eſt, cum proximo ſequenti nonageſi-

gesimo primo consignarit. Tacemus ejusmodi meditationes alias, cum ex his ipsis affatim jam Lectori pateat, quam in sententia sua probanda methodum adhibere Nostro placuerit.

Licet vero operis præsentis titulus nonnisi Phœnicem visum & auditum insinuet, longe tamen plura, quæ sibi quis haud facile ex rubro hoc promitteret, in ipsa tractatione insuper accedunt, ad cognatas ubique materias calamo liberrime & prolixissime non raro excurrente. Huc pertinent judicia & narrationes de singulis, quorum testimonia Phœnicem commemorantia adducit Auctor, Scriptoribus, quos inter facta Clementis Romani mentio uberem suppeditavit materiam, de Roma Romanisque negotiis nonnullis differendi, nummosque antiquos & figuras similes æri quoque incisas repræsentandi. Phœnicis alæ occasionem præbuerunt discursui de alis, non hominibus solum & Angelis, sed & brutis præter aves aliis, quin artificialibus quoque & inanimatis, passim tribui solitis; unde nova figurarum, alas repræsentantium, emersit series. Psalmi nonagesimus & nonagesimus primus Mosi auctori vindicati, peculiarem in utrumque paraphrasin & commentarium peperunt; ut reliquas digressiones, tantum non singulis in paginis occurrentes, silentio prætereamus; quanquam eas librum evolventibus haud prorsus injucundas fore existimemus.

Curieuse Denck- und Ehren-Mahle/ ꝛc.

h. e.

CURIOSA MONUMENTA ORATORIA, NOMINIbus pariter ac Virtutibus Serenissimarum & Illustrissimarum Potestatum consecrata & dedicata in Illustri Rutheneo, sub ductu atque auspicio M. GEORGII LUDOVICI GOLDNERI, Rectoris.

Lipsiæ, sumtibus hæredum Lanckisianorum, 1704, in 8. Alph. 1. plag. 5.

EX quo lingua Germanorum majori, quam olim, studio exculta fuit, æmulari cœpit hæc natio, nulli alii genti ingenio & rebus præclare gestis secunda, Latinos Græcosque, qui olim

principatum eloquentiæ tenuerunt; ac ediderunt jam ultra dimidium ſeculi, certatim velut Viri eruditi ejus generis inſignia monumenta, quæ dignitatem, gravitatemque ac elegantiam linguæ Teutonicæ ſatis ſuperque comprobant. Hæc uti in præfatione ſua prolixe adducit atque explicat Clariſſimus Auctor, de Studioſa Juventute in Illuſtri, quod Geræ floret, Rutheneo literis operam navante, bene merentiſſimus: ita commonſtrat etiam in ipſo libro, ſe præcipuas muneris ſui partes cenſere, cum Oratoria Latina conjungere perpetuo Teutonicam, atque ea libertate, qua fruuntur Eclectici, veterum perinde ac recentiorum præcepta Auditoribus ſuis inſtillare. Ex iſto itaque inſtituto provenerunt hæc oratoria monumenta, quæ octo ſolennioribus Actibus Panegyricis, viginti ſex orationes complectentibus, & unice honori ac memoriæ quorundam Sereniſſimorum, Illuſtriſſimorumque capitum conſecratis, abſolvuntur. Elucet ubique curioſa inventio & exornatio, quam titulus promittit, & in quovis Actu uſus locorum Dialecticorum in Arte Oratoria palam oſtenditur. Et Actus quidem primus triplicem continet gratulationem ad *Joſephum*, Sereniſſimum Romanorum Regem, de Landavio glorioſe expugnato; de victorioſo reditu in ſedem Regiam; deque felici auſpicio Anni 1703. Videas hic diverſis in orationibus exponi vota Romanorum; ominoſa item nomina, & inter hæc inprimis Joſephi nomen, quod indicare probatur Deo conſecratum, Deo dilectum, Deique gratia omni ex parte beatum Regem. Quin & idem nomen prudentiæ plenum, amorisque velut fontem eſſe, & fortem ac ſtrenuum arguere animum evincitur, adhibita in ſubſidium nominis notatione ac metalepſi. Secundus Actus gratulationem exhibet ad Potentiſſimam Angliæ Reginam, *Annam*, de felicibus regni auſpiciis; ubi affectum lætitiæ inſignia Angliæ excitant & exornant. Tertius bona verba dicit Illuſtriſſimis Nutritoribus Ruthenei de fauſtis Onomaſteriis A. 1698 celebratis. Atque hic e tribus orationibus prima agit de felicitate ſubjectorum ſub uno Imperantis nomine. Secunda explicat nomen Heinrici, quod ſignificare oſtenditur, domi, ſeu in ſe, ratione bonorum animi, divitem. Tertia ab initio curioſa quædam de nominum fata-

fatalitate affert, ac deinde divitias virtutum in animis Comitum Ruthenorum, cum variis gemmis comparatas, ob oculos proponit. Actus quartus facer eft Jubilæo feculari, ante hos aliquot annos celebrato, inque eodem modo ritus ludorum fecularium illuftratur, modo curiofum numifma feculare Imperatoris Augufti Illuftrisfimis Comitibus Junioris Lineæ Ruthenis offertur, modo pietas Patronis & Infpectoribus Gymnafii Gerani, per decentem gratulationem de rara felicitate, notabilem adeo commutationem temporum videndi, approbatur. Quintus occafione repetitorum ab Illuftriffimis patriæ Patribus Onomafteriorum, de confuetudine primo veterum mittendi Magiftratui, Patronis atque Amicis, in Natalitiis æque ac Onamafteriis varia munera, & inter hæc coronas etiam e floribus, nonnulla in medium affert. Deinde laudatiffimis Comitibus facram effe jubet coronam lauream, ornatam rofis, liliis, caryophillis, tanquam fymbolis amoris erga literas, juftitiæ, pietatis & prudentiæ. Sextus inftitutus eft in honorem & memoriam Illuftriffimi Comitis ac Domini, Domini Heinrici XXI Junioris Lineæ Rutheni, qui fortiter pugnans, A. 1702, die XIX Julii, gloriofe obiit. Inventionem fuppeditarunt Infignia Ruthenica, & Heros defunctus cum leone comparatus eft. Septimum fibi facrum habuit Natalis Domini Heinrici XI Rutheni, qui cum Jove Planeta comparatur, & quatuor ejus virtutes principes, fub fchemate quatuor Circumjovialium, adumbrantur. Actus denique octavus, denuo in Onomafteriis Heinricianis inftitutus, præmiffa Oratione, quæ continet in thefi comparationem inter Arborem ac Magiftratum, dedicat quinque arbores miraculofas in Parnaffo Ruthenico, quinque Illuftriffimis Nutritiis, inftituta iterum inter hos & illas comparatione in hypothefi, & addita fub finem cujusvis Orationis Infcriptione. Cæterum pleræque harum Orationum brevem fimul exhibent Hiftoriam Ruthenicam, genusque, nomen, infignia, vitam, ftudia & facta, togæ pariter ac fagi, Illuftriffimorum Comitum Ruthenorum prædicant ac admirantur.

HUGONIS GROTII DE JURE BELLI AC PACIS LIBRI Tres, cum Commentariis GUILIELMI VANDER MUELEN, Domini d' Oudt Brouckhuysen &c. Accedunt & Autoris Annotata, ex postrema ejus ante obitum cura, & JOAN. FREDER. GRONOVII Notæ in totum Opus.

Amstelædami, apud Janssonio-Waesbergios & Wetstenios, 1704, in fol.

Constant Alph. 19, plag. 17.

OPus Grotianum, æternitati dicatum, & magno passim ab Eruditis exceptum est applausu; id quod tum frequens ejus in Scholis usus, tum Virorum celeberrimorum commentarii in id conscripti, abunde testantur. Nemo tamen illud impensius diligentiusque coluisse videtur, quam Generosissimus ac Consultissimus Dominus vander Muelen, dum Grotium luculento commentario, cujus pars I jam A. 1696, II A. 1700, III hoc anno prodiere, donatum Orbi Erudito exhibuit. Cum vero ipsius Grotiani operis indoles & series jam sit notissima, hinc nobis nihil aliud nunc agendum videtur, quam ut Doctissimi Commentatoris laborem, nonnullis, prout succurrent, exemplis illustremus; id quod propriis ipsius verbis potissimum præstabimus. In *Prolegomenis* §. 5, contra Carneadem, ex illimitata utilitate jus æstimantem, atque ita revera omne jus naturale negantem, disputaturus, primo quidem, quam perniciosum generi humano illud dogma sit, edisserit, cum eoque doctrinam Hobbesii, eo magis horrendam, quo clariora e puriori fonte potuerit haurire juris naturalis fundamenta, convenire ostendit. Ipsam vero sententiam, ex negata Divinitate profluere arbitratur, cum alioquin, posito aliquo summo Ente vel Principio, a quo Cœlum & Natura dependeat, necessario sequatur, summum illud Ens esse etiam causam illius Juris, quod Naturale dicitur; id quod ex ordine isto, quo omnia, quæ producta sunt, ad finem suum tendunt ac feruntur, abunde perspiciatur. Nam illa omnium individuorum ad finem, ad quem singula ab Autore ordinata sunt, propensio & inclinatio, ex sententia Nostri, revera jus naturæ est, omnibus innatum rebus: unde unumquodque individuum, secundum jus naturæ agere & operari dicitur, quoties ad finem, naturæ suæ con-

congruum & convenientem, rapitur; ut non a vero aberrare is existimandus sit, qui per jus & institutum naturæ, intelligit regulas cujusque individui, secundum quas unumquodque determinatum concipitur, & ad certo modo existendum, & operandum, ex æterno decreto & immutabili summi Entis voluntate profluentes. Cum igitur jus naturæ aliunde derivari nequeat, quam a summo aliquo Principio, quod omnium individuorum causa sit, hinc, existentia summi ejusmodi Entis probata, ipsum naturæ jus, quod necessario ex illius natura profluat, ac singulis individuis communicatum sit, eadem ratione probari, Noster amplius censet. Licet vero laudatum jus naturæ, ratione originis, omnibus individuis commune sit, ratione tamen cujusque subjecti, secundum innatam sibi naturam operantis, diversis modis ea, quæ juris naturæ esse dicuntur, in actum deducuntur & adimplentur; id quod inprimis exemplo brutorum & hominum, ulterius Doctissimus Autor declarat. Ex his porro liquere putat, eum, qui Carneadis, aliorumque illum sequentium, sententiam oppugnare velit, ante omnia de summo aliquo Ente sollicitum esse debere: hujus vero existentiam triplici potissimum argumento, a fabrica humani corporis, totius universi, & Gentilium testimoniis desumto, idem demonstrat. Cum etiam summum illud Ens non aliter, quam summe perfectum, per rationem cognoscatur, hinc ex hac summa perfectione, proficisci censet Noster summam sanctitatem, quæ in eo consistat, ut necessario amet veritatem & virtutem, abhorreat autem a vitiis, ita ut nihil velle possit, nisi quod bonum & sanctum est, id est, naturæ suæ conveniens; nihil vetare, nisi malum, scilicet quod sanctitati suæ contrarium est. Ex infinita illa sanctitate profluere summam justitiam, adeoque pœnarum & præmiorum distributionem. Dei sanctitatem indicare legem & normam, ad quam rationales creaturæ vitam instituere teneantur; justitiam autem corrigere actus hominum, eam lædentes. Ex hac itaque Dei sanctitate, derivandum esse hominum jus naturale, Generosissimus Autor concludit, quod ex ipsa Divina natura profluens, versetur circa actus per se debitos vel illicitos, fluentes ex eadem sanctitate, adeoque moraliter bonos vel malos, ac optime definiatur per dictatum rectæ rationis, ex

convenientia vel disconvenientia cum natura rationali, id est, cum istis honestis nobis innatis principiis, ex Divina illa sanctitate & imagine, ad quam creati sumus, fluentibus, nobis indicans, quid bonum, quid justum, quid malum, quid injustum, & consequenter quid vetitum, quid præceptum sit.

In *lib. I. c.3. §.8.* rejicit Grotius eorum opinionem, qui ubique & sine exceptione, summam potestatem esse volunt populi, ita ut ei Reges, quoties imperio suo male utuntur, & coercere & punire liceat. Sed Doctissimo Commentatori status controversiæ nimis generaliter videtur formatus, cum neminem eo arrogantiæ processisse putet, ut statueret, summam eo, quem modo retulimus, sensu potestatem esse populi. Hinc quæstionem ita potius proponendam censet: an liceat, quibusdam in casibus, populo Regem imperio suo, non ad tutelam & utilitatem civium, sed in eorum perniciem ac detrimentum, abutentem, solio dejicere, vel alio quocunque modo punire ac coercere? Sic formatam quæstionem, contra Grotium deinde affirmat. Cum enim omne imperium humanum, voluntate hominum sit introductum, hinc illud ex fine coeuntium in civitatem, æstimandum erit: hic vero est propria conservatio & securitas. Quodsi adeo Imperans, neglecto illo fine, in cives sæviat, tum imperio suo, ipso velut jure, excidit, ac non aliter, quam singulare Reipublicæ membrum, considerari posse videtur, eumque adeo, velut communis salutis hostem, civitas ea pœna, qua ipse alias, vi summæ potestatis, civem delinquentem punire potuisset, afficere potest. Postea, subjectis nonnullis limitationibus vel cautionibus necessariis, Grotii argumentis respondet, docendo, neutiquam subjectionem eo usque esse extendendam, ut Imperanti quidvis facere, aut quovis modo imperio concesso abuti liceat; in hoc enim subditos nec consensisse, nec consentire potuisse.

Celebris inter rerum moralium Scriptores quæstio est, an ob imminens accipiendæ alapæ periculum, inimicus etiam cum cæde repelli queat? quam Grotius *l. 2 c. 1. §. 10.* proponit. Circa eam nostro Commentatori, post relatas aliorum sententias, distinguendum videtur inter injuriæ ejusmodi inferendæ propulsationem, ac illatæ vindicationem; deinde inter statum naturalem

ralem & civilem. Propulſationem igitur injuriæ, tam in foro poli, quam ſoli, quovis modo fieri poſſe cenſet. Cum enim non ſolum communi hominum opinione, ſummo ſemper in pretio habita fuerit famæ integritas, ſed etiam a piis, Divino Spiritu afflatis viris, nobis commendata ejusdem conſervatio, non videtur Chriſtianis interdictum, famam intactam & illibatam conſervare, depellendo injuriam & ignominiam, quam nobis inurere meditantur ac machinantur homines improbi: & cum pro capite, pro vita liceat ſui ſuſcipere defenſionem, quidni etiam pro fama, omnium rerum pretioſiſſima, atque etiam bono & honeſto viro chariſſima? utpote quam eodem jure & titulo poſſidemus, quo cætera a Deo nobis conceſſa cum animi, tum fortunæ bona. Omnino igitur idem jus circa famæ defenſionem aſſerendum videtur, quod circa vitæ aliorumque bonorum tutelam, nobis competit: ſi vero idem jus obtinet, eadem quoque media adhibendi facultas recte adſtruetur. Accedit, quod, uti inimicus nullum in corpus vel vitam noſtram jus habet, ita nec famam lædendi, ulla ei ſit poteſtas: quamobrem & quævis ignominiæ arcendæ media adhibere, licitum nobis videtur, cum adverſarius nullo jure munitus ſit, quo minus extrema quæque patiatur. Idem tamen jus, in ſtatu naturali, circa injuriæ illatæ vindicationem, læſo non competit, ſed lædens ei obligatur, ex ſuo maleficio, ad reparandum damnum, quod famæ ejus intulit, idque fit patiendo tantundem; cujusmodi pœna optime proportionata videtur delicto. Et quoniam, in ſtatu naturali, læſus ipſe & judex eſt & arbiter, atque etiam actor, cavendum ei eſt, ne plus repoſcat, quam ratio ei deberi dictat, & ne tanquam judex, graviorem pœnam in delinquentem ſtatuat, quam juſtitia diſtributiva exigit. Hæc tamen omnia locum habent, ſi inimico in poteſtatem redacto, penes læſum unice ſit, mala imponenda moderari ac dirigere: nam ſi ab obſtinato obduratoque adverſario, illatæ injuriæ reparatio per vim ſit exigenda, tum jus lædendi in infinitum perinde obtinet, ac circa injuriæ inferendæ propulſationem. In ſtatu autem civili, uti læſionis illatæ vindicatio, ſine dubio per Magiſtratum fieri debet, ita circa inferendæ propulſationem, eandem, quam in ſtatu naturali aſſeruit, defendendi rationem, in civi-

civili quoque propugnare Noſter non erubeſcit; cum non ſolum & hic corpus impetatur, a quo omnem vim & injuriam arcere permittant jura, ſed & læſus verſetur in terminis defenſionis neceſſariæ, çeſſantibus hoc in caſu judiciis, adeoque jus priſtinum reviviſcat, ac cuique ſe ſuaque, quovis modo, contra vim & injuriam imminentem, tuendi facultatem tribuat. Poſtea rationes contrarias Noſter removet, ac inprimis a Grotio fruſtra legem Evangelicam hic opponi, cenſet.

Circa pœnas humanas, uti non paucæ occurrunt difficultates, ita inprimis etiam illud quæri ſolet, an delicta in Deum commiſſa, pœnis humanis ſubſint? qua de re Grotius *l. 2. c. 20. §. 44. ſeqq.* ſuam propoſuit ſententiam. Circa quæ cum alia, tum in ſpecie id annotat Autor ad *d. §. 44*, quod, cum nihil magis perniciosſum ſocietati humanæ, quam ejusmodi homines, qui vel ſummi alicujus Entis exiſtentiam negant, vel ab eo res humanas curari, inficiantur, hi humani generis hoſtes exiſtimandi ſint; adeo ut cuique eos, in ſtatu naturali, jure belli perſequendi, in civili vero ſocietate, ſummis Imperantibus, illos coercendi jus competat: cum unicuique, ac præcipue Imperantibus, cura incumbat avertendi a civibus non ſolum, ſed & ſocietate humana, illa, quæ maxime nocitura videntur; præterea quisque teneatur, Divinam Majeſtatem illæſam conſervare, cum nati ſimus, ad Dei gloriam prædicandam & celebrandam, hæc vero non magis negligi poſſe videatur, quam ſi athei impuniti dimittantur; denique multæ gentes ac nationes funditus deletæ ac peſſundatæ ſint, ideo quod Divinæ Majeſtatis contemtores & graviſſimorum delictorum autores, e medio non ſuſtulerint. Alia tamen, quoad religionem Chriſtianam, Noſtro *ad d. c. 20. §. 48.* ſedet ſententia. Cum enim fides ſit donum Dei, quod a mera gratia & Divina benevolentia dependet, non vi & armis propagari, ſed per doctrinam & auditum, inſtillari hominum mentibus illa debet. Quamobrem nullum bellum inferendum, nec armis utendum, ut ad Chriſtianam religionem amplectendam cogantur diverſa ſentientes, multo minus illi, qui eam profitentur quidem, ſed non eadem fidei dogmata & fidei capita amplexi ſunt: & licet veritas religionis Chriſtianæ, multis egregiis teſtimoniis fulciatur,

tur, attamen cum ejusmodi myſteria humani ingenii & judicii vim ſuperent, non tam facile ab his, qui in tenebris obambulant, in animum admitti poſſunt, niſi ſecretis Dei auxiliis accedentibus. Cujusmodi intellectus illuſtratio, non ab armis & vi, aut humana poteſtate nobis impertitur, ſed a Divina ſolummodo gratia dependet: hinc mentibus vincula injicienda non ſunt; voluntates ad ſtudium veræ religionis allici & invitari debent, non cogi; perſuaderi, non imperari oportet ea, quæ ſaluti animæ comparandæ inſerviunt; non intruditur pietas, ſed inſtillatur; non impingitur, ſed infunditur.

In *l. 3. c. 1. §. 21. 22.* docuit Grotius, quod, quicquid alicui facere non licet, ad id eum impellere aut ſollicitare non liceat, ex eoque amplius deduxit, quod, cum ſubdito Regem ſuum occidere non liceat, nec oppida ſine conſilio publico dedere, nec ſpoliare cives, ad hæc ille etiam permoveri non debeat; cum ſemper, qui alteri peccandi cauſam dat, & ipſe peccet: aliud tamen eſſe amplius exiſtimavit, ſi quis opera ſponte, nec ſuo impulſu peccantis, ad rem ſibi licitam utatur; hoc enim iniquum non eſſe, ipſius Dei exemplo ſe alibi probaſſe ait. In hac doctrina Conſultiſſimus Commentator prius probat; ſed circa alterum, quod ſcilicet opera ſponte peccantis uti fas ſit, vehementer dubitat, an illud Chriſti doctrinæ & charitatis regulæ conveniat, utpote quæ a nobis exigat, ut proximum in errorem lapſum in rectam viam reducamus, & avocemus a malitia & peccato; præterea peccati quodammodo fiat particeps, qui ſponte peccantis opera utitur, cum ejus malitiam approbet, eidemque, in malo propoſito perſeverandi, occaſionem præbeat. Eadem quæſtio recurrit *l. 3. c. 4. §. 18*, ubi cenſet Grotius, immiſſis percuſſoribus hoſtem occidere licere, ſi illi huic nulla teneantur fide: aliter vero dicendum eſſe de his percuſſoribus, quorum facto perfidia inſit; nam eum hic, qui aliena utitur perfidia, non jus naturæ tantum, ſed & gentium violare. Sed Noſter iterum Grotio eſt rigidior, dum iſtum nocendi hoſtibus modum, penitus rejicit. Quamvis enim hoſtem interimere, non jura belli duntaxat, ſed etiam jus naturale & divinum permittant, attamen turpitudinis & ſceleris quid continet, inſcium nec opinantem e medio tollere. Ne-

que vero turpitudo illa & ſcelus diſtinctione Grotii removetur, quia immiſſio percuſſorum, per ſe & ſua natura turpis Noſtro videtur. Hinc etiam Gentium, ac in ſpecie Romanorum, facinus ejusmodi approbantium, exempla ipſi non obſunt, cum non exemplis, ſed rationibus, juſtitiam & honeſtatem metiri oporteat; ex quibus quoque concludit, deprehenſos iſtiusmodi ſicarios, non aliam ob cauſam exquiſitis affici ſuppliciis, quam quod tale facinus juri Gentium repugnet, ac proinde iis, qui rationis dictamini obtemperant, exoſum ſit.

NICOLAI HENELII AB HENNENFELD, Sileſiographia Renovata, neceſſariis ſcholiis, obſervationibus & indice aucta.

Vratislaviæ & Lipſiæ, apud Chr. Bauchium, 1704, 4.
Conſtat alphab. 15.

RAri ſunt ex Sileſiis, qui res patriæ ſuæ literis conſignare ſolent, & ſi Joachimum Cureum, Nicolaum Henelium, Jacobum Schickfuſium, Fridericum Lucæ & Martinum Hankium nominamus, pauciſſimi reſtant, qui Annales gentis nobiliſſimæ in lucem protulerint. Maximum autem inter illos punctum tulit *Nicolaus Henelius ab Hennenfeld*, Sac. Cæſ. Maj. Conſiliarius, JCtus & Syndicus olim Vratislavienſis, cujus *Sileſiographia* capitibus novem, & *Breslographia* capitibus ſex delineata, Francofurti anno 1613, in 4 prodiit. Quum enimvero non pauca animadverteret doctisſimus Auctor, quæ vel perperam a ſe dicta eſſent, vel melius dici potuiſſent, quam in illo feſtinationis calore dicta fuerant, ad ſecundas curas opus utrumque revocavit, correctumque ac multis in locis auctum, filio ſuo, velut orbam ac poſthumam prolem, edendum reliquit: qui ipſe quidem variis rationibus impeditus, præſtare iſtud neutiquam potuit; præſtitit autem nuperrime, & civium literatorum expectationi ex aſſe ſatisfecit Reverendiſſimus atque Illuſtrisſimus Dominus, *Michael Joſephus Fibiger*, Sacri Ordinis Militaris Crucigerorum cum rubea ſtella Supremus per Sileſiam & Poloniam Magiſter, & ad D. Matthiæ apud Vratislavienſes Prælatus, qui ſchedas Henelianas felici fato nactus, *Sileſio-*

lesiographiam Renovatam ante omnia sedulo discussit, mundeque descriptam & doctissimis scholiis illustratam, Lipsiensibus typis hoc ipso anno, in forma, quam vocant, quarta exscribendam curavit. Ipse Henelianus labor, qui septem prius capitibus constabat, in duodecim posthac ab Auctore distributus est, quorum I. Silesiæ incolas, nomen & etymon; II. situm, populos finitimos, & partitionem; III. ubertatem qua fructuum terra nascentium, qua mineralium; IV. animalia, volatilia, & rem pecuariam; V. flumina, lacus, piscinas, pisces & thermas; VI. ingenia, mores, corporum habitudinem, educationem, studia, scholas, rei familiaris curam, victus item vestitusque rationem, hospitalitatem, mercimonia & idioma; VII. urbes, arces, monasteria, pagos; VIII. hominum genera & ordines; IX. Magistratum superiorem; X. Magistratus subordinatos; XI. Judices ac jura; XII. Comitia & Curiam Fiscalem Silesiæ sistit. Sed quum brevior esset tractatio, & circa annum superioris seculi XXXIII aut XXXIV absoluta videretur, multa vero interim in statu publico immutata, Familiæque Excelsissimæ quædam letho extinctæ, aliæ autem in earum locum substitutæ fuissent, Scholia superaddere necesse duxit Reverendissimus Præsul, in quibus Henelium modo explicaret fusius, modo corrigeret accuratius, modo autem eventus rerum memorabiles ab Henelio vel omissos, vel post obitum ejus observatos compleret. *Primo* itaque statim *capite* Marcomanorum & Quadorum res gestas in scholiis suis (ad §. 2. & 14.) clarius diducit; systema Celtarum & Germanorum veterum (§. 23.) contexit; Quados & Lygios (§. 16. 17.) in Silesia habitasse, contra Cluverium, & Henelium ipsum, qui Cluverii partes sequitur, ostendit; & (§. 24.) Vandalos a Venedis sive Wendis omnino distinguendos, pagumque Silensem a Ditmaro memoratum, pro Silesia (§. 33.) habendum esse, docet. *Cap. II.* (§. 2) controversiam nuperrimam Silesiorum cum Bohemis, de finibus in montibus Sudetis, anno 1700 & 1701 motam; (§. 7.) montium Silesiæ descriptionem, ex schedis Oehmbianis; (§. 13.) historiam, an fabulam, de latronibus, seu spectris potius in monte Sabotho, quibuscum Joannes Beerius, civis Suidnicensis, circa annum 1570 colloquutus fertur; (§. 18.) fabulam de spectro montis Riphæi, quod Riebenzahl

adpellant, cordate examinatam; (§. 24.) Polonorum in Silesiam prætensiones egregie discussas; (§. 25. sqq.) Ducatuum hodiernos dominos; (§. 34) territorii Suibusiensis ad Brandeburgicum Electorem factam oppignorationem, & reluitionem; (§. 35.) Dynastiarum liberarum numerum, quarum antea quatuor fuerant, Bytomiensi Henkeliana in Superiore, & Bethaniensi Schœnaichiana in Silesia Inferiore auctum, in scholiis Fibigerianis legimus. *Cap. III.* boni patrisfamilias partes egregie sustinet Illustrissimus Scholiastes, & præter monita rei agrariæ inservientia, quæ in scholiis passim occurrunt, de agris puta lætandis, de satione facienda, de lignis cædendis, de lini cultura & usu: maxime notatu digna sunt, quæ (§. 38) de aurifodinis Goldbergensibus; (§. 39.) de auro fluviatili Silesiorum; (§. 41) de dente aureo pueri Silesii, cujus gratia Jacobus Horstius, Joannes Ingelstetterus, Martinus Rulandus, Duncanus Liddelius, Valens Acidalius, Laurentius Scholzius, integros tractatus vel epistolas ediderunt; (§. 42) de metallifodinis hodie in Silesia excultis adduxit: quibus addimus non immerito carmen hexametrum Christophori Wintheri Saganensis, de Fabrilibus Silesiæ officinis & fodinis, valde alias rarum, sed scholiis (§. 43) nunc insertum, & uberiorem de Urnis Sepulchralibus notitiam, quæ ad §. 51 legitur: quo loco tacere non possumus, tanto Scholiasten nostrum erga patriæ suæ antiquitates studio flagrare, ut M. Christiani Stieffii de Urnis in Silesia Lignicensibus & Pilgramsdorfiensibus, (quarum illo commate non meminerat) scriptam ad ipsum epistolam, suis sumtibus imprimendam curaverit. *Cap. IV.* laudem in scholiis meretur memoria Ordinis Venatorii, ab D. Georgio Wilhelmo, ultimo Piasteorum Principe Lygio-Bregensi, anno 1672 d. 23 Aug. instituti; historia item cervæ cicuris (§. 2.) leporis bicorporis (p 399) regulæ porro de cura & nævis equorum, (§. 13) de cura ovium, (§. 20) parodia Catulliana Senftlebii de caseo ovillo, (§. 22) & de volatilibus supplementa doctissima. Quo tamen loco præterire silentio non debemus narrationem ipsius Henelii (§. 35. p. 534. 535) de nobili quadam fœmina in Ducatu Silesiæ Oppoliensi, in cujus naturam examen apum, incertum quo casu, sese immisit, quodque, cum misellam punctionibus, ut credibile est, tantum non enecaret, haud

nisi

nisi rege extracto, inde expelli potuit. Addit Henelius, rem, quo magis miram, eo minus fidei habituram, nisi certissimis veritatis testimoniis niteretur, & ab eo ipse haberet auctore, cui fidem hic negare piaculum putaret. *Cap. V.* inter alia de Viadro sive Odera fluvio, qui antiquis Suevus & Guttalus dicebatur, egregia multa profert Henelius, quæque Silesiis cum Francofurtensibus de libera in Viadro navigatione intercesserint controversiæ, fuse explicat: sed notat Scholiastes (ad §. 7) quod Jo. Christianus Riemannus Bartham quoque fluvium navigabilem se redditurum promiserit, ad quercus scilicet isthic locorum abunde crescentes, mediante hoc fluvio ad Oderam, & dehinc Hamburgum deportandas, qui tamen conatus certis de causis frustraneus fuerit; quod a fluvio Biela in Moraviæ confinibus, sagæ vocentur Bielweisen §. 8; quod Albis fontes omnino Silesiæ vindicandi sint, contra Bohemos §. 31; quod acidulæ plures hodie in Silesia dentur §. 47, & quod in Obra rivulo gammari saporis amari capiantur, ob calami nimirum aromatici sylvestris copiam, cujus radicibus avide vescuntur cancri, §. 58. *Cap. VI.* præter egregia multa, quæ Henelii curis debemus, non proletariæ sunt Scholiastæ nostri observationes de onophagia Silesiis objecta (§. 2;) de genio Silesiorum, contra Scaligeri dicterium (§. 5;) de scholis publicis, & Academia præsertim Societatis Jesu Leopoldina, anno M DCCII Vratislaviæ fundata (§. 16;) de bibliothecis in Silesia celebrioribus ad §. 19, quas inter Logaviana quoque pag. 719 laudatur, nuperrime ab Illustrissimis hæredibus Serenissimo Duci Saxo-Vinariensi divendita; de cerevisiarum varietate & virtutibus (§. 27 sq;) de Schepusio Vratislaviensium, (§. 31) quod genus cerevisiæ est, ab oppidanis Scheps adpellatum; de privilegio Vratislaviensibus ab Henrico VI Duce concesso, ut non solum esse illis ac vivere, sed bene esse, bene vivere liceat §. 17; de itineribus in Silesia tutis §. 55; & tandem de idiotismo linguæ Germanicæ Silesiaco, Silesiorumque gloria in poësi Germanica, nitori suo ab ipsis restituta. *Caput VII.* paullo prolixius est, ob urbes, monasteria & arces ordine alphabetico ibi recensitas. Ex ingenti memorabilium copia id solum adnotamus, depictam esse in scholiis urbium ac oppidorum faciem, qualis post Henelii tempora, ad præsens usque seculum fuerit, singulisque lo-

cis non modo virorum eruditorum, qui ibi nati ſunt, elogia ex ipſis *Sileſia Togata Heneliana* ſchedis adjuncta, vel proprio Marte conſcripta, ſed Abbatum inſuper & Prælatorum, qui Saganenſi, Leubuſienſi, Griſſovienſi, Camencienſi, Henrichovienſi, Raudenſi & Jemelnicenſi monaſteriis præfuerunt, vitas & ſeriem, ex ipſis cœnobiorum, quæ vocant, archivis cum literatiſſimo Scholiaſte Heneliano communicatas inveniri, & occaſione Wartenſis Divæ, cæterarum quoque in Sileſia miraculoſarum, quas credunt, Imaginum mentionem fieri. *Caput VIII* ut materiarum mole, ſic dignitate omnium ampliſſimum eſt. Poſt enim quam Henelius populum dixiſſet dividi in Clericos & Laicos; provinciam anno 965 ſub Mieciſlao ad Chriſtum converſam; Epiſcopatum Vratislavienſem *aureum* vocari; S. Joannem Baptiſtam & Divam Hedwigen tutelares univerſæ Sileſiæ haberi; Duces porro in Sileſia olim plures, hodie pauciores numerari; Comitum & Dynaſtarum conditionem lautam eſſe; ac de Nobilium præſertim familiis, feudis, prærogativis, ſtudiis, gloria ſago æque ac toga parta, fuſe tractaſſet, nec opificum inſuper, ruſticorum, ac Judæorum oblitus fuiſſet: hic quaſi palæſtram eruditionis ſuæ nactus Reverendiſſimus Præſul, in ſcholiis ſuis telam ab Henelio cœptam continuavit. Epiſcoporum enim laudes, tum ex aliis Henelii ſchedis, tum PP. Soc. Jeſu Elogiis recenſuit; Ducum ſtirpes ordine chronologico deſcripſit, & in Georgio Wilhelmo, Lygio-Bregenſi & Wolavienſi Principe, omnem maſculam ſobolem Piaſteorum, qui per annos fere nongentos, in Polonia & Sileſia faſces tenuerunt, anno 1675 exſtinctam prorſus fuiſſe, in Ducatibus autem Croſnenſi Electores Brandeburgicos, in Olsnenſi primum Podiebradios, poſtea Würtenbergicos, in Saganenſi Lobkowitzios, in Oppavienſi & Carnovienſi Lichtenſteinios, in Monſterbergenſi Auerſpergios Principes ſucceſſiſſe demonſtrat. Ad Comites, Dynaſtas, Barones & Nobiles digreſſus, non ordine ſolum alphabetico, quamvis haud abſque ingenti labore, illos recenſet, qui hodiedum in vivis ſunt, ſed inſignia quoque familiarum addit, nec minus elogia plurimorum Heroum, ſtylo Heneliano in *Sileſia Togata*, quod volumen adhuc MSC. ſervatur, conſignata. *Cap. IX*, quo Magiſtratus in Sileſia ſuperior penes Regem Bohemiæ eſſe, & Principes Sileſios ſecu-

cu-

culo XIV, ſub Joanne Lucemburgico & Carolo IV Regibus, Bohemiæ vaſallos ac feudatarios fuiſſe factos dicitur, in ſcholiis cauſas tranſitus Sileſiorum a Polonis ad Bohemos, verba item homagiorum, tenorem diplomatum, & alia ejus generis non proletaria diſcimus. *Cap. X.* controverſia Bohemos inter & Sileſios de ſumma Præfectura Sileſiæ, ſub Ferdinando I acriter mota explicatur, Bohemorum tum cauſam D. Philippo Gundelio Patavino, Sileſiorum autem Wolfgango a Bock, Equite Sileſio & Cancellario Lignicenſi, ſtrenue agentibus. Subnectitur ſtatim catalogus ſummorum Sileſiæ Capitaneorum, quos modo ex Ducibus, modo ex Epiſcopis delectos docemur, & alia plura, cum de jurisdictione, tum de Magiſtratuum inferiorum officiis; quibus, quod prolixo commentario non indigerent, ad calcem capitis Caſparis Schifordegheri memoriales titulos de Jurisdictione, quæ olim in Sileſia fuit, Scholiaſtes ſubjunxit. In Judiciis & Juribus Sileſiæ, quæ *Cap. XI.* ab Henelio accurate delineantur, breviora ſunt Præſulis noſtri ſcholia; operam tamen minus ſe perditurum duxit, ſi ad calcem capitis, Compactata Imperatoris Leopoldi I cum Rege Poloniarum Joanne III, Dynaſtiæ item Wartenbergenſis, quæ ad Burggravios Dohnenſes ſpectat, certum quoddam privilegium de graduali appellatione, & inprimis Caſparis Franciſci, Equitis de Sannig, Annotationes ad Sanctionem Pragmaticam Cæſareo-Regiam Leopoldinam, circa fatalia Appellationis in Ducatu utriusque Sileſiæ obſervanda, legerentur. Finem operi Heneliano imponit narratio de Comitiis & Curia Fiſcali Sileſiorum, quæ *Cap. XII.* continetur, ad quam non modo, quæ circa Comitia Provincialia obſerventur, Scholiaſtes monuit, verum & hodiernam Sileſiæ æſtimationem & contribuendi modum deſcribit, quidque in Comitiis generalibus ab anno 1337 ad annum usque 1703 actum, atque tributorum nomine concluſum ac perſolutum fuerit, in conſpectum exponit. Quum ergo Illuſtriſſimus Ordinis ſui Magiſter nihil reliquum eſſe voluerit, ac neque vigiliis ullis aut ſumtibus pepercerit, ut *Heneliana* hæc *Sileſiographia*, quæ per annos fere ſexaginta in ſchedis delituit, & tinearum ſupplicium aut cucullorum piperatorum opprobrium vix effugere potuit, decori ſuo reſtituta & *Renovata*, ſeu nova quaſi veſte induta prodiret, otium ſane atque

que vires ipsi, uti alii litterarum & historiæ amantes, sic Silesii sigillatim cives, ad *Breslographiam Henelianam* eadem ratione typis evulgandam, ex animo precantur.

DE ORIGINE MALI, AUTHORE GUILIELMO KING S. T. D. Episcopo Derensi.

Londini apud Benj. Tooke, 1702, 8. plag. 16. & Bremæ apud P. G. Sauerman, 1704, 8. plag. 20.

ORiginem mali, materiam inter maxime difficiles præcipuam, commode explicari abs se posse existimavit Illustris Auctor, si quædam de cognitione rerum externarum, & investigatione causæ primæ, ejusque natura præmitteret, atque deinceps natura & divisione mali expensa, diductiori tractatione speciatim mali imperfectionis, naturalis, & moralis, rationem modumque persequeretur. Postquam ostendisset, conceptus rerum externarum, ad *motum, materiam* & *spatium* referri, neque ullum ex his naturæ necessitate æternum existere, deducit hinc, causam rerum primam, quæ vulgo Deus appellatur, concedendam omnino esse. Ubi commonet, rationes nostras de principio hoc activo primo, non aliter comparatas esse, quam cœci de lumine, cui per effectus nonnullos certum esse quidem possit, dari rem, quæ lumen dicitur, quod calefaciat, quod illustret, quod gressus dirigat; quid ipsa sit lux, haud æque cognitum sit, quoniam ejusdem sensum, quo alii lumen usurpant, non feriat. Malum dividit in *imperfectionis*, *naturale*, & *morale*. Per malum imperfectionis notatur absentia perfectionum aut commodorum, quæ aliis rebus adsunt; per naturale, dolores, molestiæ, incommoda; per morale, pravæ electiones, nobis aliisque noxiæ. Quomodo autem mala hæc cum Divina bonitate & justitia queant consistere, melius cognosci non posse arbitratur Auctor, quam si ostendatur ratio, quod mala non solum sapientiæ, bonitati & potentiæ Divinæ infinitæ congruant, sed & ex illis necessario oriantur, ita ut illa infinita non fuissent, si mala non essent, aut esse potuissent. Omnia creata necessario malo *imperfectionis* obnoxia esse probat, quia perfectio absoluta soli Deo propria est; universa igitur creata, quoniam Deus

non

non ſunt, imperfecta ſint oportet. Hinc probare nititur Auctor, mala *naturalia* tam neceſſario cum origine ſua ex materia cohærere, ut divelli a ſe invicem nequeant, ac proinde mundi materialis compagem aut non ſtrui debuiſſe, aut ferenda hæc eſſe mala, ſine Divinæ potentiæ aut bonitatis incuſatione. Quod ſigillatim circa generationem & corruptionem, animalium varietatem, mortem, animi paſſiones, famem, ſitim, laborem, ſobolis procreationem, pueritiam & ſenectutem, morbos, feras & venenata, errores humanos & ignorantiam, latius ex hypotheſi Auctoris explicatur. Ut mali *moralis* natura & origo luculentius intelligi poſſit, ſigillatim perſequitur Auctor naturam electionum; felicitatem, quæ ex electione pendet; electiones, quæ perperam fiunt; quomodo in pravas electiones incidamus, & qua ratione electiones iſtiusmodi cum Divina potentia atque bonitate concilientur. Propoſitis duabus ſententiis de libertate humana, quarum una libertatem a coactione, non vero a neceſſitate; altera libertatem non minus a neceſſitate, quam coactione agnoſcit: aliam diverſamque ab his libertatis atque electionis notionem lectori exhibet, in qua explicanda & probanda ſatis diducte verſatur. Nimirum cum appetitus, facultates & potentiæ, ab objectis peculiaribus, illorumque convenientia & habitudine naturali, vulgo determinari tradantur, Noſter diverſam ab his voluntatis potentiam ſibi concipit, quæ magis indifferens ſit quoad objecta, circa quæ ſeſe exerat; quæ neque a bonitate in objectis, nec a moleſtia, nec ab intellectu præcedente determinetur; cui non aliud præ alio natura conveniat, ſed cui id maxime congruat, quod ipſa eligit: ut adeo non bonitas objecti præcedat actum electionis, ſed electio bonitatem in objecto efficiat. Ejusmodi in Deo & homine potentiam dari, variis confirmatur rationibus. De Deo quidem inter alia, quoniam nullum extra eundem bonum, utpote nondum exiſtens, ipſum ad condendum mundum determinare potuit, ſed ſola ipſius liberrimaque electio. Hominem vero quemlibet, cum conſcius ſibi ſit, ſe veram actionum ſuarum eſſe cauſam, ſe poſſe agere ſibique placere appetitibus naturalibus, ſenſibus & rationi contraeundo, hanc liberrimam eligendi potentiam in ſe experiri, quæ nec ab appetitu, paſſionibus aut intellectu determinetur. Ex-

Mm pli-

plicata felicitate hominis, quæ in electionibus reponitur, indicatisque caussis, quomodo in electiones indebitas incidamus, conciliantur electiones indebitæ cum potentia & bonitate Divina. Merebantur quidem explicatius singula notari, sed cum brevitatis habenda nobis ratio sit, ex iis aliqua tantum delibamus. Ad objectionem, cur Deus agentia libera condiderit? respondet, mundum sine istis meram fuisse machinam; Deo autem quod ipsi gratissimum est, defuturum fuisse, commercium scilicet cum operibus libertate donatis, & creaturis, quæ libertatis ope beneficia Divina cognoscendo quodammodo rependant; pejorem fore hominum statum, sublato arbitrio libero; sola agentia libera, perfecte felicia esse; neque commoda arbitrii liberi, sine potentia peccandi, haberi potuisse. Objectioni, cur Deus interposita omnipotentiæ suæ, quoties opus sit, voluntatem ab electionibus pravis non coerceat? satisfacere nititur ostendendo, plura & graviora mala rerum universitati ex hac interpositione Divina obventura; naturæ rerum vim inferri; modum tractandi agentia libera hac ratione inverti; tolli id, quod in electionibus maxime placet: hinc agentia libera posita esse veluti extra potentiam Divinam, ac proinde interpositionem talem, nec rerum universitati utilem, nec Deo gratam esse posse. Agitur deinde de efficacia orationum; de quæstione, cur Deus alio hominem non transtulerit, ubi nihil ipsum ad malum potuisset sollicitare? de paucitate felicium, & generali hominum corruptione. Denique argute objicienti Epicuro apud Lactantium, Deum aut mala non tollere velle, quod invidum alienæ felicitatis est, aut non posse, quod infirmi est, respondetur, Deum tollere mala nec velle, nec posse, sed negatur inde sequi, Deum esse invidum aut imbecillum. Contradictorium enim esse, rerum universitatem subsistere, mala tamen tolli; uti posito circulo repugnet, linearum e medio ad circumferentiam tendentium æqualitatem tollere. Deum proinde ex malis minimum eligere, ideoque nec invidum, nec impotentem dici posse. Universæ tractationi annectitur Appendix *de Legibus Divinis*, ubi natura & origo legum Divinarum, naturalium & positivarum, cum universalium tum particularium; præmiorum pœnarumque Divinarum ratio; quæstiones, quomodo

pœnæ

pœnæ impiis æternæ conveniant, quæ nec ipsis, nec aliis prosunt? quomodo bonitati Divinæ eædem consonent, quæ omnia sic fabricavit, ne quem se creatum esse pœniteat? quomodo pœnæ æternæ sine causa naturali perpetuæ esse queant? denique cur malis bene sit, & bonis male? explicantur. Atque hæc nobis, pro instituti ratione, ex libro non grandi delibasse suffecerit. Sententiam enim ipsam, ut ubique, ita & hic examinandam aliis relinquimus.

CATECHISME OU INSTRUCTION DE LA Religion Chrêtienne.

i. e.

CATECHISMUS, SIVE INSTITUTIO RELIGIONIS Christianæ, Auctore J. F. OSTERVALD, Pastore Ecclesiæ Neocomensis.

Amstelodami, apud Thomam Lombrail, 1704, 12. plag. 20.

QUi benevolo lectori nunc sistitur libellus Catecheticus non ultimi commatis, inscriptus est Illustri Societati, quæ nuper in Anglia *propagandæ Christianæ Religionis* causa coaluit ad imitationem forsan laudatissimorum in hoc rerum genere conatuum Roberti Boylei, immortalis memoriæ Physici, quos alio in his Actis loco dilaudatos recordamur. Docet vero nos in dedicatione libri Reverendus Ostervaldius noster, constare eandem Viris sacra ac civili dignitate exsplendentibus, atque sub majori isto Collegio, minora quam plurima contineri; institutas passim esse ab eadem Societate scholas, orphanis pauperumque liberis instituendis, vestiendis atque educandis; libros ad pium Dei cultum facientes, ejus ope in scholis, oppidis, pagis, classibus, exercitibus carceribusque gratis distribui; institui Bibliothecas publicas, Ministrorum Ecclesiæ, qui ruri habitant, gratia, imo in ipsa America, eaque orbis parte, propagandæ religionis Christianæ causa, multa a Sociis studio sumtibusque gravissimis curari; excitari ab iisdem Ecclesias exteras, ut, constituta inter se concordia, laudabili huic instituto adjutrices manus præstent.

Auctor, præmissa compendiaria enarratione Historiæ Biblicæ, initio de religionis Christianæ ac S. Scripturæ veritate, per quæstiones ac responsiones, ut in toto hoc opusculo, non inconcinne agit, sed ex optimis potius, qui contra Atheos aliosque incredulos scripsere, auctoribus, argumenta potissima enarrat, objectionesque præcipuas refutat. Post hæc, facta religionis partitione in ea, quæ creditu, & quæ factu necessaria sunt, de fidei articulis juxta Symbolum Apostolicum agit, omnemque dat operam, ut, si quæ potiora sunt in rebus credendis dubia, ea passim interspergat, feliciterque solvat: omnia denique ad augendum sanctitatis studium diligenter accommodat; cui jam olim, edito de *fontibus corruptionis* libello, laudabilem industriam impendit. Dehinc ad facienda se confert, & generatim de pœnitentia vitæque emendandæ studio, partis II articulo I dicit; dehinc speciatim de nostro erga Deum, proximum & nos ipsos studio agit, interspersa decem præceptorum & Dominicæ orationis explicatione. Ultimo loco de sacramentis agit, ac formulas, quibus proselytus, vel puer & puella ad usum rationis perveniens, ac confirmationem petens, uti possint, ex more Neocomensium Ecclesiarum, apponit.

Inter alia pereleganter ab Ostervaldio nostro exposita est doctrina de iis, quæ ipsi nobis ex lege Divina debemus. Fundamenti loco illis subjicitur, quod quilibet ad felicitatem propriam quærendam obstrictus sit, quæ in salute animæ consistat: quærenda igitur non solum media esse, sed removenda etiam obstacula. Quo præmonito ostenditur, animæ restitutionem potissimum impediri amore opum, honorum & voluptatis, ebrietate, Venere & curis. Sic p. 29 observatur, eas gentes, quæ rationi honestatique propiores fuerint, eo facilius Christiana sacra recepisse. De Symbolo Apostolico refertur p. 45, illud occasione formulæ baptismi a Christo præscriptæ exortum; quæsitam enim a catechumenis, in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizandis, confessionem, quid de Patre, Filio & Spiritu S. sentirent? Huic confessioni plura subinde accessisse, usque dum in præsentem formam adolevisset. Sic p. 114 seq. doctrina de conscientia, ad captum vulgi, multa cum perspicuitate exponitur. Ad verum gratumque Dei cultum

tum

tum, quatuor animi dispositiones p. 159 requiruntur, zelus videlicet, attentio, humilitas & confidentia. Bella est observatio, quæ p. 162 occurrit, infelices nos futuros, si ita in fatis esset, ut omnia, quæ petimus, impetraremus; plerumque enim nos, quæ maxime noceant, optare. Longe nobiscum melius actum, quod sciamus, Deum, quæ salutaria nobis sint, exauditurum: sed hæc speciminis loco. In reliquis, si quæ videantur a doctrina nostratium recedere, Theologorum examini relicta sunto.

FRIEDMANNI POSNERI DECISIONES DE CItatione Reali &c.

Lipsiæ, apud Nic. Fœrster, 1704. in 4. Alphab. 1. pl. 17.

CUm citationes reales, quæ apprehensione personæ peraguntur, haud raro sine justa causa suscipiantur, aut certe suscipi videantur, placuit Autori Clarissimo, Decisiones centum, quas ex fori plerasque observantia hactenus collegerat, in usum eorum, qui practicis negotiis occupantur, prelo & publicæ Eruditorum censuræ subjicere. Dicendi genus forense, quod secutus est, ipse excusat Decisione 1, n. 2, sibique propositum fuisse non scholarum ac theoriæ subtilitates sectari, sed fori usum potissimum respicere, Dec. 2. n. ult. profitetur. In quinque classes autem Decisiones suas distribuit, ac brevissimis ea, quæ circa definitionem, divisionem, justitiam & differentias citationum realium, moneri poterant, præmittit. Dein de personis, citationem realem suo aut alieno nomine impetrantibus, disserit. Postea in quibus personis citatio hæc obtineat, ac tandem, quo tempore ac loco ea possit expediri, subjicit. Plerisque decisionibus observationes ac cautelas practicas, responsa quoque & præjudicia Collegiorum Juridicorum haud paucis inseruit, ut negari nequeat, iis qui foro se causisque perorandis, aut processibus judiciisve dirigendis consecrarunt, utilissimum fore hoc opusculum. Exempli loco quædam exhibemus, ut & satietati & desiderio legentium medeamur, ac studium reliquas perlustrandi incendamus, non extinguamus. Fœminas sine curatore citationes reales impetrare posse, monet Dec. 6. Ei qui jurisdictione bassa gaudet, jus hac citatione utendi compete-

petere, Dec. 13; militesque delinquentes a Magiſtratu non militari carceri tradi poſſe, Dec. 29 confirmat. Realem citationem carnifici ac lictoribus licite committi, Dec. 49 decidit; imo ex territorio alieno quoque delinquentem extrahere permittit Judici, quem in ſuo quis perſequi cœperat, Dec. 49. Sed hæc ſpeciminis loco ſufficiant: nam qui ipſas Deciſiones perluſtrare ex re ſua judicabunt, facili negotio perſpicient, induſtriam Clariſſimi Autoris in conquirendis caſibus practicis, Collegiorumque Juridicorum reſponſis ac ſententiis, fuiſſe ſingularem.

THOMÆ CRENII EXERCITIA SACRA, PRIORA quædam Moſis tractantia.

Lipſiæ, apud hæredes Frid. Lanckiſii, 1704, in 8.
Plag. $12\frac{1}{2}$.

POſt Animadverſiones ſuas Philologico-Hiſtoricas, quarum partes undecim in Actis noſtris hactenus recenſuimus, & plures etiam impoſterum expectamus, novum opus inchoat, qui eruditam diligentiam nonniſi cum vita ipſa depoſiturus eſſe videtur, Clariſſimus Crenius. Loca enim quædam Biblica, juxta Philologiam ſacram, excutienda ſibi ſumit, & hac vice duodecim capitum Geneſeos priora percurrit, dataque impoſterum occaſione, ad alios hujus libri textus non minus, ac cæteros libros Biblicos, eſt perrecturus. Sequemur eum more noſtro fere κατὰ πόδα, & flo- ſculos nonnullos e ſcripto hoc eruditisſimo excerpemus. Pag. 1 Johanni Sauberto, Theologo Altorfino, ſatisfacit, qui, ut deludebet Orthodoxorum, pluralitatem perſonarum in Deo e nomine Elohim probantium argumentum, ad locum Judic. XVI, 23. 24. provocat, ubi Philiſtæi iſtam vocem ad idolum ſuum Dagon applicant, deque eodem tripudiando dicunt, נתן אלהינו, *dedit Deus noſter Simſon inimicum noſtrum in manus noſtras.* Reſpondet enim Crenius, quod, ſicut Elohim catachreſtice idolo & Diis commentitiis tribuatur, utpote qui ſecundum hominum opiniones Dii ſint, ita etiam eandem ob cauſam numero plurali Elohim de idolo Dagon pronuncietur, e mala nimirum nominis hujus naturæque ejus indolis intelligentia, & applicatione ad rem nihili, quæ fin-

summum quendam Deastri honorem, aut varias ejus virtutes proprietatesque pro fundamento agnoscat. Pag. 16. vocem *Chaos* considerat, ac varias variorum, Gentilium maxime, de eadem sententias recenset. Circa locum Gen. II, 2, ubi Deus *omne opus suum die septimo complevisse* dicitur, Aben-Esræ imprimis canonem p. 22. approbat, absolutionem videlicet vel terminum operis non pertinere ad ipsum opus, & vi hujus regulæ diei septimi in κοσμοποιΐᾳ mentionem fieri censet, non inclusive, sed tantum terminative. Gen. II, 18. 20. τὸ כנגדו idem esse p. 25. putat, ac si Moses dixisset *similem*, cum de uxore Adami agatur, Adamo simili. Pag. 27. inter Diaboli fallacias hanc semper præ cæteris miratum se fuisse profitetur, quod serpentes, horribili procul dubio immanissimi facinoris, Gen. III commemorati, monumento, ab ipso eo usque dignitatis & majestatis provehi potuerint, ut Numinis loco haberentur; prout & plurima serpentum, Divino cultu affectorum, exempla in medium adducit. Pag. 36. s. Pontificiorum taxat audaciam, qua Gen. III, 15. verba, *& ipse conteret tibi caput*, mutato genere, ad Mariam Deiparam accommodare nulli verentur. Pag. 57. nomen Caini neminem fuisse deducturum crederet a radice קנה, *possedit*, nisi hoc doceret ratio nominis ab Eva imposita, cum certe Grammaticis omnibus obstet in medio positum Jod; unde colligit, in nominibus propriis nimis magnas sæpe fieri solere mutationes, adeo ut quædam tantum originis initia in literis remaneant, & nunquam perventuri fuissemus ad originem veram, nisi rationem nominis in Scriptura invenissemus. Pag. 64, postquam Masoretharum de voculis אם & ואם observationes adduxerat, mirum esse affirmat, quod tam multi Scriptores, interque hos & optimi Exegetæ, Masoræ parvam, imo nullam fere rationem suis in libris atque commentariis habeant. Pag. … s. de *Ambubajis* prolixe disserit, ista quidem occasione, quod Gen. IV, 21. vocem אנבוביא adhibeat Targum. Pag. 89. s. *Tubalcainum*, pro Vulcano alias haberi suetum, paulo curiosius contemplatur. Pag. 100. s. circa celebrem illum locum Gen. VI, 2. *de filiis Dei filiarum hominum forma captis*, diversas recenset sententias, atque iis accedit, qui per filios Dei, familiam Sethi, sed per filias hominum, familiam Caini intelligunt. Pag. 126. *Noacham*

Gen.

Gen. VI, 5. *perfectum* ideo vocari perhibet, quod Deo duce & comite, curriculum fidei tenuerit in generationibus suis, id est, inter homines corruptissimos, seu corruptissimo mundi tempore. Pag. 128. s. varia de *Arca Noachi* lemmata deducit, utpote de caussis, cur eam Deus fabricari jusserit? de ejus collatione cum ecclesia; de genuina ejus structura; de animalibus, quæ eandem ingressa non fuerint: quorum tria genera nominat, unum piscium, & eorum, quæ sunt ambiguæ vitæ, & amphibia vocantur; alterum eorum, quæ generantur e mixtura animalium diversæ speciei, qualia sunt mulus & mula; ac tertium denique eorum, quæ ex materia putrescente nascuntur. Pag. 150 de *montibus Ararat* disputationem instituit. Pag. 160. s. occasione Nimrodi, quem Scriptura Gen. IX, 9 *robustum* nuncupat *venatorem*, latronis atque venatoris famosiorem significatum notat. Pag. 163. loco Hebraici אכד Gen. X, 10, non immerito, ad ductum Targum Hierosolymitani, Franciscum Taylerum, Anglum, nominare *Nisibin* existimat. Pag. 168. s. vocabulum *Assur* non tres tantum, ut Benedicto quidem Pererio videatur, sed plures adhuc diversos significatus sustinere, probat. Pag. 170. s. de *Ninives* ædificatione agit. Quam ob causam *Ur*, urbs aut provincia, ab igne nomen indepta fuerit? p. 177. s. & p. 184 *lucus Mamre* an pro Gymnasio Abrahamo servii sse credendus sit? indagat. In loco autem Gen. XII, 16. colophonem operi imponit, & ex isto veteres Hebræos collegisse meminit, hominem semper debere esse solicitum de honore uxori suæ exhibendo, cum nulla reperiatur in domo ejus benedictio, nisi propter uxorem. Cæterum aliqua passim interspergit Autor monita, quæ ex titulo primarioque instituto quis haud facile conjecerit, v. g. quando pag. 41. s. de adverbii *saltim* & *saltem* significatione & derivatione plurima accumulat: Pag. 75. in laudes *Commentarii a Luthero in Genesin conscripti* latius excurrit. Pag. 111. *Andreæ Gerhardi Hyperii opuscula* valde commendat, eademque haud pluribus cognita ac æstimata esse dolet. De notis, quas libris a se lectis alleverit *Stephanus le Moyne*, ibidem nonnihil ex αὐτοψία monet. Pag. 131 *Jacobi Martinii Etymologicum* Trajecti anno 1697 denuo quidem, sed parum accurate, editum fuisse, innuit. Pag. 156 de *Benj. Tudelensi* judicia quædam affert.

affert. In *Josephi Athiæ* Bibliis Hebraicis manifestum errorem ex literis Clarissimi Bierlingii notat, quando is videlicet Gen. IX, ult. pro ויהיו posuerit ויהי. Pag. 174. de *Varenii Commentariis* judicat, eos, si tam perspicue scripti forent, quam eruditi sint, plures Lectores majore cum emolumento habituros. Ut alias ejusmodi observationes taceamus.

Heilige Beschreibung der Welt ꝛc.

i. e.

GEOGRAPHIA SACRA ET ECCLESIASTICA. Auctore HIERONYMO DICELIO, Matheseos Professore Publ. Extraordinario Lipsiensi & Collegii Ducalis Seniore.

Lipsiæ apud Hæredes Lanckisianos, 1704, 8.
Constat $4\frac{1}{2}$ Alphab.

Sicut in omni fere doctrinæ genere, librorum abundare copiam, non ignoravit Clarissimus Auctor: ita & eam in Geographia Sacra, quam præsenti opere illustrandam sumpsit, non potuit non agnoscere. Nec ideo tamen aut se, aut alios reprehendendos arbitratur, qui de argumento, ab aliis pluribus dudum occupato, novos edere commentarios sustinent. Hos enim Architectis peritis comparat, qui sive circa munimenta urbium, ad hostium insultus propulsandos jam ante exstructa, sive circa ædificia privatorum occupati sint, id sibi laboris sumunt, ut illa antiquitate forte ruinosa, aut novis expugnandarum urbium inventis imparia, quomodocunque reparent, redigantque in aliam firmioremque formam; obsoletas vero domus ornatiores non minus, quam usui commodiores efficiant. Idem certe in Geographia Sacra, seu Descriptione eorum locorum, quorum in Scriptura Sacra Veteris Novique Testamenti mentio injicitur, propositum sibi fuisse, Auctor noster profitetur. Neque enim dissimulat, fuisse jam olim plures, qui illustrandæ illi operam impenderint non contemnendam, quorum nomina ubique non sine honoris præfamine adducit, & in ipsa statim præfatione, ex veteribus *Jacobi Ziegleri* & *Wolfgangi Weissenburgii* Geographias Sacras nominat, & ex recentiori-

bus *Caroli a S. Paulo*, atque *Samuelis Bocharti* opera laudat. Ipse vero idem institutum ita prosequitur, ut novum quodammodo ordinem adhibeat; certe cum Geographia sacra Ecclesiasticam quoque Historiam per universum opus conjunxit, quod ante se qui præstiterit, se quidem nosse ait neminem. Methodo etiam utitur, qua memoriæ Lectorum optime consuli creditur, dum sub quæstionum & responsionum forma, cuncta proponit, tabella etiam Geographica, quam juxta artis regulas ex majori Sansonis in minorem se contraxisse formam monet, adjecta: ut adeo nihil omiserit Vir Clarissimus, quod ad argumentum propositum copiose pleneque & dilucide pertractandum pertinere videretur.

D. CHRISTIANI JOHANNIS LANGII OPERA omnia Medica Theoretico-Practica, curante D. AUGUSTO QUIRINO RIVINO, Pathol. atque Botanic. P. P.

Lipsiæ, sumptibus Joh. Ludovici Gleditsch, 1704, in fol. Alphab. 20. plagul. 4.

TRes effluxerunt anni, cum *Experientissimus Autor*, quadragesimo sexto ætatis anno mortalitati valedicens, multum apud quam multos, præcipue ægrotos atque auditores, sui relinqueret desiderium. Cujus leniendi ergo haud defuere plures, qui scripta ejus doctissima ab hæredibus divulgari eo usque efflagitarent, donec horum nutu ac rogatu *Excellentissimus* noster *Rivinus* Affinis quondam sui conjunctissimi, nec non primi in Medicina discipuli, ex Manuscriptis, quotquot offerebantur, recentiora seligeret, atque selecta, una cum Disputationibus, eo ordine typis exscribenda traderet, quo hic, indice copiosissimo adjecto, Lectori benevolo exhibentur. In *prima* nempe *partium*, quibus *tribus* opera præsentia constant, doctrinæ medicæ omnes, quibus Medicum dogmaticum prius imbutum esse decet, quam specialem aggrediatur praxin, i. e. *Historia* non solum *Medica* & *Physiologia*, tum quoad thesin declarata, quam quoad antithesin vindicata, sed *Materia* quoque *Medica*, *Chymia*, *Methodus præscribendi formulas*, *Pathologia*, *Semiotica*, atque *Praxis generalis*, conveni-

enti

enti ſerie ſiſtuntur. In *altera* vero *parte* ſpecialis medela cum internorum, tum externorum affectuum deſignatur, h. e. *Praxis Medica & Chirurgica* ita delineatur atque *Caſibus* illuſtratur, ut Praxi non minus, atque Collegio prius Chymico, Annotationes nonnullæ deprehendantur ſubjunctæ. Tandem *ultima pars Diſputationes quadraginta ſeptem* complectitur, quarum tamen non niſi ſeptem ab ipſo Autore, vel reſpondente, vel præſidente, *Diſputatio* videlicet *de Cephalalgia*, *de Circulatione Sanguinis*, *de Hæmorrhagia*, *Homo Aerometrum*, *de Remediis Vulnerariis*, *de Hydrope*, *ac de Palpitatione Cordis*, hic loci ventilatæ fuerunt. Specialiora ex ſingulis partibus commemorare, præter rem arbitramur, cum Arti Medicæ addicti vel faventes, ipſa *Opera Langiana* ſine dubio evolvendi deſiderio flagraturi ſint, ubi ex *Præfatione Riviniana* intellexerint, *in hoc unico volumine tanquam nucleo contineri, quicquid univerſa Medicina complectatur, ut nihil magnopere deſiderari poſſit amplius.*

THE LONDON-SPY.
id eſt,
EXPLORATOR LONDINENSIS.

Londini apud Jo. How, 1703, in 8.
Conſtat Alph. 1. pl. 5.

PRopoſitum fuit libri hujus Auctori, qui & antea edita ſatyra, *Excurſus in Jamaicam inſulam factus* (A TRIP TO JAMAICA) inſcripta inclaruit, pravos mores & vitia, quæ Londini invaluere, ſatyrico ſale perfricare. Itaque finxit, peregrinum quendam Londinum acceſſiſſe, & celebriora loca velut ſpectatum obambulaſſe; unde largam admodum ridendi ludendique materiam nactus Auctor, acerrimam ſubinde cenſuram adhibet, verſiculis quoque paſſim non inelegantibus inſertis. Et poteramus forſitan recenſendo hoc libro ſuperſedere, inprimis cum exemplo aliorum hujus generis ſcriptorum, obſcœnitatem nonnunquam ſapiat, niſi quæ in ultima parte (abſolvitur autem partibus octodecim,) de ſplendidiſſimis Johannis Drydeni, ſummi Anglorum Poetæ, exſequiis procul omni ſatyra recenſentur, gratiſſima Lectoribus futura crederemus, quod

& antea in Actis his anni 1700, p. 321, aliquam illarum mentionem, quantum scilicet ex publicis novellis nobis innotuit, injecimus. Nimirum clam erat efferendum in rheda funus, cum Vir quidam Nobilissimus, indignitate rei motus, suo sumtu humari Drydenium jussit, Russelio exsequiarum cura demandata. Itaque delatum primo funus in Collegium Medicorum Londinensium est, ut inde deduci ad tumulum commode posset. Dicta est solennitati dies 13 Maji, anni 1700. Eo post meridiem convenere Nobiles, qui tum in urbe erant, plerique. Auditi primum suavissimi concentus Musici, a præstantissimis in ea arte viris ita compositi, ut secreta velut vi auditorum animos afficerent, eorumque pauci a fletu cohibere se possent. Recitata postea a Viro eloquentissimo parentalis oratio Latina, ex eadem cathedra, qua Medici uti consuevere, magno omnium plausu. Finita oratione ferali, currui imponitur funus, plumis circumquaque & dependentibus ex utroque latere majorum insignibus ornato. Præcedunt & famuli duo illius, quod diximus, Collegii, baculos more Anglico fasciis ornatos præ se ferentes, & servi minores alii, velut viam ceteris exsequiatoribus facientes. Hos excipiunt Musici excellentissimi, tibiis & buccinis triste canentes. Hinc Russelius, detecto capite, proximus ante currum feralem incedit, quem ad augendam pompam, sex equi generosi ducebant. Sequuntur exsequiatores, curribus, totidem equis ducentibus vecti, tanta magnificentia, ut nunquam Legatorum exterorum quisquam ea celebritate urbem credatur ingressus. Postquam itaque in templum Abbatiæ Westmonasteriensis ventum esset, cantatum est epicedium, & postrema a quodam ejus templi Sacerdote persoluta sunt, demumque funus, magna cum honoris significatione, medio loco inter Chaucerum & Coulæum, insignes Anglorum Poëtas, Epicum alterum, alterum Lyricum, tumulatum est; quo in loco ut splendidum monumentum tantoque viro dignum erigatur, Nobiliores quidam Angli procurabunt. Ceterum de mortis genere, quo decessit, quoniam singulare est, pariter ex Auctore dicamus paucis. Altius nempe carnis excrescentia invaserat digitum pedis, unde re neglecta orta est inflammatio, eaque mox, quod esset obeso corpore, ex fluxu quodam humorum aucta, nequicquam suadentibus chirurgis, ut digitum abscindi pate-

pateretur, ne ad reliqua membra manaret morbus. Sic paulatim crure ipſo infecto, cum nihilominus, ætate jam decrepita, membro mutilari nollet, exſtinctus eſt.

MISCELLANEOUS WORKS, WRITTEN BY HIS Grace GEORGE, Late DUKE of BUCKINGHAM &c.

i. e.

GEORGII, DUCIS BUCKINGHAMII, OPERA VARIA, nec non Drydeni aliorumque Poemata, ſtatum publicum, qualis nuper admodum fuit, concernentia. Acceſſere Orationes notabiliores, in Regni Comitiis pronunciata &c.

Londini, apud Jo. Nutt, 1704, in 8.
Conſtant 1. Alph. 4. pl.

GRave quidpiam & eximium exſpectabunt forte, qui hujus operis primam faciem intuentur, quandoquidem ſummi Viri, Georgii Buckinghamii, qui non minori apud Carolum II, quam pater ejus Georgius apud Jacobum I & Carolum I gratia floruit, nomen præfert. At non adeo multa ſunt in hac collectione, quæ ad ipſum Buckinghamium ſpectant; acceſſere tamen non ignobilium quorundam Poetarum Anglorum poemata, quorum pleraque Satyrica, quædam etiam in Wilhelmum III Regem injurioſa ſunt; ut pateat, quanta ſit publice defunctis Regibus inſultandi apud Anglos licentia. Quæ ſubjunctæ ad finem ſunt orationes, tempore Caroli I, Cromwelli, Caroli II & Wilhelmi III, in publicis Angliæ Comitiis magna cum parrheſia recitatæ, maximam partem ad confirmandam Anglorum libertatem pertinent. Reliquis inſerta eſt celebris Thomæ Mercks, Epiſcopi Carleolenſis, oratio, poſt abdicatum Richardum II, & ſuffectum Henricum IV, in publico conſeſſu habita, in qua nec Richardum jure depoſitum eſſe, nec cuiquam alii Regum, qui jure ſucceſſivo ad Regnum pervenerit, & coronatus rite ac inunctus fuerit, abrogari Regnum poſſe, accurate probat. Sed plura de Miſcellaneis his dicere ſuperſedemus, cum eorum tantum in gratiam collecta videantur, qui e publi-

 bli-

blico Regni Senatu in domicilia ſua revertuntur, ut haberent, quorum lectione in itinere delectarentur.

A TRUE COLLECTION OF THE WRITINGS OF The Author of THE TRUE BORN ENGLISH-MAN.

id eſt,

GENUINA COLLECTIO OPERUM EJUSDEM AUTHORIS, qui ſatyram ANGLUS BENE NATUS vulgavit.

Londini apud præcipuos bibliopolas, 1703, 8.

Conſtat Alph. 1. pl. 9.

NOn diſſimilis hic liber eſt priori, niſi quod in ſatyris inſertis Rex Wilhelmus III a calumniis, ut par eſt, defenditur, & vitia gentis Anglicanæ acrius perſtringuntur. Auctor nomen ſuum in titulo non expreſſit, ſatis ſe notum e ſatyra *Anglus bene natus* credens; attamen *Danielem de Foe* appellari, ex præfixa ejusdem icone cognoſcitur. Genuinam hanc collectionem ideo vocat, quod ſpuria eodem fere titulo antea, ſe inſcio & invito, prodierit. Fatetur autem ingenue, ſe nec de Aulæ favore multum ſollicitum eſſe, nec iras Aulæ extimeſcere, juſto tamen fervore tuendæ exiſtimationis Regiæ incendi, quam impune nequiſſimus quisque & ingratiſſimus proſcindat. Conſtat opus partim ſatyris ligato ſermone ſcriptis, partim vero diſcurſibus nonnullis politicis de iis rebus, quæ proximis his annis vel in Parliamentis diſceptata, vel publice geſta ſunt. In illis primum locum occupat ſatyra, quam diximus, *Anglus bene natus* (*The true born English-man*) inſcripta, in qua, ut oſtendat, Belgas aliasque gentes exteras a nonnullis, qui ſe pro γνησίως Anglis venditant, familiæque ſplendorem extollunt, inepte contemni atque odio haberi, quibus gentibus orti ſint Angli, & quid a quaque veneni hauſerint, eleganter probat. In his tamen ad Saxonum præcipue laudem ſpectant, quæ, poſtquam aliarum gentium pravos mores revelaſſet, his verbis ſubjungit:

What Honeſty they have, the Saxon gave them,
And that, now they grow old, begins to leave them.

id eſt:

Saxo dedit, ſi quid recti tenuere Britanni,
Hoc tamen & cœpit deſtituiſſe ſenes.

Ind:

Inde bibacitatem, crudelitatem, perduellionem, ingratitudinem & similia genti suæ exprobrat; quæ deinde paulo distinctius percenset in alia satyra, quam *Reformation of Manners*, i. e. *Morum Correctionem* vocavit. Nihil enim aliud ubique sibi propositum esse asserit, quam ut perversos hominum mores, qui satyræ finis esse debet, quantum in ipso sit, emendet. Sed satis etiam de hoc.

EXCERPTUM EX EPISTOLA R. P. LE LONG, ex Congregatione Oratorii Parisiensi, ad Virum Illustrem G. G. L. de nova Bibliotheca Scripturæ Sacræ adornanda.

DUo sunt, quæ in hac Epistola R. P. Le Long agit: primum, ut institutum suum, de *Bibliotheca Sacræ Scripturæ* a se componenda, Illustri Viro indicet; alterum, ut commendari sibi roget doctum quendam in Germania Virum, qui auxiliatrices sibi manus in hoc proposito adjungat. Nimirum molitur Clarissimus Epistolæ Auctor vastum Opus, quo Catalogum primo Chronologicum sistet editionum omnium Sacrorum Bibliorum, eorumque fragmentorum, cujuscunque linguæ aut ætatis, etiam ante 1500 annos: Auctores deinde omnes, qui unquam in Scripturam Sacram, aut partem ejus, Commentarios ediderunt, nomen cujusque proprium, cognomen, patriam, religionem, munus atque mortem indicaturus, exhibebit: denique & Dictionariorum ac Grammaticarum linguarum Orientalium, quæ ad Scripturam S. probe intelligendam usui esse possint, Indicem subjiciet. Id consilium se suscepisse monet, quod opus simile tamque late diffusum, a nemine adhuc tentatum nosset; ea vero, quæ de hoc argumento prodierint hactenus, imperfecta deprehendisset, parumque accurata. Nec dissimulat, apparatum jam non contemnendum ad tantum opus se collegisse, & plusquam ter mille Bibliorum editiones ex diversis catalogis annotasse, quarum bis mille aut viderit ipse, aut pro indubitatis agnoscat; numerum quoque ingentem scriptorum cujuscunque idiomatis, seu manuscriptorum, seu typis impressorum se coacervasse. Et nihilominus, ne quicquam neglexisse videretur, quod consummatum magis opus illud

illud reddere poſſet, ſuppetias ſe ex Anglia etiam quæſiturum ait, & in præſenti Epiſtola, ut ad alteram ejus partem deveniamus, ex Germania accerſit. Rogat nimirum Virum Illuſtrem, ut peritum quendam harum rerum hominem ſibi procuret, in Germanicis Bibliorum editionibus & Commentatoribus accurate exhibendis, ſibi coadjutorem. Communicaturum ſe illi ſpondet, quicquid de iis jam ipſe habeat cognitum, expectaturum vero ab eo ſupplementa, quibus & editiones Bibliorum Germanicorum, & Commentarii ſibi nondum explorati indicentur, Scriptorumque paulo uberior notitia impertiatur: pollicitus, ſe non in partem gloriæ ſolum admiſſurum, quicunque fuerit, ſed gratitudinem etiam ſuam quacunque data occaſione eidem teſtaturum, quin & impenſum eam in rem ſtudium, pecuniæ quadam ſumma, de qua inter eos convenerit, remuneraturum.

LIBRI NOVI.

Gerard Brandts Hiſtorie der Reformatie en andere Kerkelyke Geſchiedeniſſen in en ontrent de Nederlanden. Het derde en vierde Deel. Te Rotterdam, by Barent Bos, 1704. 4.

ΟΜΗΡΟΣ ΕΒΡΑΙΟΣ, *ſive Hiſtoria Hebræorum ab Homero conſcripta in Odyſſea & Iliade. Expoſita a Gerardo Cræſo. Tomus I. Dordraci apud Did. Goris, 1704. 8.*

Hiſtoire Critique des Dogmes & des Cultes bons & mauvais, qui ont été dans l' Egliſe depuis Adam jusqu' à Jeſus-Chriſt. Par Mr. Jurieu. A Amſterdam, chez François l' Honoré & Compagnie, 1704. 4.

De Nupero Schiſmate Anglicano Paræneſis ad Exteros, qua jura Episcoporum vetera, eorundemque a Magiſtratu ſeculari independentia, omnibus aſſerenda commendantur, ab Henrico Dodwello. Londini apud Richardum Smith, 1704. 8.

Apologie pour les Proteſtans, qui croyent qu' on ne doit baptizer que ceux qui ſont venus à un âge de raiſon. Par Galenus Abrahamsz. Amſterdam, chez Gerard Kuyper, 1704. 12.

* * * * * * * * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M DCC IV.

CONSILIORUM SIVE RESPONSORUM ALTDORFfinorum Volumen II, adornatum a CHRISTIANO LEONHARDO LEUCHTIO, Reipublicæ Noribergensis Consiliario.

Noribergæ sumtibus Wolffgangi Michaelis, & Johannis Adolphi, 1704, in fol. Constat 7. alph. 6. plag.

Consultissimus Auctor, ante aliquot annos, Consilia sive Responsa celeberrimi JCti, Conradi Rittershusii, Antecessoris quondam in Academia Altdorffina, una cum Supplemento Consiliorum Dinnerianorum, sub titulo Primi Consiliorum Altdorffinorum Voluminis, in publicum emisit. Nunc exhibet Volumen Secundum, in quo B. Henrici Linckens, JCti famigeratissimi, Sereniss. Ducis Palatin. Solisbac. nec non inclytæ Reipublicæ Noribergensis quondam Consiliarii, & Pandectarum in Alma Altdorffina Professoris Publici, centum Consilia sive Responsa, a Facultate Juridica approbata, præcipuasque Juris, tam Ecclesiastici, quam Civilis & Feudalis, controversi quæstiones atque casus difficiles, ex textibus & receptissimis Interpretum placitis, tractantia ac decidentia, continentur; quod quidem diligentissimus Editor ea ratione adornavit, ut non tantum argumenta summariaque singulis Consiliis præmitteret, sed & Consiliorum elenchum ac rerum verborumque indices locupletissimos adjiceret. Nostrum est, speciminis loco, nonnulla Responsa in compendio exhibere. In primo duplex occurrit quæstio, (1) an in Capitulis Protestantibus, Exemtio a Residentia in loco Beneficii, a Principe concessa, sit valida? & (2) an Canonicus, salva conscientia, possit illa

uti? Utraque affirmatur. Licet enim, quoad primam, ex jure Canonico certum ſit, quod omnes Beneficiati ad Reſidentiam perſonalem, in loco Beneficii, teneantur; attamen ob juſtam cauſam, etiam juxta laudati illius juris præſcriptum, obligatio illa ab Epiſcopo remitti poteſt. Cum igitur Jura Epiſcopalia in terris Proteſtantium ſint penes territoriorum Dominos, præterea officium Canonici, non præciſe in Reſidentia perſonali, ſed vita potius pie honeſteque exigenda conſiſtat, adeoque per ejusmodi exemtionem Canonici officium haut deſtruatur, nec abuſus pravaque conſectaria inde metuenda ſint, denique Dominus Territorialis, in propoſita facti ſpecie, ſub ſpecie Conſiliariatus a latere, juxta Juris Canonici permiſſionem, privilegium non-reſidendi conceſſerit, ac Privilegiatus opera pietatis & charitatis, etiam extra Reſidentiæ locum, exercere, & inſuper utilitatem Eccleſiæ ſuæ, conventus Capituli generales viſitando, promovere queat; hinc utique conſequitur, privilegium exemtionis a Reſidentia in loco Beneficii, Canonico, ad prædicationem Verbi Divini & Sacramentorum adminiſtrationem non conſtituto, licite valideque concedi. Atque ex his etiam ſecundæ quæſtionis deciſio affirmativa ultro fluit. Cum enim, juxta Canoniſtas, conſuetudo, quæ talem Reſidentiam remittit, valida ſit; præterea Reſidentia ad partes officii Canonici accidentales ſolum pertineat, neque exemtio ab ea Canonicum a requiſitis officii ſui eſſentialibus liberet, jurive Divino & bonis moribus contraria ſit; non minus quoque jurata promiſſio de facienda Reſidentia, in caſu abſentiæ, ob ſervitia Eccleſiæ, ſecundum jus Canonicum remitti queat; denique Pontificiis nonnullis haut concedi debeat, quod Eccleſiaſticæ leges, cultum Divinum concernentes, obligent in conſcientia; imo, admiſſo hoc, quod leges civiles certo modo conſcientiam obſtringant, attamen vinculum illud diſpenſatio Superioris penitus iterum ſuſtulerit: concludendum omnino erit, quod Exemtus privilegio ſuo illæſa conſcientia uti queat, modo alias pie honeſteque vivat, ac gregem Chriſti, juxta Veterum parœmiam, ſi non ſermone doctrinæ, attamen exemplo vitæ & ſubſidio temporali paſcat. Reſponſum XIX. exhibet controverſiam, inter Medicum & Chirurgum, ob male ab hoc applicata medicamenta, exortam. Denunciaverat ſcilicet Medicus factum Chirurgi

rurgi Magiſtratui, poſtea vero in ſcripto quodam, ad eundem Magiſtratum directo, inter alia dixerat, Chirurgum, ſi artis medendi non fuerit peritus, ut conſcientiæ expertem, temerarium ac levem idiotam egiſſe, quod ægrotum in exitium præcipitaverit, ejusque mortem ſua imprudentia acceleraverit. Cum vero Chirurgus iſta in Medicum retorqueret, hic edoceri hæc petiit, (1) annon Chirurgus, qui contra expreſſam Magiſtratus prohibitionem, medicamenta ægrotis exhibet, ſuaque imprudentia iis damnum affert, titulis illis merito excipiatur? (2) Medicus, qui noxios illos errores ſcientiæ Magiſtratus inſinuat, ab hoc contra injurias ſit defendendus? (3) Chirurgus artem medendi omittere debeat, isque propter injurias atroces, ſub retorſionis ſpecie illatas, carceri includendus, ac inſtituto proceſſu criminali, condigna pœna ſit afficiendus? Ad primam quæſtionem negative reſpondetur. Licet enim tam Medici, quam Chirurgi, graviter peccent, ſi imperitia ſua ægrotis noceant, ac propterea quivis, inprimis vero Medici recte agant, ſi ejusmodi delicta Magiſtratui indicent, quo inſtituta inquiſitione, delinquentibus pœnam imponat; attamen iſta delatio verbis injurioſis fieri non debet, multo minus, denunciatione jam facta, ceu in caſu præſenti acciderat, criminis exprobratio, terminis contumelioſis, ac privatum excandeſcentiæ fervorem indicantibus ſuſcepta, excuſari poteſt, ſed in injuriam incidit. Secunda quæſtio affirmative deciditur, modo Medicus in terminis legitimæ denunciationis ſubſiſtat: hos vero ſi transgrediatur, actio injuriarum, aliaque remedia, perinde contra eum, ac quemvis alium injuriantem, locum inveniunt; cum perſonæ delinquentis dignitas aliave qualitas non tam minuat, quam augeat potius delictum, præterea, dicente Baldo, ubi de ſimplici juſtitia quæritur, non ſint curanda merita perſonarum. Tertia quæſtio, quoad primam partem, quoque affirmatur. Sicut enim in Republica non permittendum eſt, ut opificia confundantur, unusque artifex alterius utatur artificio, ita multo minus concedendum, ut quis limites ſuæ tranſcendat artis, aut per imperitiam nocivis utatur medicamentis. Sed quoad alteram partem, illa negatur. Cum enim Medicus injuriæ illatæ reus omnino ſit, Chirurgus retorſione licite fuit uſus: quia tamen hic, teſtantibus Actis, non in continenti injurias ac-

ceptas retorserat, adeoque in modo retorquendi excesserat, hinc ipse quidem actionem injuriarum, retorsione illegitime instituta amisit, Medicus vero, ob eam, actione injuriarum experiri potest, sed solum civiliter, non ad recantationem, sed deprecationem Christianam, restitutionem expensarum, & pœnam pecuniariam: inquisitio autem locum non habet, cum solum retorquendi modum non recte observaverit Chirurgus, & alias certo constet, mitius eum puniendum esse, qui provocatus deliquit; cum difficile sit, justum animi dolorem compescere, imo, in dubio, provocatus præsumatur id, quod facit, suscipere defensionis, non ultionis gratia. In Responso XXXVIII, Mevius Caji, ex germana sorore nepotis, relictam viduam Cæciliam, uxorem ducturus proponitur: cum vero Magistratus, in concedenda dispensatione, difficilem se præberet, quæsitum est, an (1) in hoc secundo affinitatis lineæ inæqualis gradu, silentibus statutis localibus, dispensatione opus sit? (2) hoc posito, salva conscientia, illa concedi queat, aut (3) ea a Magistratu negata, alio modo licito matrimonium iniri possit? Circa primam quæstionem, dispensatio quidem haut necessaria esse dicitur, si ad sola illa statuta localia respiciamus; ast si, prout par est, legum quoque Divinarum habeamus rationem, de ejus necessitate omnino quærendum esse, amplius asseritur. Imo eam omnino intervenire non posse, circa secundam quæstionem pronunciatur: leges enim Divinas universales, licet non verbis disertis, attamen rationis paritate, matrimonium illud vetare, cum alias personas, in eodem affinitatis gradu constitutas, conjungi prohibeant, ac insuper, in nostro casu, inter personas nupturientes, sit respectus parentum & liberorum. Ex quibus etiam tertiæ quæstionis decisio negativa ultro fluit: licet enim matrimonia ejusmodi contracta, ac hierologia Sacerdotali confirmata, ex sententia nonnullorum, toleranda sint; attamen nec illa opinio est satis tuta, nec a contractis ad contrahenda matrimonia inferre licet, sed hæc potius omnibus modis impedienda sunt.

Teutscher Regierungs- und Ehren-Spiegel 2c.

i. e.

GERMANICI REGIMINIS ET GLORIÆ SPEculum, quo Imperii Germanici ejusque Statuum origo, progressus, splendor, jura ac libertas, nec non Illustrissimarum Familiarum, inprimis Hohenzolleranæ, Genealogia repræsentatur, Auctore JO. ULRICO PREGITZERO D. Consiliario Ducali Würtenbergico e superioribus, & Judicii Aulici Assessore.

Berolini, apud Jo. Mich. Rüdigerum, 1703. in fol. Constat Alph. 2, plag. 15, & iconibus elegantissimis æri incisis 35.

Duo sunt, quæ præsenti opere complecti Celeberrimus Auctor voluit, alterum *Historia Universalis Pragmatica Germaniæ*, alterum *Historia Genealogica Celsissimæ Domus Hohenzolleranæ*. In priore status primum Germaniæ, & in ea diversorum inprimis Nobilitatis graduum proponitur, qualis fuit, antequam in unum Reipublicæ corpus Germania omnis coaluit; enarranturque adeo bella, quæ Germani, illo temporis intervallo, cum Romanis primum, inde cum Francis, aut inter semet, vario Marte gesserunt: dein Germaniæ, postquam Francorum Regno sub Carolo M. juncta esset, nec non postquam a Francia Occidentali sejuncta, peculiare Regnum, axiomate Romani Imperii sub Ottone M. decoratum, constituisset, adeoque a Caroli M. ætate, usque ad hæc nostra tempora, conditio repræsentatur. Integram ergo hic Germaniæ Historiam exhiberi videas, juxta Regum Imperatorumque seriem ita adornatam, ut ubique inprimis Illustrissimarum Germaniæ Domuum fata, variorumque Principatuum origines ac vicissitudines annotentur. De qua quidem operis parte plura non dicimus, sed eam perlegendam Studiosis Juris Publici Germanici relinquimus & commendamus. Ex altera vero parte, qua speciatim Familiæ Zolleranæ, seu Hohenzolleranæ, ortus atque incrementa uberius illustrantur, pluscula delibari, ut brevitatis tamen rationem ex instituti nostri lege habeamus, e re omnino fuerit.

Nimirum, quod ad originem Illustrissimæ Gentis attinet, duas de ea Scriptorum opiniones præcipuas sub examen Auctor

Nobilissimus revocat, dum alii a Columnensibus, celebri ac florentissima hodieque inter Italiæ Principes familia, alii a Guelfis derivare eam annituntur. De priori sic judicat, ut agnationem quidem inter Columnas & Zolleranos lubens meritoque agnoscat; persuasum vero habeat, Columnas, qui originem Germanicam ultro præferunt & gloriæ sibi ducunt, potius a Zolleranis, quam a Columnis Zolleranos descendisse. De altera ita censet, ut Zolleranos non tam a Guelfis prognatos, quam cum Guelfis a communi parente ortos existimet, Isenbardo nempe, ex Merovinga Regum Francorum stirpe profecto, a cujus filio altero Thassilone Zollerani, altero Guelfo Guelfi originem traxerint. Certe ab hoc Thassilone Consultissimus Auctor Zolleranam Domum derivat, quæ cum ultra quatuor secula Comitum auctoritate floruisset, Noribergensis Burggraviatus præterea existimatione, a Rudolpho Habsburgico Imperatore fuit decorata. Cum enim Germaniæ Principum præcipui, Francofurti ad Mœnum, A. 1273 Rudolphum hunc Imperatorem designassent, primumque ejus rei nuntium Rudolpho affini suo, in castris tum ad Basileam considenti, & alia omnia expectanti, Eitel-Fridericus Comes Zolleranus attulisset, hanc ab eo gratiam retulit, ut Burggraviatum Noribergensem consequeretur, Domuique suæ tanquam feudum hæreditarium vindicaret. Nam antea quidem, ex eadem Gente Zollerana, nonnulli Burggraviatu illo functi deprehenduntur, quod nec diffitetur Auctor noster; ut adeo munus illud ambulatorium hactenus fuisse, & ab Imperatoribus pro arbitrio nunc huic, nunc alii collatum, verosimile sit. Ast cessit illud Eitel-Friderico jure hæreditario, quod paulo post, solennibus investituræ literis, quibus idem Imperator Friderico Zollerano (sive is Eitel-Friderici filius fuit, ut cum plerisque antiquiorum Auctor noster arbitratur, sive non fuit, quod recentiores quidam statuunt, sive etiam, quod conjicere forte non plane fuerit absurdum, Eitel-Fridericus ipse) Burggraviatum, seu quæ ipsarum literarum verba sunt, *Comitiam Burggraviæ in Nurnberg*, cum annexis possessionibus & juribus in feudum contulit, eo extensum est, ut deficiente prole mascula, ad filias etiam devolveretur. Divisa vero ea occasione Zollerana Domus in duas lineas fuit, quarum utraque hodienum per Dei gratiam superstes est,

eſt, *Burggraviorum Noribergenſium* & *Comitum Zolleranorum*, ſeu Hohenzolleranorum. Et de illa quidem, quam & in Franconia paulatim acceſſione aliarum ditionum ad ampliorem potentiam emerſiſſe, & extra eam Marchia & Electoratu Brandenburgico, Ducatibusque & Principatibus aliis luculentiſſimis potitam, Regium denique in Boruſſia faſtigium conſcendiſſe, nemo ignorat, pluribus non agit Auctor: hanc autem uberius perſequitur, ejusque Hiſtoriam & Genealogiam, juxta Comitum poſteaque Principum ſeriem, ad hæc usque tempora pertexit. Nobis annotaſſe ex ea ſuffecerit, Zolleranam hanc Comitum Familiam, in duas iterum Lineas, *Hechingenſem* & *Sigmaringenſem*, ſeculo decimo ſexto diviſam fuiſſe, quarum illa ab Eitel-Friderico VI, Caroli I A. 1576 defuncti filio natu majore, hæc a Carolo II natu minore, originem ſortita eſt; utraque vero etiamnum florentiſſima, Principum Imperii dignitate hoc tempore explendeſcit. Et quod *Hechingenſem* quidem Lineam concernit, nemo rerum Germaniæ paulo peritior ignorat, *Joannem Georgium* Eitel-Friderici VI filium, a Ferdinando II Imperatore, in claſſem Principum A. 1623 evectum ſic fuiſſe, ut idem decus ad Primogenitos ſemper Familiæ & Principatus Hohenzollerani regentes devolveretur. Extat diploma Cæſareum apud Limnæum Tomo IV Addit. ad l. 5. c. 9. pag. 878 ſequ. quo Zollerana Domus ex Regio Stemmate orta celebratur, agnoſciturque, eam jam olim Principali dignatione cenſam fuiſſe, quod nonnulli titulo Hochgebohren/& in tabulis publicis formula *Dei gratia* uſi deprehendantur. Sed porro publice etiam cognitum eſt, quod hodiernus Imperator noſter Auguſtiſſimus Leopoldus, *Friderico Wilhelmo*, Ioannis Georgii, primi Principis nepoti, Capiti Hechingenſis hoc tempore Lineæ & Principi regenti Sereniſſimo, gratiam uberiorem contulerit. Cum enim olim a Ferdinando II Principatus honor Celſiſſimæ Familiæ conceſſus, aut reſtitutus potius eſſet, ad Primogenitos reſtrictus ille fuerat, excluſis cæteris utriusque ſexus deſcendentibus: Leopoldi contra diplomate, A. 1692. d. 9 Iulii dato, cautum gratioſiſſime, ut ſublata ad Primogenituram reſtrictione, prærogativa illa Principalis axiomatis ad Friderici Wilhelmi liberos ac poſteros univerſos, ſine ætatis aut ſexus diſcrimine, extenderetur. Quod vero ad Lineam *Sigmaringen-*

gensem attinet, & eam Principum dignitate frui, extra dubium est, & confidenter commemorat Auctor Consultissimus, ad diploma Cæsareum provocans, anno itidem 1623, a Ferdinando II in Ioannem, Caroli II filium, Ioannis Georgii patruelem, idem decus fuisse collatum. Num vero & illi Lineæ concessum jus fuerit, axioma illud ad posteros promiscue, non primogenitos solum, propagandi, ignorare nos fatemur, neque id ab Auctore nostro edocemur. Etsi id dissimulandum non est, & pactum gentilitium unionemque hæreditariam, cum Serenissima Domo Brandenburgica ante annos aliquot initam, & titulum *S. R. Imp. Camerarii Hæreditarii*, ad utramque Lineam pertinere.

GEMMÆ ANTIQUÆ SELECTÆ E MUSEO JACOBI DE WILDE.

Amstelædami, sumtibus Auctoris, 1703. 4.
Constat Alph. 2, & 50 tabulis æneis.

Notissimus erudito orbi, limatique ingenii monumentis inprimis nobilitatus est Spectatissimus Vir, *Jacobus de Wilde*, Rei Maritimæ, quæ Amstelædami curatur, a rationibus. Nam præter *Numismata Selecta*, quæ non inutili, quod exitus docuit, consilio, cum literato orbe anno 1692 communicavit, *Signa* quoque *Antiqua* edidit, in quibus delineandis tyrocinium suum posuit filia ejus Maria, cui præ acu & colo, studia placuerunt alterius Minervæ. De Numismatibus Selectis in Actis anno 1693, p. 122. diximus; neque prætereundum censuimus Doctissimi Viri in hanc eruditionis partem, summum amorem ac incredibile studium, cum Adriani Relandi de numorum quorundam inscriptione commentationem, superiori anno in Actis recenseremus. Signa vero antiqua, ad manus nostras, quod serio dolemus, non pervenerunt. Proinde eo libentius de selectis Gemmis, quæ curante ipso & explanante prodierunt, nunc verba faciemus, eoque declarabimus, non nostra culpa, sed injuria temporum, librorumque multitudine fieri, ut optimis sæpe scriptis locus in his Actis concedi nequeat. Absolvuntur vero Gemmæ hæ Selectæ quinquaginta tabulis, in quarum singularum medium Numinis alicujus antiqui effigies inserta est. Id quod tum demum Nobilissimo Viro in-

TAB. I


Fig. I



V



X



I

in mentem venit, quando Gemmæ dimidiam fere partem in æs ptæ fuerunt. Hinc factum, ut & Gemmæ ipsæ nullo sint ordine collocatæ, & Dii Deæque melius atque ordinatius proferri potuissent, si id ab initio fuisset observatum. Conspiciuntur ergo hic imagines *Cybeles, Isidis, Jovis, Jovis Ammonis, Serapidis, Ledæ, Jani, Saturni, Junonis, Junonis Sospitæ, Neptuni, Neptuni Tridentigeri, Veneris Pelagiæ, Veneris, Cupidinis, Psyches, Plutonis, Proserpinæ, Solis, Apollinis, Apollinis Nomii, Dianæ Venatricis, Dianæ Ephesinæ, Dianæ Triviæ, Cereris, Martis, Palladis, Mercurii, Mercurii Paciferi, Hermanubis, Canopi, Harpocratis, Priapi, Phœbi, Æsculapii, Salutis seu Hygeiæ, Telesphori, Bacchi, Herculis & Eurysthei, Panis, Marsyæ, Genii, Fortunæ, Romuli, Romæ, Victoriæ, Pacis.* Unumquodque Numen brevi explanatione illustratur, allatisque e scriptis Poëtarum sententiis exponitur. Eandem prorsus rationem in exponendis Gemmis sequitur, quarum conjecturas, uti loquitur, ac divinationes totas suas esse, nihil ab ullo emendicatum, nihil alienam industriam contulisse, ingrati cujusdam hominis iniquitate commotus adfirmat, fidenterque cum Cyro illo minore dicit: *ego ista omnia sum dimensus, mei sunt ordines, mea descriptio.* Ad ipsas Gemmas, quarum CLXXXVII hic comparent, quod attinet, eæ ad priscas religiones eo plenius intelligendas faciunt, & ad historiam moresque, ac instituta priorum seculorum pernoscenda, non parum momenti habent. Licet hic intueri *Virginis Vestalis caput, templum Vestæ, Sacra Vestalium, earumque preces ac pœnam, Matrem Deum, Apollinem lyram pulsantem, ante quem Cupido hircum domans, caput Herculis laureatum, Jovis laureatum, Liberæ hedera cinctum, Serapidis, Isidis, Palladis armisonæ galeatum, Cleopatræ cum geminis anguibus in collo, Pietatis vittatum & vittata coma ornatum, capita jugata Herculis & Dianeiræ, Ptolemæi & Arsinoes, caput Platonis, Homeri, capita laureata Julii Cæsaris, Caligulæ, Neronis, tridentes Neptuni, duos equites Castorem & Pollucem stelliferos, templum Delphici Apollinis, Latonam rusticos in ranas mutantem, Dianæ Ephesiæ multimammiæ statuam*, & multo plura alia, ex quibus huc nonnulla cum conjecturis Wildianis transferemus, ut harum rerum cupidi, quod paulo accuratius intuean- TAB. IV. Fig. I.

Pp tur,

tur, habeant. Gemma IV exhibet aram accensam inter pugionem & clypeum, cum inscriptione: NERO VIC SACR. Quæ verba interpretatur: NEROni VICtori SACRum, existimatque, forsan ob victoriam Corbulonis eam Armenia id factam esse, qui Tiridatem coegit Armeniæ regnum a Nerone accipere. Hinc Janus clusus. Allegat ideo Suetonium Jo. Georg. Grævii in Nerone cap. 13, p. 507, & speciatim de ara & armis Ovid. Fast. Lib. I, v. 13

Cæsaris arma canant alii; nos *Cæsaris aras*:
Et quoscunque *Sacris* addidit ille dies.

Fig. 2. De Gemma XIII, qua Capricornus, supra navem rostratam, apposita palma conspicitur, conjicit, procul dubio in memoriam victoriæ navalis Augusti, qui sub signo Capricorni natus erat, confectam esse. Fig. 3. Gemma XX repræsentatur aquila sceptro insistens & alas expandens, quibus insistunt duæ Victoriæ, caput Serapidis coronantes. Forsan, censente Wildio, quod aquila Romana victorias suas ad Ægyptum usque extenderit. Spectant huc, quæ citat, verba e Lucano Suppl. I. 2. pag. 551 depromta:

Cum *Nilo Tibris* tibi serviet, & tua regna
Defendent *Aquilæ* nostræ *Romanaque signa*;
Dum reges inter famulos *Cleopatra* superbos,
Et sceptris subjecta suis nova sceptra videbit.

Fig. 4. Non minus notatu digna est Gemma XXV, M. Curtium sese in specum præcipitantem sistens, de quo Tit. Livius Dec. I, lib. VII, & de Curtio lacu Ovid. Fast. VI, v. 403. Idem Curtius armatus, & exornato equo, manus nunc in cœlum, nunc in patentes terræ hiatus, ad Deos Manes porrigens (adstante muliere, manus suas Fig. 5. pariter attollente) & se in specum immittens, Gemma XLIX comFig. 6. paret. Quæ sexagesima septima est, ita ab eo explicatur, ut existimet, exhiberi ea Regem Parthorum sellæ insidentem, & Senatorem stantem, supra posita Luna crescente. Illustrat hæc verbis Martialis, Lib. 10, Epigr. 72, v. 5.

Ad *Parthos* procul ite pileatos,
Et turpes humilesque, supplicesque,
Pictorum *sola* basiate regum,
Non est hic dominus, sed imperator,
Sed, *justissimus* omnium *senator*.

Fig. 7. In septuagesima intueri licet rotam orbi impositam, inter gubernaculum

aaculum & ariftam, additis fignis Jovis & Mercurii, cum infcriptione FORtunæ AUGufti XXIII, in memoriam, quod Wildio probabile videtur, victoriæ navalis, per quam Auguftus frumenti abundantiam obtinuit. Contra in memoriam Annonæ Imperatoris Hadriani Confulatu tertio, gemmam LXXIII confectam hariolatur, qua fpicæ colligat[illegible]m infcriptione COS III exhibentur. Fig. 8.
Gemma LXXVI comparet libra cum infcriptione, IUS DOMI CORNE hoc eft, conjiciente Wildio, IUStitia DOMItiani in CORNEliam, virginem Veftalium maximam, ex familia Cofforum, captam in locum Læliæ defunctæ, Nerone imperante, olim abfolutam, ac multo poft repetita accufatione convictam, quam Domitianus vivam defodi juffit, tefte Eufebio. Vid. Plin. ep. 4, 11. Gemmam LXXIV, in qua pavo orbi infiftens cum infcriptione AETERNITAS C. S. F. (Confenfu Senatus Factum) memoriam confecrationis Auguftæ cujusdam confervare opinatur. Gemma CXXXVII continetur Chrifti monogrammon ☧ inter alpha & omega, cum infcriptione SAL DON ALEX FIL MA LUCE, hoc eft, interpretante Wildio: Salus Donata Alexandro Filio Mammææ Luce A ☧ Ω id eft Chrifti. Quafi hac gemma monftretur, Alexandrum & Mammæam Chriftianæ religioni faviffe. Gemma CLXIII, ex Auctoris fententia, fiftit Tmolum judicem inter Apollinem & Marfyam lyra & tybiis decertantes, hinc citat Ovid. Met. 11, ver. 153. f. Addit denique Clariffimum Begerum fimilem gemmam in Thefauro Brandenburgico exhibere pag. 190, ubi Bacchus ΑΙΣΥΜΝΗΤΗΣ vocetur, fed credit, Virum doctum non fatis bene obfervaffe iftam gemmam, forte huic fimilem. Solet quippe Wildius nofter diligenter adnotare, fi quid alicubi fimile extet, aut habeatur unde lux accendi queat. Spectat huc Gemma V, Tityum faxo apud inferos diftrictum, & jecinore vulturem pafcentem exhibens: Gemma CV Mutium Scævolam coram Porfenna manum fuam flammis confumentem, & a victoria coronatum fiftens: CLXI Dædalum fibi & Icaro alas fabricantem repræfentans, e quibus nonnulla in Jacobi Gronovii Græcarum Antiquitatum Thefauro inveneris. Ejus Dactyliothecæ Part. I, 148 lucem affundit gemma XXXVI, ubi puella admiratur abundantiam in cornu quod portat. Gemmæ XXIII, qua duo equites, forfan

Fig. 9. Fig. 10. Fig. 11. Fig. 12.

Pp 2 Nero

Nero & Drusus, decurrentes conspiciuntur, similem habet Patinus Imp. fol. 88. Geminum CVII Gemmæ numum Corinthiorum in Coloniis tom. 2. p. 10, & alium ad Gemmam CLXXXIV proxime accedentem c. l. tom. I. p. 306. & tom. 2. p. 12, habet Vaillantius. Tacemus numum Macrini, Gemmæ CXLVII respondentem, de quo idem in Coloniis p. 92. Macarii Abraxas Gemmis CXXXIV, CXXXVI, CXLIX, CL, declarari magisque perspicuus reddi potest. Adjectus rerum index est, cum designatione auctorum, qui in hoc libro citantur.

RELIQUIÆ BODLEJANÆ: OR SOME GENUINE Remains of Sir THOMAS BODLEY.

id est,

THOMÆ BODLEJI GENUINA QUÆDAM SCRIPTA posthuma, Vitam ejus, primas item statutorum publicorum Bibliotheca Oxoniensis lineas, & syllogen Epistolarum ad THOMAM Jamesium complexa.

Londini apud Johannem Hartley, 1703. in 8.

Const. 1 Alph. 2 pl.

Scilicet non uno monumento dignus erat celeberrimus Thomas Bodlejus, cujus in instauranda nobilissima Bibliotheca studium & liberalitas, nunquam commendari satis potest. Neque alia fuit Editori anonymo vulgandi libelli hujus causa, quam ut de immenso Bodleji in colligendo omnis generis librorum apparatu labore, ex ipsius maxime epistolis & scriptis aliis constaret, & plures adeo ad parem liberalitatem excitarentur, hac imprimis ætate, qua decreti olim de libris a bibliopolis Londinensibus Oxoniensi Bibliothecæ gratis inserendis, publico Procerum consensu facti, vis amplius sit nulla. Complectuntur autem hæ *Reliquia* ea, quæ ipsius Bodleji manu scripta, in Bibliotheca Oxoniensi reperta sunt, vitam nempe propriam, quam usque ad anni 1609 finem deduxit, tum prima quædam lineamenta statutorum Bibliothecæ Bodlejanæ, nec non Bodleji epistolas, quæ exceptis duabus, quæ ad Fr. Baconum cognatum, & una, quæ ad Universitatem Oxoniensem dirigitur, ad Thomam Jamesium, primum Bibliothecarium, scriptæ sunt omnes. Verum his recensendis facile supersedemus, cum & epistolæ ad Jamesium tantum non omnes, de novo Bibliothecæ latere exstruendo, de dispo-

disponendis repositoriis, novisque libris, de quibus rarissime judicia insperguntur, inferendis, aut conservandis eorum, qui pecuniæ aut librariæ supellectilis aliquid Bibliothecæ donaverant, nominibus conscriptæ sint: & de vita ipsa Bodleji non tantum anno 1702, mense Julio, cum *Johannis Prince Danmonios Orientales Illustres* recenseremus, ubi eadem plane, quæ de vita sua reliquit Bodlejus, inserta deprehenduntur, verum & jam tum anno 1699, mense Majo, ex his, quæ *Catalogo Manuscriptorum Angliæ* & *Hiberniæ* præmissa sunt, abunde in Actis his dictum sit. Paucis tamen eruditam præfationem perlustrabimus. Omnis, inquit Editor, eruditio a Judæis derivanda est, quandoquidem & Platonem & Pythagoram Judæorum scripta assidue volutasse, testes sunt non contemnendi. Litteris paulatim magis efflorescentibus, bibliothecarum quoque usus, privatarum primo, deinde publicarum invaluit. Inter Ægyptios primus Olymanduas, exstructa bibliotheca, & ΨΥΧΗΣ ΙΑΤΡΕΙΟΝ inscripta, inclaruit; cujus exemplum secutos plures fuisse, vel ex eo patet, quod Neucrates, Homerum Iliada pariter & Odysseam, e celebri quadam Ægypti bibliotheca, plagio abstulisse existimavit, ut habet Eustathius in præfatione ad Odysseam. Eminet tamen inter Ægyptiacas ea, quam Ptolemæus Philadelphus exemplo, ut videtur, Aristotelis collegit, Bibliotheca, septingentis millibus voluminibus constans; qua occasione observat doctissimus Editor, in Isidoro, pro *septuaginta*, legendum esse *septingenta*. Hinc contra Wottonum infert, veteres nequaquam nostris hominibus, quoad litterarum studia, postponendos esse, cum ea omnia volumina fuerint prototypa, publicoque judicio probata, & nihilominus e nostris bibliothecis, computatis licet variis editionibus & iis libris, qui parum sæpe exquisiti sint, nulla tantum numerum complectatur. Atque hic obiter notat Editor, Plinium Juniorem, qui *lassam & effœtam naturam nihil jam laudabile parere* negat L. VI. Ep. 21, Aristotelis sententiæ addictum fuisse, qui primus, post Ocellum Lucanum, mundum statuerit æternum, quam impugnarint contra Stoici & Epicurei, speciatim Lucretius. Non minus & apud Græcos celebrantur bibliothecæ, ut Pergamena, quam Eumenes Attali filius erexit. Noti & Polycrates, Pisistratus, Euclides, Nicocrates, Euripides, Aristoteles, quibus ob

collectæ bibliothecæ gloriam Laurentium suum æquiparat Athenæus. Porro inter Romanos primus bibliothecam Asinius Pollio collegit, statuitque in atrio libertatis; sequentibus vero temporibus Octaviana, Palatina, Tiberiana, Capitolina aliæque floruere. Hinc ad Anglos transit Editor, & quanquam a Romanis potissimum propagatas in Angliam litteras fuisse, non neget, attamen jam tum ante adventum Julii Cæsaris, liberalium artium omnium doctrinas excultas illic fuisse, ex ipsius Cæsaris Commentariis de Bello Gallico probat, speciatim e libro VI, ubi de doctrina Druidum disserit. E quo porro evincere studet, non absimilem tum, ut hodie in Academiis, studiorum rationem obtinuisse, cum frequentes, e vicina Gallia aliisque regionibus, juvenes studiorum gratia in Angliam evolaverint. Cumque militiæ vacationem & tributorum immunitatem haberint, & nonnulli annos vicenos in disciplina permanserint, hinc jura quoque & privilegia quædam Academica obtinuisse, & celebratas fuisse promotiones publicas, verosimile putat Noster. Atque hæc Druidum instituta a Phœnicibus potius, quam Græcis arcessit, quod illi primi credantur arti nauticæ operam dedisse, & commercia cum Britannis, asportandi ex insula stanni causa, instituisse. Bibliothecas tamen Druidas nullas habuisse, ex eo facile intelligitur, quod disciplinam litteris mandare, nefas ducerent. Cum deinde de Academiis Anglicanis agit Editor, haud dubie rejicienda putat, quæ Galfridus Monumetensis (quem alias non prorsus fide indignum esse credit,) de instituta a Bladude Rege Academia Stanfordensi fabulatur; Oxoniensem vero non nisi restauratam ab Ælfredo Rege fuisse, Asserii Menevensis coævi scriptoris testimonio probat, additque, si vel maxime ab eodem Ælfredo institutam demum eam Academiam fuisse concedatur, frustra tamen antiquitatem jactare Cantabrigienses, quorum Academiam anno demum 1109, qui decimus fuit regni Henrici I, natales suos accepisse, diserte tradat Petrus Blesensis. Tametsi vero & ipse Ælfredus bibliothecas quasdam instituerit, celebrior tamen præ aliis est, quam Richardus de Bury, alias Angervyll, Episcopus Dunelmensis, Academiæ consecravit anno 1341, quamque ipse descripsit in libro *Philobiblos, sive de amore librorum & institutione Bibliothecæ*, Parisiis A. 1500 & Oxonii 1599 edito.

Hæc

Hoc exemplum licet alii secuti essent, temporum tamen injuria, pleraque periere; donec tandem inventus est, qui publicam Bibliothecam magna cum laude restauraret, Thomas Bodlejus, vulgo alter Ptolemæus dictus, quod opus inchoavit A. 1597 & perfecit A. 1599. Quantus vero hic librorum impressorum apparatus contineatur, e Catalogo a Thoma Hyde vulgato patet, cujus Supplementum, quod ad minimum æque magnæ molis volumen complebit, prelo paratum est, neque minus de manuscriptis ex impresso Catalogo constat, cui pariter Appendix accedet: numismatum vero, quæ in Bibliotheca asservantur, Catalogum mox prelo subjiciendum esse, nuper publico scripto significatum est.

RITUALE ECCLESIASTICUM. PARS PRIOR. Auctore CASPARE CALVOERIO.

Jenæ, sumptibus J. C. Kœnigii, Bibliopolæ Goslar. 1705. 4. Constat Alph. 6.

Quartus in orbem annus volvitur, ex quo Reverendi maxime Viri *Casparis Calvœrii*, Ecclesiarum Zellerfeldensium in Brunsuico-Luneburgico tractu Superintendentis, *FISSURAS SIONIS*, seu de Schismatibus ac Controversiis, quæ Ecclesiam Domini, ab ascensu ejus ad decursum seculi XVII usque agitarunt, Tractatum Theologico-Historicum, in Actis his *Mens. Nov. 1700. p. 504. seq.* recensuimus. Quo in opere, a Theodoro Jornande quo-d primas lineas suas cœpto, sicut controversiarum Ecclesiasticarum historiam æque, ac elenchum, juxta seculorum seriem succincte tradere allaboravit Calvœrius: ita in præsenti novo industriæ æ fœtu *RITUALE ECCLESIASTICUM* adornare, & in eo maxime origines ac causas rituum, quos Ecclesia, eaque *Evangelica* cumprimis, in vitæ ingressu, progressu, & egressu hodie sert, subnexo ubique ritus cujusvis usu & abusu, evolvere est aucatus. Equidem sunt hodie, qui ritus in Ecclesia omnes cum is templis sublatos penitus mallent, quam eosdem ex Christi ostolorumque instituto, in veræ fidei & libertatis Christianæ domentum, sartos tectosque conservari. Ast quemadmodum hos n abusu merito damnando usum ipsum male rejicere, tum i ex re ipsa constat, tum etiam ex Apologia rei ritualis in uni-

ver-

verſum, luculentius conſtabit, quam ad calcem operis hujus adjectaturum ſe promiſit Calvœrius: hic eorum etiam, ex vulgo maxime, graviter coercenda eſt ſuperſtitio, qui in alterum contra extremum prolapſi, quascunque indiſcriminatim conſuetudines Eccleſiaſticas religioſe nimis colunt, ac pro iis tanquam pro aris & focis pugnant; utut nec veræ ſint, nec antiquæ, ſed ſolum cum Gabeonitarum ſciſſis calceamentis, panibusque macidis, vetuſtatis aut ſanctitatis cujusdam habitum mentiantur. Utrisque horum tacite atque ſenſim recta mediaque in hoc Rituali via oſtenſa eſt, eo, quod Calvœrius non Hiſtoricum nude agat, ſed in enarratione cujuslibet ritus Eccleſiaſtici, ortum ac cauſas iſtius ſolerter ex antiqua Eccleſiæ hiſtoria eruat, ac demum verum illius vel uſum vel abuſum prudenter ſubjungat. Atque hoc inſtitutum eo felicius quoque ceſſit, quo magis ſimul tum de ætate rituum inveſtiganda ſollicitus, annos Conciliorum, Pontificum & Imperatorum margini hinc inde adjecit, ipſosque præterea ritus ex Ebræorum paſſim, Græcorum, Ægyptiorum, Romanorum, aliarumque gentium conſuetudinibus illuſtravit; tum quo concinniori ordini ipſum opus, quoad priorem partem,cui vero quoque poſterior propediem, ceu ſperamus, ſuccedet, ab Auctore fuit ſuperſtructum.

Nam dum ſecundum vitæ humanæ ingreſſum, progreſſum, & egreſſum, *priorem* hanc Ritualis ſui Eccleſiaſtici *partem tribus libris* abſolvit: inde *Libro primo* ritus Eccleſiaſticos, in vitæ ingreſſu obſervari ſuetos, duabus ſectionibus expoſiturus, ritus primum, qui nuptias ſpectant, dein ritus Eccleſiarum Evangelicarum baptismales evolvit. Cum enim conjugium, Nazianzeni effato, humani generis radix ſit, & ex nuptiis, dicente Imperatore, liberi omnisque familiæ ſeries proveniat: ſuo idcirco jure, a ritibus nuptialibus auſpicatur, de ſponſalibus, conſenſu parentum, arris ſponſalitiis, annulo pronubo, oſculo ſponſalitio, proxenetis, proclamatione, convivio nuptiali, ut et de gradibus prohibitis, de connubio imparis religionis, de nuptiis nobilis cum nobili, aliisque, quæ circa nuptias conjugiumque occurrunt, conſuetudinibus, ſectione prima agit. In altera libri hujus ſectione baptismalia contemplaturus, circa exorcizationem, circa trinam aſperſionem, circa veſtimenta baptismalia, circa tempus & ipſum baptizationis actum, maxime occupatur.

Ab

Ab his ritibus *Libro ſecundo* ad ritus in vitæ progreſſu ſeu ante & in S. Euchariſtiæ uſu obſervari ſolitos progreditur. Atque quidem ſectione prima catechizationem, confirmationem, confeſſionem, abſolutionem, omnesque huc ſpectantes ritus, v. g. confitentium genuflexionem, ſellam confeſſionariam, communicantium jejunium, & quæ ſunt cetera, perluſtrat. Sectione autem ſecunda ipſam Euchariſtiam, Miſſam vulgo dictam, ejusque ritus ſpecialius paulo exequitur, ibique ſimul de precibus ac hymnis Eccleſiaſticis, de lectione aut cantu Epiſtolarum ac Evangeliorum, de concionibus earumque ordine ac partibus, de collectione eleemoſynarum, de oratione Dominica et precibus pro infirmis, de diebus liturgicis, aliaque ſcitu maxime neceſſaria capita haud proletarie pertractat.

Tandem *Libro tertio* ritus in vitæ egreſſu obſervari ſolitos exhibiturus, ſectione prima ritus funerum præparatorios, v. g. oculorum compreſſionem, manuum complicationem, veſtitum & locum ſepulcralem, indictionem funeris &c. ſectione ſecunda funeris deductionem; ſectione tertia funeris humationem; & ſectione quarta humationis concomitantes & conſequentes ritus, v. g. concionem funebrem, ſermonem parentalem, epulum funebre, eleemoſynarum poſt exequias diſtributionem, enarrat.

Nos in tanta rerum farragine dubii, quid ſigillatim ſpeciminis inde loco exhibeamus, vel tria ſaltim, de nummo confeſſionario, de cereis ad Euchariſtiam accenſis, item de communicantibus gladiatis, ex eo commemorabimus. Scilicet de *nummo confeſſionario* L. II. *Sect. 1. cap. 9. p.* 365. obſervat Calvœrius, eum ex ſacrificiis veterum ortum trahere. Nam antiqui fœderis ſacerdotes partem ſuam, uti ex ſacrificiis plerisque, ita & ex ἱλαστικοῖς & expiatoriis cumprimis, nec non ex ſacrificiis dapalibus ac frumentaceis, vini utplurimum libamento auctis, ſumebant. Imitabatur hunc morem primitiva Eccleſia, ubi pars δώρων ἁγίων, ſanctarumque panis & vini in ſacrificii celebrationem factarum oblationum, confectioni Euchariſtiæ, pars ſacerdotibus, pauperibusque, in uſum præſertim Agaparum, cedebat. Abrogatis autem Agapis, panis & vini miſſiones in argenti oblationem, ceu prioribus commodiorem, commutabantur; quin jam ante illa tempora auri ac ar-

genti oblationem non inusitatam fuisse, colligit Calvœrius ex Cypriani increpatoria ob corbonam a divite femina neglectam, & ex Ammiani Marcellini ethnici invidia, qua in Concilio Laodiceno indignatus est, Clerum Romanum sacrificiis præcipue ad regiam ferme opulentiam ditatum. Recentioribus temporibus, Petrum Damiani Gregorium Turonensem & Cardinalem Bonam, pecuniæ, panis & vini loco sacerdotibus oblatæ, meminisse, & Petrum Damiani quidem maxime testari, quod sibi Missarum mysteria celebranti, ab uxoribus Principum *Byzantei*, seu, quod erant, nummi aurei Byzantei, oblati fuerint. Quod autem prompta adeo antiquis temporibus doni hujus sacri solutio fuerit, has subesse causas Noster existimat: quod agape sive eleemosyna peccatorum remissionem ac redemptionem procurare credebatur: quod jam olim fideles, pro redemptione animæ ac capitis, siclum solverant: porro, quod, quum vice quotidianæ communionis, tribus præcipuis festivitatibus, more Synagogæ, ad Mysteria celebranda aris advolverentur, mirum haud est, vacuos eosdem non accessisse. Post hæc nec prætereundam hoc loco Calvœrius commonet, tum manumissionem in Ecclesia, qua servus ab Episcopo libertate, offerente eum in finem domino libellum, donabatur; tum manumissionem per denarium, apud Francos ac Trans-Rhenanos lege Salica usitatam, qua servi denario jactato in libertatem vindicabantur. Facili enim hinc negotio, uti denarium S. Petri in Angliam, aliasque regiones, ita & sanctum denarium in Franciam reliquasque Germaniæ terras, quando videlicet manumissio ac libertas e peccatorum pœnitentiæque vinculis ac servitute sollicitabatur, introduci potuisse. Affines certe esse huic per denarium manumissioni indulgentias, quæ pretio secundum taxam curiæ Romanæ soluto concedebantur. Quod quum in Germania potissimum, paulo ante reformationem, licentius ac amplissime, J. A. Thuano teste, fieret, Germanos absque dubio illi rei assuetos, ac post illos alios, pio gratoque animo consuetudinem, post tributam a sacerdote peccatorum solutionem, vicissim nummum confessionarium in ministrorum ecclesiæ sustentationem solvendi, retinuisse; inprimis quum jam tum in Ecclesia Romana, apud nobiliores præcipue, mos ad altare offerendi obsolevisset. Sed de his conjecturis penes alios mavult

mavult esse Calvœrius sententiam, quam eas suas facere. Deinde ex Dedekenno Responsum aliquod Facultatis Theologicæ Lipsiensis recenset, in quo innocuus nummi confessionarii usus, uno alterove argumento pie adstruitur, & qui sedulo vitandus sit, ejusdem abusus declaratur. Cui Responso, ex alio quodam Facultatis Wittebergensis, duas circa usum nummi confessionarii cautelas subjungit : unam, informandum esse crebro populum, nummo confessionario neutiquam absolutionem vendi aut coëmi, sed esse illum duntaxat donum & signum grati animi, quod tamen salva conscientia dari & non dari possit : alterum, si scandalum aliquod ex hoc ritu alicubi metuendum sit, admonendos esse auditores, ut alio potius tempore locove suam erga ministrum beneficentiam & *ἐυεργεσίαν* declarent. Id quod consilium salutare ut ad rem modo hodie deducatur, eoque multis sæpenumero nundinationibus, pleonexiæ, adulationibus, invidiæ ac contentionibus inter symmystas, aliisque scandalosis opprobramentis obviam eatur, serio Auctor noster suadet atque exoptat. Imo jam quoque addit, a variis vario circa ritum hunc in ecclesia malo medicinam fuisse quæsitam, dum vel plane abrogaverint nummum confessionarium; vel commutaverint eum in spontaneam oblationem, quæ vel ante confessionem in ædes parochiales mittatur, aut post confessionem super altare, sive etiam post percepta mysteria, illic super aram, alibi in patellam reponatur, quam sacram dein collectam æqualiter ministri inter se invicem partiantur. Aliis in locis alia demum subjungit ratione prospici animarum curatoribus, unde cum suis possint vivere. Interea tamen usum manere, abusum autem tolli, satius esse existimat, si alio modo causæ consuli non possit.

De *cereis ad Eucharistiam accensis*, ostenso prius prolixe ignis sacri apud gentes propemodum omnes ortu & usu, L. II. *sect. II. cap. 92 p. 739.* observat, primigenios Christianos non tam cereis, quam lampadibus aut lucernis, vel in mensa S. Mysteriorum positis, vel super eam Judæorum ritu suspensis, in nocturnis suis conventibus, quibus sacrum celebrabant, esse usos. Adhibitos quoque ab iisdem fuisse cereos, vel potius lucernas, primum ad ipsam fidelium Missam seu epuli Dominici celebrationem; post-

modum etiam ad Evangelii lectionem fuiſſe accenſas; at paulo poſt per univerſam Miſſam fulſiſſe. Inde de ſeculo, quo diurnæ ad S. Cœnam lucernæ vel cerei, abolitis ſenſim nocturnis, in ecclesia inoleverint, ſollicitus, Hieronymi ævo multijugum jam luminum ad S. Cœnæ celebrationem uſum fuiſſe, valde dubitat: quum Hieronymus cereos a Chriſtianis non clara luce accendi, ſed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperarent, ſtrenue adverſus Vigilantium aſſerat; & jam ante Hieronymum, Lactantius paganis exprobrarit, quod de die Deo, luminis auctori & datori, velut in tenebris agenti, lumina accendant, qui aliud longe a nobis lumen exigat, idque non fumidum, ſed liquidum & clarum, id eſt, mentis. Unde ſeculum demum V præcipuum diurnarum lucernarum, tum in memoriam Cœnæ ſacratiſſimæ a Chriſto noctu inſtitutæ, tum ex religione in martyres accenſarum, natalem fuiſſe, Calvœrius ſuſpicatur. Poſtmodum, num lychnis ſive lampadibus, an vero candelis primitus Chriſtiani uſi fuerint, ſpeciatim diſceptaturus, olei uſum candelis utique longe antiquiorem, & veteres Chriſtianos lucernis potius, quam candelis uſos eſſe, vel ex *lucernariarum precum* nomine conjecturari poſſe, commonet. Id quod ulterius ex eo comprobat, quod de Narciſſo referat Euſebius, eum aliquando, cum oleum, in vigiliis Paſchæ, conſervandis eccleſiæ luminibus deeſſet, aquam juſſiſſe lucernis infundi. Quin & canonem Apoſtolorum edicere, ne liceat aliud aliquid ad altare offerre, præter ἔλαιον εἰς τὴν λυχνίαν, oleum in lampadem. Aſt quamvis Chryſoſtomus etiam lucernas de argenteis catenis ſuſpenſas alicubi memoret: nihilominus tamen ipſum Chryſoſtomum cereos in nocturnis antiphonis inſtituiſſe. Præterea tum jam Eliberini Concilii ævo cereorum uſum fuiſſe introductum, ex canone XXXIV, & Conſtantini ætate tam lampadum quam cereorum uſum promiſcue viguiſſe, ex Euſebio conſtare. Cur vero duo hodie ſaltem ad Miſſam cerei accendi ſoleant, id ex Romanæ Eccleſiæ ritu fieri reſpondet Calvœrius, atque hoc tum ob proportionem, tum ob periculum, ne ſi una forſan extingueretur, ſine omni luce aut igne, quod in lucernariis ac nocturnis cumprimis officiis absque ſummo incommodo haud factum fuiſſet, S. Myſterium foret celebrandum. In univerſum autem luminaria

minaria idcirco ad Missam lucere affirmat, quo sub typo corporalis luminis admoneamur, ut lucernas ardentes, instar Virginum sapientum, in manibus habentes, illud lumen in Sacramento quæramus, quod omnem hominem illuminat, & sine quo etiam in meridie, perinde ac in nocte, palpamus.

A cereis ad *communicantes gladiatos* convertimur. Irrepsisse scilicet L. *II. Sect. II. cap. 72.* de communicantibus gladiatis *p. 691.* queritur Calvœrius, inter nonnullos hodie, umbræ propriæ adoratores, in ecclesia nostra morem novum, quo haud vereantur, uti ad baptismatis & confessionis, ita & ad tremenda divinæ cœnæ mysteria gladiati prorumpere. Nescium se esse dicit, an exemplo Israelitarum, qui armati arcam fœderis comitantes circuibant, Hierochuntem urbem expugnaturi, id faciant; an vero Chaldæorum aliorumve Barbarorum, quos Sophocles ita loquentes introducat:

Eramus autem parati, & ferrum tollere manibus,
Et ignem dividere, & Deos adjurare.

Equidem ex Christophori Arnoldi libro de Idolis Saxonum, aliisque scriptoribus certum esse, Allemannos olim, Christianos factos, armatos ad S. Mysteria accessisse; usque dum Carolus M. pia prudentia armis sacra tractare interdixerit. Ast utut nihilominus ipse Carolus M. cataphracta deaurata cinctus, solitus fuerit, præcipue bellum aditurus, Canonicorum laudes Numinis decantantium choris se miscere: attamen gladiata sacra cultui Divino & primævo Christianismo neutiquam esse conformia. Saulum certe, quoties se Prophetarum choris jungeret, vestes suas, Regias nimirum, aut ceu alii exponunt, militares exuisse, nudatumque vestimentis istis se in terram projecisse. Similiter Regem David, linteo Ephod indutum, extrema demissione arcam fœderis esse comitatum. Neque Regem Ninive erubuisse, pœnitentiam acturum de throno descendere, purpuraque posita, sacco indutum cineri advolvi. Adhæc Chrysostomum de sui temporis Christianorum Regibus testari, eos limen Ecclesiæ ingredientes deposuisse coronam, et crucem Christi in frontibus depinxisse. *Foris*, inde eum dicere, *arma, hic mysteria: foris scuta, hic sacramentorum celebrationem.* Quem Chrysostomi locum ex celeberrimo Guilielmo Caveo

Noſter ulterius illuſtrat. Jungit his argumentis, quod antiquo olim ritu omnes, ſecus ac in veteri paſchali agno fiebat, ſtatim ac Diaconus Evangelium prælegere incipiebat, baculos depoſuerint, ſecundum illud Hildeberti:

Plebs baculos ponit, ſtat, retegitque caput.

Sic etiam Conſules Romanos perſuaſos fuiſſe, ſecures removere, faſcesque, in ſacris cumprimis, deponere, prudentis eſſe modeſtiæ. Præterea ipſo jure Divino arma a ſacris locis eorumque aris videri proſcripta, adeo ut ſi cædes voluntaria patrata, & cornua altaris arrepta fuerint, non ſolum inter Iſraelitas facinoroſi ab iisdem prius extra tabernaculum protrahi, ibidemque necari debuerint; ſed & apud ipſos Ethnicos aræ ſupplicum ſemper aſyla permanſerint ac perfugia. Denique quod maximum, veterum Chriſtianorum ſimplicitatem ne pictas quidem veſtes, nec coronas militares, multo minus enſes ac gladios in ſacris toleraſſe. Quapropter ſerio Calvœrius noſter communicaturos gladiatos admonet, ne armis accincti, ceu bellum cum Cyclopibus cœlo illaturi, aut inſtar ferocium victorum faſtuoſum triumphum acturi, ad ſanctiſſimum Domini adytum prorumpant, ſed depoſito omni armorum ac ferociæ ſtrepitu, ad pedes ſummi Regis proſternantur, ad inſtar publicani per peccata depreſſi, omnem Phariſæi tumorem penitus ejurantes.

Sed quam in his aliisque ſubinde capitibus moderationem & circumſpectionem, quoad ritus alicujus Eccleſiaſtici uſum vel retinendum, vel abuſum ſenſim ac ſenſim abolendum, Calvœrius urget & præcipit: eam vel in *Abſolutione* maxime neceſſariam eſſe, proprio quodam exemplo, quod ultimo adhuc loco adjicere liceat, perdocet. Optaverat modo ſub finem *cap. X.* Lib. II. *ſect. 1. p. 382.* ut ne adeo feſtinarent plurimi ad abſolutionem tum petendam, tum dandam; ſed ut vetus ſalutaris diſciplinæ medicina, ſecundum Chemnitii aliorumque virorum Dei vota, Eccleſiæ reſtitueretur. Ac dum hæc ſcribit, avocari ſe hac ipſa hora memorat, ad Empæctam veteranum, quo ultimo viatico eundem inſtrueret. Is ipſe a Calvœrio idem viaticum petierat tribus ab eo tempore hebdomadibus: hydrope enim affligebatur. Enimvero cum in corrigendo homine per aliquot annos operam perdidiſſet, veritus ne in judicium, roborationemque ſecuritatis, quod jam ante

receerat,

fecerat, sibi escam vitæ sumeret, renuisse se primum viaticum dare, dicit Calvœrius: nec enim ultima adesse judicasse. Injunxisse se tamen addit viro certa pœnitentiæ exercitia, quotidie peragenda, inspicientibus ac denunciantibus id domesticis. Subegisse demum etiam eadem, Spiritus S. gratia, cor lapideum, eo quidem successu, ut quum extrema hominem urgere nunciatum esset, ac ipse denuo vocaretur, lacrymas & voces contriti cordis nuncias, cum anhela gratiæ siti, ingressus ad eum observarit, quibus denique etiam impulsus fuerit, ut cum viatico hominem dimitteret. Non igitur contemnenda esse, inde colligit Calvœrius, restituendæ disciplinæ desideria; est tamen & cavendum, ne forte cum Novatianis nimia severitate misericordiæ hostes, pœnitentiæque interfectores facti, tandem aliquando, nec ovem sauciam nos curasse, & propter unam sauciam, multas integras perdidisse judicemur.

SPECIMEN METHODI GENERALIS DETERMINANDI Figurarum Quadraturas. Autore JO. CRAIG.

Depromtum ex Actis Philosophicis Anglicanis No. 284. Mens. Mart. et April. 16703, pag. 1346. sqq.

SECTIO I.

SIT $z^m + ay^n = bz^e y^r$ æquatio exprimens relationem inter ordinatam z & abscissam y; in qua Exponentes m, n, e, r, denotant quoslibet Numeros, Integros vel Fractos, Affirmativos vel Negativos. Ponatur $r - n = c$. Erit

$$\text{AREA} = \frac{m}{m+n} zy + \frac{mc+ne}{m \times \overline{m+n} \times \overline{c+1} + n \times \overline{m+n} \times \overline{e+1}} \frac{b}{a} z^{e+1} y^{c+1} +$$

$$\frac{\overline{m-e} \times \overline{c+1} + r \times \overline{e+1}}{m \times \overline{2c+1} + n \times \overline{2c+1}} \frac{bB}{a} z^{2e+1} y^{2c+1} +$$

m—x

$$\frac{\overline{m-e}\times\overline{2c+1}+r\times\overline{2e+1}}{m\times\overline{3c+1}+n\times\overline{3e+1}}+\frac{bC}{a}z^{3e+1}y^{3c+1}+$$

$$\frac{\overline{m-e}\times\overline{3c+1}+r\times\overline{3e+1}}{m\times\overline{4c+1}+n\times\overline{4e+1}}+\frac{bD}{a}z^{4e+1}y^{4c+1}+$$

$$\frac{\overline{m-e}\times\overline{4c+1}+r\times\overline{4e+1}}{m\times\overline{5c+1}+n\times\overline{5e+1}}+\frac{bE}{a}z^{5e+1}y^{5c+1}+ \&c.$$

De hac Serie hæc ſunt notanda : (1.) Quod literæ majuſculæ B, C, D, &c. deſignent coefficientes terminorum ipſis immediate præcedentium : (2.) Quod exhibeat Quadraturas omnium Figurarum Quadrabilium , quarum Curvæ per æquationem trium terminorum definiuntur : (3.) Et quod ſemper ſint Quadrabiles, quando $\frac{m \times r - r}{mn - rm - en}$ eſt numerus integer & affirmativus, quem vocemus l. (4.) Speciatim $l+1$ dat numerum Terminorum (ab initio ſumptorum) Seriei Aream quæſitam conſtituentium : (5.) Quod ſi ponatur $e=0$, mutabitur hæc Series in celebre Theorema Newtonianum pro Binomio communi; & proinde hoc Theorema eſt hujus Seriei caſus ſpecialis & ſimplex : (6.) Cum ſit Applicatio hujus Seriei ad Figuram particularem, hæ regulæ ſunt obſervandæ. 1ª. Reducatur æquatio Curvam datam definiens ad formam generalem , & ex comparatione particularis cum generali invenientur coefficientes a, b ; ut & exponentes m, n, e, r. Secunda , ſi exponentes ſic determinati non faciant l numerum integrum & affirmativum , (juxta conditionem in Not. 3. aſſignatam ,) tum alius terminus æquationis particularis a quan-

a quantitate z liberetur: & si nunc exponentibus denuo determinatis non competat illa Quadrabilitatis conditio, tum reliquus terminus a quantitate z liberetur: Nam nullo labore quilibet ex tribus terminis æquationem datam constituentibus a quantitate z liberari potest. Tertia, si æquationi per Regulam præcedentem tractatæ non conveniat prædicta Quadrabilitatis conditio, tum per Seriem quæratur Areæ complementum $\int: y\,d\,z$: quo cognito statim habetur Area quæsita; nam, ut omnibus notum, $z\,y - \int: y\,d\,z = \int: z\,d\,y$. Et ut sine confusione Complementum per Seriem obtineatur; in æquatione data Curvam particularem definiente pro z scribatur Y, & pro y scribatur Z: Factaque hac mutatione Ordinatæ in Abscissam, & Abscissæ in Ordinatam, tractetur æquatio juxta præcepta regulæ secundæ; donec illi conveniat Quadrabilitatis conditio, vel eandem ipsi non posse convenire pateat.

Exemplum 1. Sit $z^3 + y^3 = b\,z\,y$. Quia hic $m = 3$, $n = 3$, $e = 1$, $r = 1$, $a = 1$; ideo $l = 1$, adeoque $l + 1 = 2$. Et proinde (juxta Not. 4.) duo primi Seriei termini dant Aream $= \frac{1}{2} z\,y - \frac{1}{6} b z^2\,y^{\cdot\cdot 1}$.

Exemp. 2. Sit $z^7 + a\,y^3 = b\,z\,y^2$, ubi $m = 7$, $n = 3$, $e = 1$, $r = 2$; qui faciunt $l = 2$; ideo (juxta Not. 4.) tres primi Seriei termini dabunt quæsitam

$$\text{AREAM} = \frac{7}{10} z\,y - \frac{b}{15a} z^2 - \frac{2b^2}{15a^2} z^3\,y^{\cdot\cdot 1}.$$

Exemp. 3. Sit $z^3 + k\,y^5 = h\,z^{\cdot\cdot 2}\,y^{11}$; ubi $m = r$, $n = 5$, $e = 2$, $r = 11$; at quia hi non faciunt l numerum integrum & affirmativum; ideo (per Regulam secundam) libero terminum $h\,z^{\cdot\cdot 2}\,y^{11}$ a quantitate z; & sic æquatio fit $z^5 - h\,y^{11} = -k\,z^2\,y^5$; ubi $a = -h$, $b = -k$; & $m = 5$, $n = 11$, $e = 2$, $r = e$; qui faciunt $l = 1$: Unde

$$\text{AREA} = \frac{5}{16} z\,y - \frac{k}{16h} z^3\,y^{\cdot\cdot 5}.$$

Rr *Exemp.*

Exemp. 4. Sit $z^2 - h y^2 = - k z^2 y^2$; ubi m $=2$, n $=2$, e $=2$, r $=2$; qui non faciunt l numerum integrum & affirmativum; ideo libero terminum $- k z^2 y^2$ a quantitate z; & tum $z^0 + k y^2 = h z^{-2} y^2$; ubi a $= k$, $= b\, h$; & m $=0$, n $=2$, e $= -2$, r $=2$, qui faciunt l $=1$, ideo

$$\text{AREA} = \frac{h}{k} z^{-1} y$$

Exemp. 5. Sit $z^2 - \frac{4g^2}{h} y^6 = - \frac{g}{h} z^4 y^4$; ubi m $=2$, n $=6$, e $=2$, r $=4$; qui non faciunt l numerum integrum & affirmativum; idemque contingit liberato (a quantitate z) utrolibet ex reliquis: Ideo juxta regulam Tertiam quæro Complementum; quare (ut jam præmonui) pono z $=$ Y; y $=$ Z; unde æquatio data erit

$$Y^2 - \frac{4g^2}{h} Z^6 = - \frac{g}{h} Z^4 Y^2;$$

quæ (juxta Reg. 1.) reducta ad formam generalem erit hujus modi $Z^6 - \frac{h}{4g^2} Y^2 = \frac{1}{4g} Z^4 Y^2$ ubi m $=6$, n $=2$, e $=4$, r $=2$; qui non faciunt l numerum integrum & affirmativum; ideo (juxta Reg. 2.) libero terminum ultimum a Z; unde $Z^2 - \frac{1}{4g} Y^2 = \frac{h}{4g^2} Z^{-4} Y^2$ ubi m $=2$, n $=2$, e $= -4$, r $=2$; unde l $=1$; & a $= -\frac{1}{4g}$, b $= \frac{h}{4g^2}$;

Unde Areæ quæsitæ complementum est

=

$$= \tfrac{1}{2} ZY - \frac{h}{2g} Z^{-3} Y \text{ seu } \tfrac{1}{2} zy - \frac{h}{2g} z y^{-3};$$

Ergo etiam Area quæsita $\int : z\,dy = \tfrac{1}{2} zy + \frac{h}{2g} z y^{-3}$

SECTIO II.

Sit $z^m + a y^n = b z^{2e} y^{2c+n} + f z^e y^{c+n}$ æquatio exprimens Relationem inter Ordinatam z & Abscissam y. Erit

$$\text{AREA} = Azy + Bz^{e+1} y^{c+1} + Cz^{2e+1} y^{2c+1} + Dz^{3e+1} y^{3c+1} + Ez^{4e+1} y^{4c+1} + Fz^{5e+1} y^{5c+1}, \text{ \&c.}$$

Ubi (positis $2c + n = r$, $c + n = s$) $A = \dfrac{n}{m+n}$;

$$B = \frac{\overline{m - e + s} \times A + e - m}{m \times \overline{e+1} + n \times \overline{e+1}} \times \frac{f}{a}$$

$$C = \frac{\overline{m - 2e + r} \times bA + \overline{\overline{m-e} \times \overline{c+1} + r \times \overline{e+1}} \times fB + 2eb - mb,}{ma \times \overline{2c+1} + na \times \overline{2e+1}}$$

$$D = \frac{\overline{\overline{m-2e} \times \overline{c+1} + r \times \overline{e+1}} \times bB + \overline{\overline{m-e} \times \overline{2c+1} + s \times \overline{2e+1}} \times fC}{ma \times \overline{3c+1} + na \times \overline{3e+1}}$$

$$E = \frac{\overline{\overline{m-2e}\times\overline{2c+1}+r\times\overline{2e+1}}\times bC+\overline{\overline{m-e}\times\overline{3c+1}+s\times\overline{3e+1}}\times f \ldots}{ma\times\overline{4c+1}+na\times\overline{4e+1}}$$

$$F = \frac{\overline{\overline{m-2e}\times\overline{3c+1}+r\times\overline{3e+1}}\times bD+\overline{\overline{m-e}\times\overline{4c+1}+s\times\overline{4e+1}}\times fF}{ma\times\overline{5c+1}+na\times\overline{5e+1}}$$

De hac Serie (cujus progresſio primo fere intuitu eſt mani-feſta, hæc ſunt notanda. (1.) Quod figuræ (quarum Curvæ prædicta æquatione definiuntur) ſunt Quadrabiles, quando Numeri exponentiales m, n, e, c; & coefficientes a, b, f, habent relationes modo aſſignandas;

ſcil: quando $\frac{\overline{2c+m}\times\overline{n-2e}}{-cm-en}$ eſt numerus integer & affirmati… quem vocemus l. & (cum l eſt major quam 2) quando Co… entium relatio eſt hæc

$$\frac{\overline{m-2e}\times\overline{lc-c+1}+r\times\overline{le-e+1}}{\overline{e-m}\times\overline{lc+1}-s\times\overline{le+1}}\times\frac{bU}{f} =$$

$$\frac{\overline{m-2e}\times\overline{lc-2c+1}+r\times\overline{le-2e+1}}{m\times\overline{lc+1}+n\times\overline{le+1}}\times\frac{bP}{a}$$

$$\frac{\overline{m-e}\times\overline{lc-c+1}+r\times\overline{le-e+1}}{m\times\overline{lc+1}+n\times\overline{le+1}}\times\frac{fU}{a}$$

Ubi U & P denotant Coefficientes Terminorum duorum, qui immediate præcedunt ultimo Areæ quæſitæ Termino; ſcil: U eſt…

est coefficiens termini ad ultimum propioris, P coefficiens termini ab ultimo remotioris: ut si $Fz^{5c+1}\,y^{5c+1}$ esset ultimus Areæ quæsitæ terminus, tum U denotaret E, & P denotaret D. (2) Ultimus ille Areæ quæsitæ terminus ex valore numeri l cognoscitur; nam hic etiam l+1 dat numerum terminorum (ab initio sumptorum) Seriei, qui Aream quæsitam constituunt. (3) Si fuerit l=1, tum coefficientium relatio debet esse hæc

$$\frac{\overline{2e-m}\times\overline{1-A}+rA}{\overline{e-m}\times\overline{c+1}-s\times\overline{e+1}}\times\frac{b}{f}=\frac{\overline{e-m}\times\overline{1-A}+sA}{m\times\overline{c+1}+n\times\overline{e+1}}\times\frac{f}{a};$$

Si l=2; relatio debet esse hæc

$$\frac{\overline{m-2e}\times\overline{c+1}+r\times\overline{e+1}}{\overline{c-m}\times\overline{2c+1}-s\times\overline{2e+1}}\times\frac{bB}{f}=$$

$$\frac{\overline{2e-m}\times\overline{1-A}+rA}{m\times\overline{2c+1}+n\times\overline{2e+1}}\times\frac{b}{a}+$$

$$\frac{\overline{m-e}\times\overline{c+1}+s\times\overline{e+1}}{m\times\overline{2c+1}+n\times\overline{2e+1}}\times\frac{fB}{a}$$

SECTIO III.

SIT $z^m = ay^n + bz^e y^{c+n} \mp fz^{2e} y^{2c+n} +$

Rr 3 gz

$gz^{3e} y^{3c+n} + hz^{4e} y^{4c+n} +$ &c. æquatio exprimens relationem inter ordinatam z & abſciſſam y; & conſtans terminis quotcunque. Erit

$$\text{Area} = Azy + Bz^{e+1} y^{c+1} + Cz^{2e+1} y^{2c+1} + Dz^{3e+1} y^{3c+1} + Ez^{4e+1} y^{4c+1} + \text{\&c.}$$

Quod, ni fallor, eſt Theorema non contemnendum. Calculo perfacili inveniuntur A, B, C, D, E, &c. ut & Quadrabilitatis conditiones, & quot termini ſeriei Aream quæſitam conſtituant. Creſcit quidem numerus harum conditionum pro multitudine terminorum, ex quibus conſtat æquatio relationem inter z & y definiens. Et ſpeciatim ſi illa terminorum multitudo vocetur N; tum N—2 eſt numerus conditionum Quadrabilitatis; quarum una Exponentium m, n, e, c relationem reſpicit, eſtque hæc; ut

$$\frac{Nc - 2c + 2e - Ne + m + n}{-cm = en},$$

eſt numerus (quem vocemus l) Integer & affirmativus. Reliquæ vero conditiones coefficientium a, b, f, g, h, &c. reſpiciunt. Ac denique $l + 1$ dat numerum terminorum (ab initio ſumptorum) Seriei, qui Aream quæſitam conſtituunt.

Corol. Ex hac Serie generali deduci poteſt Series, quæ exhibeat Quadraturas Figurarum, quarum Curvæ definiuntur per æquationem conſtantem terminis quibusvis, qui æquationem Sectionis tertiæ generalem conſtituunt. Nam ad hanc obtinendam opus tantum eſt Seriem computare pro æquatione conſtante tot terminis (ab initio ſumptis) æquationis generalis, quot includet Terminos æquatio Curvas definiens. Tum ex valoribus quantitatum A, B, C, D, &c. eliminentur illæ coefficientes b, f, g, &c. quæ

quæ ad æquationem propositam non spectant; reliquæ dabunt aream quæsitam. Exemplo res patebit.

SECTIO IV.

Sit $z^m = ay^n + bz^e y^{c+n} + gz^{3e} y^{3c+n}$. æquatio exprimens relationem inter Z & Y. Jam quia $z^m = ay^n + bz^e y^{c+n} + fz^{2e} y^{2c+n} + gz^{3e} y^{3c+n}$ est illa pars æquationis quæ (sumptis terminis in ordine a principio) includit æquationem datam; quam deinceps (brevitatis causa) æquationem completam vocabo; ideo Figurarum (quarum Curvæ definiuntur per æquationem completam)

$$\ldots = Azy + Bz^{e+1} y^{c+1} + Cz^{2e+1} y^{2c+1} + \ldots$$

$$\ldots y^{3c+1} + Ez^{4e+1} y^{4c+1} + Fz^{5e+1} y^{5c+1} + \&c.$$

… … ingredientur valores quantitatum B, C, D, E, F … Si … his valoribus ponatur ubique $f = o$ (quia … æquationem datam non ingreditur) habebis valores … quantitatum … , D, E, &c. qui in Serie substituti dabunt … quæsitas. … Calculo inito inveni.

$$\ldots m \ldots n \ldots = \frac{\overline{e-m}-\overline{c-n}\times A + m - e}{m\times\overline{c+1} + n\times\overline{e+1}} \times \frac{b}{a}$$

$$C = \frac{\ldots n\times e \ldots + 1 + \overline{m-e}\times\overline{c+1}}{m \ldots - n\times\overline{2e+1}} \times \frac{bB}{a}$$

D =

$$D = \frac{\overline{\overline{m - 3e} \times 1 - A + \overline{3c + n} \times - A \times g}}{ma \times \overline{3c + 1}}$$

$$\frac{+ \overline{\overline{m - e} \times \overline{2c + 1} + \overline{c + n} \times \overline{2e + 1} x} - bC}{+ na \times \overline{3e + 1}}$$

$$E = \frac{\overline{\overline{m - 3e} \times \overline{c + 1} + \overline{3c + n} \times \overline{e + 1} x}}{ma \times \overline{4c + 1}}$$

$$\frac{- gB + \overline{\overline{m - e} \times \overline{3c + 1} + \overline{c + n} \times \overline{3c + 1} x} - \ldots}{+ na \times \overline{4c + 1}}$$

$$F = \frac{\overline{\overline{m - 3e} \times \overline{2c + 1} + \overline{3c + n} \times \overline{2e + 1} x}}{+ ma \times \overline{5c + 1}}$$

$$\frac{- gC + \overline{\overline{m - e} \times \overline{4c + 1} + \overline{c + n} \, \overline{4e \times + 1} x} - \ldots}{+ na \times \overline{5e + 1}}$$

$$G = \frac{\overline{\overline{m - 3e} \times \overline{3c + 13} + \overline{c + n} \times \overline{3e + 1} x}}{+ ma \times \overline{6c + 1}}$$

$$-gD + \overline{\overline{m - e \times 5c + 1} + \overline{c + n} \times \overline{5e + 1}} \times -bF$$

$$+ na \times \overline{6e + 1}$$

Ex his patet progressio reliquorum in infinitum. Et sic habetur Series exhibens Quadraturas omnium Figurarum, quarum Curvæ definiuntur per hanc æquationem quatuor terminorum $z^m = ay^n + bz^e y^{c+n} + gz^{3e} y^{3c+n}$. Et notandum quod conditiones Quadrabilitatis & numerus terminorum Seriei, Aream quamlibet quæsitam constituentium, eadem sunt cum conditionibus Quadrabilitatis, & numero Terminorum, quæ conveniunt Figuris, quarum Curvæ per æquationes completas definiuntur.

Corol. Præter has duas series in §. 2. & 4. propter Figuras quatuor terminorum, possunt eodem modo infinitæ aliæ series computari pro cæteris casibus Figurarum, quatuor terminorum. Quod etiam intelligendum est de omnibus aliis Figuris, quarum Curvæ per æquationes quotlibet terminorum numero constantes definiuntur.

Non jam vacat ipsam Methodum minutiatim describere, per quam ad hujusmodi Series pervenio; brevem tamen ejus rationem exponere forte non ingratum erit. Assumo Seriem ex z pariter ac y compositam, sc: $Azy + Bz^p y^q + Cz^s y^h + Dz^l y^k$ + &c. $= \int z\,dy$. Cujus singuli termini (præter primum) habeant Exponentes incognitos. Tum æquationem instituo inter duos valores quantitatis dz, quorum alter ex hac serie, alter ex æquatione relationem inter z & y definiente per Methodum Calculi Differentialis directam facile invenitur. Ex terminis hujus æquationis rite reductæ primo determino exponentes incognitos p, q, g, h, l, k &c. Et dein coefficientes A, B, C, &c. Et si plures sint comparationes, quam quæ determinandis his coefficientibus sufficiunt, tum ex reliquis deduco Quadrabilitatis conditiones. Si recta ineatur via, Calculus est longe facillimus; multasque habeo Re-

gulas huc ſpectantes, quas alias forſan tradam; ut & uſum hujus Methodi in inveniendis Quadraturis irrationalibus finitis, quando rationales non dantur: res enim omnino in poteſtate eſt.

A PRESERVATIVE AGAINST SOCINIANISM. The fourth and laſt Part &c.

i. e.

ANTIDOTON CONTRA SOCINIANISMUM, commonſtrans falſitatem & impietatem pernicioſiſſimæ ſententiæ a Socino ejusque ſequacibus propagatæ, quod ratio canon ſit fidei, & ſupremus revelatæ religionis judex. Auctore JONATHANE EDUARDO Th. D. & Reginæ M. Britanniæ a concionibus & ſacris. Pars quarta & ultima.

Oxonii apud H. Clementem, 1703. in 4. Conſtat 1. alph. & plag. 7.

Annus hic labitur decimus, ex quo Vir Reverendus & Clariſſimus contra Socinianos in arenam deſcendens, Partem I Antidoti feliciter & magno omnium veritatis amantium cum plauſu ſtitit. Haud ita multo poſt, redintegrato certamine, Partem II eventu haud minus felici iisdem oppoſuit; quam III anno 1697 Pars excepit, infidelitati hæreticæ, æque ac ſuperiores, feralis & exitioſa. Ultimo demum loco Parte IV ſuperiori anno eosdem aggreſſus, & animo veritatis conſcientia ſecuro, & victoriæ gloria ſuperior diſceſſit. Partem ergo I, ſimul ac in manus noſtras devenit, A. M DC XCVII menſe Decembre Actis noſtris inſeruimus: ſecunda vero et tertia cum eo usque conſpectum noſtrum fugerint, donec novitatem utraque dudum exuiſſet, earum paulo alienior ab inſtituto noſtro viſa fuit recenſio; quod tamen nihil prohibet, quo minus Partem IV hic ſubjiciamus, quo ex capite operis & calce habeat Lector, unde de totius corporis ſtructura judicium ferat.

p. 1. In Socinianorum, quibus Chriſtianam religionem everſum hactenus iverunt, principiis duo cumprimis eminent, quibus haud equidem aperta fronte, indignis tamen modis veritatem ejus ac certitudinem adoriuntur: alterum, quod omnis religio in pietatis exercitio et vitæ ſanctimonia ſit ſita; quod ſi obtineant, id

id inde emolumenti se consecuturos sperant, fore ut & ceteri mortales vel pedibus in ipsorum de Divinitate sententiam eant, parum quippe solliciti de sublimibus istis, & ad pietatem, ut isti quidem criminantur, nihil facientibus doctrinis, vel excusatos habeant, ceu leves ac exiguos, quos ipsi fovent ac tuentur, errores: alterum, quod rationem supra revelationem evehant, eamque canonem æque ac judicem omnium religionis dogmatum constituant. Prius quid monstri alat, Parte III ostensum est: posteriori vero (quod paulo prolixius excutiendum hic est) temeritati & insolentiæ humanæ mentis, ad libidinem in rebus fidei pro arbitrio statuendi pronæ, gratificantur. Quam statuendi licentiam jus primogenituræ & patrimonium suum jactant, ac subinde fundamentale, inalienatum, omnibusque commune hominibus jus salutant. Contra ea vero, quanquam Christus suo nos adventu in libertatem asseruit, ne quis nostræ dominetur fidei; ipse tamen mentium Dominus, suum ut in conscientias nostras firmaret dominium, plantandæ religionis auspicium a doctrina de sui cepit abnegatione, cui postmodum, ceu fundamento, regnum suum in discipulorum animis superstrueret. Atque hæc quidem invidiosa corruptæ naturæ vox est, jugum Christi excutere sæpe conantis: hinc & voluntas difficulter admodum virtutis & sanctimoniæ repagulis coërcetur, quin ubi semel delata in præceps fuerit, & rationis excutiat imperium, & Dei vocem aspernetur; & intellectus, quo constringitur magis, eo sibi indulget liberius, maximeque Scripturæ impatiens, ejus vel in dubium autoritatem vocat, vel in sententiam suam verba torquet. Unde factum, ut alii supposititios Scripturæ libros cuderent, & Apostolorum nomine falso insignirent; alii variis sacram paginam contaminarent corruptelis; alii rursus παρερμηνείαις innumeris mentem ejus perverterent. Quod postremum Socinianis solenne est, rationem revelationi submittere recusantibus, idque omne rejicientibus, quod ad rationis, corruptæ sane ac errantis, non congruit amussim. Qua in re cum Paganorum veterumque vestigiis Hæreticorum insistant, iisdem hi armis gradu nobis dejiciendi sunt, quibus SS. Patres illos feliciter debellarunt. Fidem scilicet Christianam criminabantur Pagani demonstratione destitui, eamque vel unam ob causam

p. 2. p. 3. p. 4. p. 5. p. 6.

 nomen

p. 7. nomen Christo dare recusabant: nec in diversum ab his abeunt
Sociniani, vitilitigantes, par esse, ut ratione, qua sola nos superiores brutis Deus voluerit, ceu privilegio utamur naturæ: nec enim sufficere autoritatem ad extorquendum nobis assensum, qui solum in rei evidentia, mentisque nostræ convictione acquiescat; quam si in veritatis indagatione negligamus, adversus Deum nos
p. 8. ingratos, ac in nos ipsos injurios esse. Verum dum illorum quidem calumniam graviter & operose S. Patres retuderunt, eadem simul opera horum quoque apinas levesque protriverunt tricas. Id enim vel maxime dicebant religionis Christianæ proprium esse ac peculiare, in veritatem dogmatum, divinamque mysteriorum originem inquirere, nec bruto humanam amplecti obsequio autoritatem. Hinc fidem definiebant ἕξιν προαιρετικὴν, ἑκούσιον συγκατάθεσιν, ἑκούσιον πρόληψιν: eandemque cum scientia una co-
p. 9.
p. 10. pulabant, πίστιν ἄλογον uno omnes ore repudiantes. At enim vero ubi in Gnosticos ac Valentinianos, maxime in Aëtium & Eunomium, omnem Numinis ambitum se mente complexos tenere jactantes, esset perorandum, tum studiose a scientia fidem distinguebant, nec evidentium illam, sed invisibilium dicebant assensum, Ebr. XI, 1. Hinc Basilium videas fidem ἀποδείξει, &
p. 11. Chrysostomum eandem λογισμῷ opponere. Quæ utut videantur invicem adversa concurrere fronte; rite tamen explicata nihil incommodi habent, quin potius, quod caput rei est, mirifice illustrant, & quoad rationi sociam fidei præstare operam liceat, rursumque ubi penitus a fide excludatur, manifesto commonstrant. Quod enim ad prima religionis attinet principia, illorum omni ævo ab Ecclesiæ doctoribus evidens suppeditata fuit proba-
p. 12. tio. Sic nec Salvator noster ἀνυπευθύνως ac velut pro imperio ab auditoribus suis fidem postulabat; & ipsius Apostoli tum oraculorum V. T. autoritate, tum copia miraculorum suis fidem dictis
p. 13. conciliabant. Nec in hunc diem rerum deficiunt pondera, quibus principiorum religionis evinci veritas queat; quæ si quis in dubium vocare ausit, is omnem annalium memoriam, omnem
p. 14. hominum fidem e medio tollat. Hoc itaque pacto postquam generatim de veritate religionis, divinaque Scripturæ autoritate constiterit, nulli sigillatim ejus parti, quantumvis licet sublimis illa

sit

ſit & incomprehenſibilis, aſſenſus eſt denegandus. Et harum quidem partium ſeu doctrinarum reſpectu, demonſtrationi fidem oppoſuere Patres, cum intellectum ſuperent, & niſi e Scripturæ teſtimoniis, nequeant probari. Inde conſequitur, aſſenſum religionis dogmatibus non ante præbendum, quam indubiis ea Scripturæ niti teſtimoniis, compertum ſit. Quorum ut genuinus indagetur ſenſus, ampliſſimus rationi aperitur campus, in quem examinando, conferendo, arguendo excurrat; caſte tamen, ac ut in divinis par eſt. Ultra vero progredi, non datur. Poſtquam enim de revelationis convictus veritate, ac genuinam ejus mentem aſſecutus fueris, tum frena rationi ponere, divinæque aſſenſum veritati præbere teneris; ſecus ſi facias, impius ſis ac abſurdus. Nam cum quævis diſciplina ſuis gaudeat poſtulatis, ſive principiis primo-cognitis probarique neſciis; quin & præter hæc propria, communia ſuppetant, quæ primo-prima vel tranſcendentalia barbaro vocabulo audiunt, quibus, licet probatio deſit, per ſe fides habenda; nullum vero Metaphyſicum vel Geometricum clarius ac evidentius ſit axioma, hoc religionis principio, quod quæ Deus affirmat, non poſſint non veritate niti: tum ſi rite inſtituta prius inveſtigatione conſtiterit, dogma aliquod e divinis erutum ac extructum oraculis eſſe, id vi axiomatis iſtius citra vel ambages, vel dubitationem, eſt amplectendum. Porro vero ſecundarium, quod ſubordinatum Philoſophi vocant, in divinis principium ita habet: quæ ſacris literis traduntur, mentem Numinis ac voluntatem exhibet. Cum itaque quæritur: an doctrinæ, quæ nos inter ac adverſarios in diſceptationem veniunt, divinitus revelatæ ac in Scripturis ſint traditæ? affirmamus quæſitum, & ex plano, naturali, primumque obvio verborum Scripturæ ſenſu probamus. Ad hæc illi, dum a negantium partibus ſtantes, literalem cauſantur vocum ſignificationem ſenſum Scripturæ præbere ejusmodi, qui componi haud facile cum ratione queat; quem ſi cogantur admittere, contra rationem ſe credituros, nec habituros facile, quo ſpei ac fidei ſuæ (I. Petr. III, 15) rationem poſcenti ſatisfaciant: in promtu reſponſio eſt, imo habituros maxime, revelationem ſcilicet divinam. Sin pergant: aſt mente comprehendi non poſſe dogma v. g. Incarnationis, Trinitatis; ambabus id manibus largimur, nec id tamen

p. 16.
p. 17.
p. 18.
p. 20.

quicquam nostræ officit fidei, quæ non mysteriorum cum ratione
p. 21 convenientia, sed divinæ nititur revelationis autoritate. Satis hæc dicta poterant videri, unde quam inepta sit adversariorum, de religionis cum ratione pugna, sententia pateret; quia tamen in his vel maxime triumphant, & piis quoque mentibus sæpissime imponunt, paulo ea curatius sunt lustranda.

Primo itaque, dum magna animorum contentione propugnant, nihil admittendum in religione, quod rationis nostræ captum excedit; duplici argumento robur dicto conciliare satagunt.
p. 22. Alterum a fine petunt revelationis, dum revelatum quicquam mysteriosum esse negant, quod revelatio mysteriorum sit patefactio, & cœcus videns, ac mysterium revelatum, pari passu ambu-
p. 23. lent: alterum a natura fidei, quæ in assensu consistit, quem cum sequatur judicium, qui actus est intellectus humani, palam esse, quod fides actus mentis sit, eaque videamur comprehendere, quæ
p. 24. fide tenemus. Sed ludunt in re seria, nugasque agunt sophistæ: quos, ut e latibulis protrahantur, interrogare liceat, num Numen aliquod credant? affirmant haud dubie, ac atheismi deprecantur calumniam. Pergo: num itaque perfecte quoque Deum comprehendant, planaque ipsis omnia & expedita sint circa naturam Numinis? Idem cum Aëtio & Eunomio affirment necesse est,
p. 25. si thesin tueri cupiant. Porro edisserant, an Deum credant vere, secundum naturam ac perfectiones suas, esse infinitum? Ergone finitus quoque ipsorum intellectus comprehendat infinitum? Hic aqua hæsit Vorstio, Crellio veterumque reliquis, qui ut sibi constarent, eo impietatis progressi sunt, ut infinitum esse Deum negarent; recentiores vero, quo se reciperent, invenere refugium, excipientes (1) nihil obstare, quo minus intellectualis finitæ mentis comprehensio, certo respectu infinita esse queat; cum quod finitum est respectu extensionis partium suarum, id infinitum respectu potentiarum esse possit, velut intellectus
p. 27. humanus ratione capacitatis suæ. Verum si ita nugari libet, pari modo concludam, finitum corpus infinitam habere extensionem, manumque hominis, finitam licet partibus, infinitæ tamen posse capacitatis esse, sic ut universas complecti ac in-

includere Oceani aquas valeat. Licet vero darem, recte se habere, quæ dicunt; sane hæc infinita humani intellectus capacitas longe erit angustior, quam quæ omnes naturæ, finitas licet, proprietates ac virtutes comprehendat; tantum abest, ut divinis complectendis par sit. Hic ad incitas redacti adversarii, ne plane obmutescant ad (2) se recipiunt κρησφύγετον, nostræ criminantes fidei articulos non tantum rationem excedere, verum impugnare quoque, planeque destruere, adeoque fide recipi non posse. p. 28.
Quod ut diluatur jactum in religionem crimen, duo nobis hic expedienda sunt, (a) num articuli fidei vere cum ratione pugnent? (b) si pugnent invicem, num isthæc tanti sit oppositio, ut rejiciantur merito eo nomine fidei articuli, qui in mysteriorum numero censuque habentur? Ad *prius* quod attinet, quid rationis sibi velint vocabulo, dispiciendum. Quæ si ipsis lumen illud ac scientiam cujusvis notat, privatasque singulorum ideas, quæ se probant aliis, aliis minus: tum haud morose inficias ibimus, pugnare religionem cum ratione, infidelium scilicet, Judæorum ac Mohammedanorum, quorum a nostris in omnia alia religionis abeunt instituta. Sed communes forte notiones ac generalia principia rationis voce designant, cui mysteria repugnare contendunt: sic Syncretismo veniam faciunt, credendique licentiæ causam perorant. Unde haud frequentior alia in ipsorum libris oratio, quam qua criminis notam ab hæreticis depellunt, nemini causantes non integrum esse, de religionis mysteriis judicium ferre, idque pro rationis captu, quæ sicubi in errorem prolapsa fuerit, impune in eo, quia inevitabili, mentis vitio versetur. Verum si serio rem agunt, dum communia omnibus principia rationis vocabulo se denotare fatentur, propria cædunt vineta, Scripturæ oracula privatis singulorum ideis anteponentes. Quid enim de ipsorum fiet fratribus, Gnosticis, Valentinianis, Manichæis, Scripturæ effata in suam detorquentibus mentem? Et sibi quomodo constabunt ipsis, quibus alias in more positum est, clarissima S. Literarum verba ideo rejicere, quod privatæ ipsorum sententiæ haud usquequaque conveniant, licet communibus principiis minime contradicant? Quod circa immaterialitatem & infinitatem Dei, circa resurrectionem numero ejusdem corporis, ac æternitatem tormentorum infer-

(Marginal references: p. 29. · p. 30. · p. 31. · p. 32. · p. 33. · p. 34. sq. · p. 36. · p. 37. sqq.)

p. 40. infernalium ipſos facere, ad oculum patet. Unde conſtat, ipſos, cum rationem dicunt, privatas intelligere ideas, proprioſque ſingulorum conceptus. Interim ad ſaniorem non redeunt mentem, ſed fidei momenta calumniari pergunt, maxime in Trini-
p. 41. ſqq. tatis & Incarnationis myſterium injurii ac blaſphemi. Quorum quid reponendum ſit ad φλυαρίας, ſolide & copioſe Autor ſup-
p. 44. peditat. Jam ad *poſterius* ut progrediamur, id quod in quæſtione eſt, Sociniani affirmant, negantemque ſententiam tyrannidem
p. 45. proclamant, ſummamque injuriam. Sed ſalva res eſt, ſi attendere animos ad ea velint, quæ conſequuntur. Ubi nempe plena ſuppetit ſufficienſque veritatis cujusdam probatio, claris nixa ac evidentibus argumentis, fidem tenemur habere. Quod ubi factum, dubitationi amplius relictus locus non eſt, nec objectiones ullæ, quamcunque ſpecioſæ licet ac inſolubiles illæ videantur, tanti eſſe debent, ut mentem commoveant, noſtrumque deturbent aſſenſum, aut a priori nos ſententia deducant. Quod ut eo pateat clarius, probe conſiderandum, veritatem unam alterius vere
p. 46. deſtructivam eſſe non poſſe: nihil quod vere cum ratione, defæcata ſcilicet, ſincera ac errorum vacua pugnat, verum eſſe in religione poſſe: factu haud eſſe difficile, ut ob noſtræ imbecillitatem mentis veritas, idoneis probata argumentis, cum aliarum re-
p. 47. rum natura falſo videatur pugnare; quod ſi uſu veniat, argumentis cedendum, non apparenti contradictioni, quia naturæ nos proprietates latent, vim autem argumentorum cognitam habe-
p. 52. mus atque perſpectam. Talia vero argumenta trium præci-
p. 54. pue ſunt generum: α) a propria cujusque experientia, β) ab evidenti demonſtratione, γ) a teſtimonio ejusmodi, cui fidem dero-
p. 57. gare nefas eſt. Humanum autem ubi fidem meretur teſtimoni-
p. 59. um, merebitur multo magis divinum. Fruſtra itaque objectant adverſarii, fidem ſibi ἄλογον injungi, quando ſecundum revelationem, h. e. juxta teſtimonium divinum, credere jubentur. Quanquam enim revelata quædam dogmata, contrariari videantur rationi; ipſa tamen rurſus monet ratio, Deo affirmanti fidem habendam, quam ne gravis quidem ac ſapientis Viri teſtimonio denegare audet, licet non deſint, quæ in contrarium afferri queant. Opponatur teſtimonii evidentia latenti in natura rerum obſcuritati, & apparebit plus ſatis, cui debeatur aſſenſus.

Hinc

Hinc itaque conſpicitur, quam abſurda ac temeraria Soci- p. 60. ſeq.
nianorum ſententia ſit, fidem θεοπνεύστων habere teſtimonio ideo recuſantium, quod haud ſatis commode cum falſis ipſorum opinionibus componi poſſit. Ne tamen, dum Scripturæ hoc pacto p. 63.
fidem labefactant, atheiſmi ſuſpicionem incurrant, verbis clariſſimis Scripturam profitentur doctrinæ canonem ac fundamentum: p. 65. ſeq.
parum licet ſibi conſtantes, dum mox in priſtinum relabuntur p. 67.
errorem, & rationem S. Codicis anteferunt autoritati. p. 70.

Poſtquam ita demonſtratum fuit, quam irrationabilis hæc ac ἀφιλόσοφος Socinianorum ſit ſententia, reſtat ut ejusdem doceatur impietas, quam dum demonſtrare ſatagit Autor, per tria ſe veluti capita diffundit, quorum α) de perfectione agit ac autoritate Scripturæ, β) de Chriſti Salvatoris noſtri ac Apoſto- p. 108.
lorum, autorumque ejus ordinis reliquorum, dignitate ac fide, γ) de veritate ac certitudine Chriſtianæ religionis: quæ omnia poſt- p. 165.
quam periculoſe ſane ac nefarie Socinianorum fraudibus peti demonſtraſſet, colophonem operi imponit. Quæ ne proſequamur p. 122.
latius, operis prohibet prolixitas, rerumque, quæ in medium affert, pondera, quæ ſine obſcuritate vix mitti in compendium poſſe cenſemus, hoc interim Catone contenti.

APOLOGIE POUR LES PROTESTANS, &c.

i. e.

APOLOGIA PROTESTANTIUM, QUI CREdunt, eos ſolum baptizandos eſſe, quibus rationis uſus ſuppetit, conſcripta a GALENO ABRAHAMSZ.

Amſtelodami apud Gerard. Kuyper, 1704. 8. plag. 15.

INter eos, qui Mennonis Simonis caſtra ſequuntur, Anabaptiſtas inclaruere libris editis noſtra ætate *Jac. Oſtens*, Miniſter Roterodamenſis, *Guilelmus Davidſſon Redoch*, Miniſter Groningenſis, *Adrianus Eeghem*, *Engel Arendſſon van Dooregeeſt*, & præ ceteris, quem nunc ſcribentem contemplabimur, *Galenus Abramides*, Medicinæ Doctor, ac ſimul Miniſter Amſtelodamenſis, cui peculiarem Galeniſtarum ſectam nonnulli adſcribunt. Nuper ille Apologiam hanc pro grege ſuo lingua Belgica conſcripſit,

quæ Gallico mox induta habitu ad nos etiam pervenit. Equidem si ipsa inscriptionis verba sequimur, Apologia hæc ad omnes spectare Anabaptistas videri possit, sed re ipsa ad Mennonis asseclas solum referenda est.

Initio opusculi Auctor in nimiam librorum copiam invectus, scriptionis suæ duas præsertim enarrat causas. Primam hanc citat: multa A. C. 1694 & sequentibus passos esse fratres, qui in Comitatu Riedensi, sub Serenissimo Electore Palatino vivebant. In hos tracta esse Edicta Cæsarea, quæ in Monasterienses olim similesque turbones publicata sint, eo quod ab iisdem orti crederentur; hinc raptos in carcerem, exutos bonis, indignisque tractatos modis, donec Potentissimi Britannorum Monarchæ, Guilielmi III, interventu liberarentur, cujus binas ad Electorem Palatinum literas hanc in rem scriptas, p. 30 & 32 in medium affert. Altera ipsi ratio est, quod Fridericus Spanhemius junior in Elencho Controversiarum, Mennonis asseclas fanaticos appellasset, atque cum Joanne Leidensi, Davide Georgio & similibus, uno habuisset loco, monitusque a doctore quodam Mennonianæ sectæ, ut rectius sentiret de hominibus, inter quos ipse viveret, ac penes quos fanatici nihil unquam observasset, nihil omnino immutasset.

Ratus igitur, gravem suis injuriam fieri Abramides noster, originem Mennoniani cœtus ab ovo, quod ajunt, exponere orditur. Præfatus nempe nonnulla de corruptione Ecclesiæ Christianæ, quam a quarto usque seculo derivat, semper quosdam, eosque maxime probos, residuos mansisse ait, qui cum suis doctrina moribusque conspiraverint. In his præsertim Valdenses memorat, quos Mennonitis simillimos Limborchii auctoritate pronunciat. Valdensium quosdam venisse in Flandriam, ipsoque jam jam seculo XII, quod infantium baptismum respuerent, necatos affirmat, adducto tractatus cujusdam Historici A. 1591 Antverpiæ editi testimonio, cujus nec auctorem, nec titulum allegavit. A Valdensibus istis Flandris exortos fuisse putat Anabaptistas Batavos & Frisios, qui Mennonitæ cœperint dici, ex quo Menno Simonis ad illos accesserit. Posthæc Erasmi Roterodami, Francisci Ridderi & Adriani Pœlenburgii auctoritatibus probatum it, suos modeste semper & extra turbas vixisse. Mennonem quoque eum suis

mul-

multum abfuisse a Monasteriensium Anabaptistarum seditiosis moliminibus, ut evincat, non solum Mennonis dicta quædam allegat, sed Georgii Cassandri cumprimis, eoque loco in Spanhemium peracerbe insurgit.

Post ea aliam aggreditur messem, ostensurus, ea quæ Mennonianis propria sint dogmata, nunquam non ab optimis sapientissimisque scriptoribus approbata esse. Et doctrinam quidem de lege per Christum aucta & emendata, inque perfectiorem perducta statum, firmare allaborat consensu Maldonati, ad Patres præcipuos provocantis, & H. Grotii: doctrinam de repudiato infantum baptismo, auctoritate Tertulliani, Erasmi Roterodami, Lud. Vivis, H. Grotii, S. Episcopii, Claudii Salmasii & Curcellæi, non omissis Bellarmini, aliorumque Romanæ factionis hominum confessionibus, qui pædobaptismum ex S. Literis probari non posse dixerant. Porro dogma de jurejurando quovis abrogando, firmatum it Erasmi & Grotii sententia; pro dogmate vero de prohibito omni armorum usu, Patres præcipuos citat, ac insuper Episcopium, Salmasium, Grotium, Rigaltium. Denique pauca esse creditu necessaria, Tertulliano, Jacobo I. aliisque, quos magno numero allegat, auctoribus contendit, vocabula scholastica omnia, præsertim in doctrina de S. Triade rejicit, finemque defensioni imponit.

Accessit opusculo syllabus articulorum, quos Mennoniani cœtus profitentur, quorum CII numero ab illo recensentur, eo circiter ordine, quo a nostratibus collocari solent. Ut aliquem instituti hujus gustum demus, enarrabimus, qua ratione doctrinam de Divinitate Christi & Baptismo exponat. De priori sic habet. Postquam nec de unitate (*solum* enim Deum, non *unum* Art. XVIII & XXII appellat) nec de Trinitate quicquam isto loco monuit, Articulo XXVIII Jesum vere filium Dei esse pronunciat, additque Artic. XXIX sufficere hoc, neque opus esse, ut de persona Christi, de præexistentia ejus & naturarum unione separatim quid statuamus; neque enim plura desiderasse Christum, cum in terris viveret. Fatetur tamen Art. XXX, Filium hunc Dei ante conditum mundum visibilem extitisse, & per eundem creata esse omnia; nec plura addit. Spiritum S. vero, de quo inter subsidia salutis nostræ demum agit Artic. LXXIV, virtutem a Deo procedentem

Tt 2 nomi-

nominat, quam Filius credentibus confert. De ſacra Scriptura vero & Angelis malis rectius forſan, quam Menno ipſe ſentit. De Baptiſmo Art. LII & LIII tradit, ſignum eundem eſſe Chriſtianorum recens receptorum, ad infantes vero non pertinere, cum illi ea conditione non ſint, ut ad Deum convertere ſe poſſint; quæ ratio ad cognoſcendam Anabaptiſtarum mentem intimam permultum facit.

Inter notatu digna, quæ hic occurrunt, ſequentia delibanda duximus. Pedum lotionem, quam Anabaptiſtæ quidam Baptiſmo & S. Cœnæ, ut neceſſarium ritum addunt, Noſter Art. LVII eo loco non habet, ſed officia Chriſtiani amoris eadem indicari credit. Panem ἐπιούσιον in quarta precationis Domini periodo, de terreſtri æque corporis, ac cœleſti animæ cibo, Art. L interpretatur. De Excommunicatione cenſet Art. LXV, plura nobis poſt Apoſtolorum exceſſum non licere, quam ut impios conſortio noſtro Chriſtiano privemus. Dona Spiritus S. diſtribuit Art. LXXXV ſeq. in glorioſa, quæ Apoſtolorum fuerint, ſanctificantia, quæ omnium ſint Chriſtianorum, & analoga glorioſorum, quæ paucis hodienum poſt varia fata conferantur. In prima claſſe ponit πολυγλωττίαν Apoſtolorum, in ſecunda illuminationem mentis, in tertia ſanctos amoris raptus, eamque, quæ ſenſibilis dicitur, gratiam. Iterum vero iterumque fatetur, eſſe inter gregales ſuos, qui ab ipſo diſſentiant, neque hos ſe damnatos velle. Verum hac de re in univerſum cenſeant, quibus hæc cura tradita eſt atque commiſſa.

M. TROGILLI ARNKIELII ANTIQUITATES Cimbricæ.

Hamburgi, apud Tho. Wieringium, 1703, 4.
Conſtant Alphab. 7. cum fig. plur.

INter eos, qui terrarum ad Septentriones ſitarum Antiquitates orbi expoſuerunt, quorum in Suecia Daniaque Collegia fuiſſe inſtituta cognovimus, ſuo quoque merito referendus eſt M. Trogillus Arnkielius, Præpoſitus & Paſtor Apenradenſis in Ducatu Slesuicenſi Holſato, cujus *quatuor de Antiquitatibus Cimbricis*

Tract-

Tractatus, lingua Germanica concinnati, conjunctim Hamburgi prodierunt. *Primus* sacra nobis & ritus describit, quibus Cimbri æque ac Saxones, Gothi, Venedi & Frisones, antiquissimis temporibus fuerunt dediti, quorum formulas & superstitiones cum aliarum gentium ritibus inter se componit, atque in ejus rei gratiam non tantum Canopi, Apis, Molochi, Dagonis, Jovis, Veneris, Plutonis, Tritonis, Sirenum, Satyrorum, Centaurorum, Genii, Deumi, Vislipousli, sed etiam Othini, Thori, Freyæ, Froi, Mitothini, Vagnofi, Fostæ, Wedæ, Ridegasti, Proni, Siwæ, Swantevithi, Flinsii, Tuisconis, Wodani, Sateri, Ermensulæ, Herthæ, Sacerdotis dein victimam humanam mactantis, atque altarium ex vegrandibus saxis in montium cacuminibus erectorum icones exhibet. *Altero* tractatu famosissimum *Cornu Tunderense* aureum adgreditur, quod Anno M DCXXXIX, mense Julio, in pago *Galbus* prope Tunderam (quæ Ducatus Slesuicensis civitas est) a Catharina Schwenia, rustici Osterbiensis filia, inventum atque ex luto extractum, in manus Christiani quinti, Regii Danorum Principis, eo tempore cum Parente Augustissimo Gluckstadii commorati pervenit, qui fœmellam Regio munere a se mactatam dimisit, & cornu ad compotationem adaptavit, ac ad oscillum ejus obtegendum, operculo ex purissimo auro (sed quod nitore tamen illi, ex quo cornu ipsum constat, multum cedit) confecto instructum, inter cimelia rariora servari jussit. Multos id cornu Tunderense (ab altero, quod *Oldenburgicum* adpellatur, valde diversum) admiratores & panegyristas habuit, ex quibus primus observationes suas anno 1641 publici juris fecit celeberrimus Hafniensium literator Olaus Wormius, qui tubam bellicam, & icunculas inibi expressas Danica fuisse hieroglyphica interpretatus est. Anno 1642 Paulus Egardus, Nortdorfiensis in Holsatia Pastor, libellum publicavit, *Theologicas in Cornu Tunderense Animadversiones* continentem, quibus imagunculas ex ipsis doctrinæ Christianæ symbolis explicare conatur. Altero, qui successit, anno D. Petrus Winstrupius, Londinensis in Scania Antistes, *Cornicinem Danicum*, hoc est, *Carmen de aureo cornu* vulgavit, in quo quidem ad Wormii ductum cornu istud tubam fuisse bellicam credit, libertate autem poetica nimis audacter uti videtur, quando per

hieroglyphicas ejus notulas, calamitates belli Suecici, anno 1643, Gustavo Hornio Suecorum duce, in Scania gesti, indigitari sibi pariter ac aliis persuadere satagit. Triumviris illis quartus mox interpres anno 1644 accessit, Enwaldus scilicet Nicolaus Randulfus, Pastor & Canonicus in Seelandia Roschildiensis, qui in *Tuba* sua *Danica*, sive *Dissertatione Theologica de aureo cornu in Cimbria invento*, ex ipsis Christianismi inter Danos recepti temporibus originem ejus deducit, & icuncularum sensum ex principiis Theologiæ Christianæ ostendit. Quum ergo Wormio Philosophicam, Egardo & Randulfo Theologicam, Winstrupio autem Poëticam cornu Danici interpretationem debeamus, operam minus se perditurum duxit Clarissimus Arnkielius, si & ipse suam, hoc est, Historicam ejus explicationem daret, quam duobus libris complexus est, quorum priore de cornu istius inventione, figuris, usu, ætate, & caussis, ob quas per tot secula in terra delituerit, agit; altero autem de symbolorum & icuncularum ibi expressarum figuris ac significatione, ex veteri Septentrionalium Theologia perquam docte disserit. *Tertia* Cimbricarum Antiquitatum pars libris quatuor absolvitur, in quibus funebres veterum Cimbrorum ritus, tumulos, urnas, & inscriptiones pertractat, ac patrias superstitiones, adductis aliarum gentium exemplis, pro more suo, diligenter illustrat, adjunctis nummorum ex terra erutorum, hastarum insuper, gladiorum, fibularum, annulorum, tumulorum etiam, ollarum & lapidum sepulchralium, aliarumque ex antiquitate reliquiarum schematismis atque monimentis, maxime autem inscriptionibus Runicis, in quarum dilucidatione Verelii Runographia, & Wormii de Litteratura Runica opus, magno esse subsidio istarum rerum cultoribus perhibentur. *Postremam* tractatuum *partem* historiæ Cimbrorum, ab idolorum secta ad Christianorum instituta conversorum, impendit Arnkielius, eamque iterum in sex quasi libros distinguit, quorum primo de conversione majorum generalius, de Viris item Apostolicis & religiosis, qui Evangelium in Germania inferiore & Septentrionalibus plagis prædicarunt, disputat, altero autem Frisonum, tertio Saxonum, quarto Jutiorum & Danorum in Cim-

Cimbria degentium, quinto Venedorum (quos vulgus minus recte *Vandalos* vocat) in Cimbria sedes quasdam habentium, sexto tandem Scandiorum in Suecia & Norvagia, illorum etiam, qui Islandiam & Grœnlandiam incolunt, ad verum Dei cultum & novi fœderis, quod Christianismum adpellamus, gratiam reductorum fata moresque curate delineat. Vires itaque ac otium doctissimo Auctori adprecamur, ut alium quendam laborem, quem *de Templis*, *Sacellis*, *Monasteriis*, *& Scholis Cimbrorum*, Lib. I. partis hujus quartæ, Cap. X fol. 55 promisit, ad umbilicum deducere, & cum orbe literato communicare quantocyus possit.

JOH. SCHILTERI AD GEORGII ADAMI STRUVII Syntagma Juris Feudalis Notæ. Adjecta sunt nonnulla Responsa & Consilia Juris Feudalis inedita.

Argentorati, apud Th. Lerse, 1704, 4. Constat 1 alph. 21. pl.

NOn desinit de Jurisprudentia egregie mereri Illustris atque Excellentissimus Schilterus, sed sicuti omnes qua patet Jurisprudentiæ Naturalis, Civilis, Publicæ, ac Ecclesiasticæ partes dudum præclaris ac immortalitate dignissimis operibus excoluit, ita Jus Feudale potissimum summo studio illustrat. Sicuti enim orbis eruditi applausum Codex Juris Alemannici Feudalis, ac Institutiones Juris Feudalis Germanici & Longobardici, ubique impetrarunt: ita quæ nunc accedunt, Annotationes ad Celeberrimi Struvii Syntagma Juris Feudalis, materiæ & rerum gravitate ac copia, & dicendi elegantia abunde Lectori satisfacient, opus certe Struvianum passim illustrant, explicant ac exornant. Nostrum erit speciminis loco quædam subjicere, ex quibus de operis integri præstantia judicium ferri queat; quanquam plerosque vel sola Schilteriani nominis fama de excellentia hujus laboris haud patiatur dubitare. Occasione igitur capitis primi Syntagmatis Struviani, de legibus Feudalibus disserit, & controversias feudales ex Jure potissimum Alemannico, ac in subsidium ex Jure Longobardico judicat esse decidendas: si nihil istis legibus dispositum inveniatur, non ad subtilitatem Juris Romani, sed ad natura-

naturalem rationem recurrendum esse, contra communem Feudistarum sententiam contendit pag. 5. Jus Censiticum duplex esse observat, aliud quod sine investitura, aliud quod ea intercedente constituatur, atque in hoc dominium tantum utile in possessorem transferri, in illo pleno jure fundum ad possessorem pertinere, pag. 13. De Ambtsassiis & Schrifftsassiis p. 21; de superioritate Principum Imperii territoriali, pag. 25; de Jure eorum circa sacra; de jure Postarum pag. 82, aliisque materiis ad Jurisprudentiam Publicam pertinentibus, passim praeclare disserit. Imprimis autem ex observantia & stylo Curiarum Feudalium plurima congessit, quae in vulgaribus Feudorum Interpretibus frustra quaeruntur, quo pertinent, quae de Vasallorum titulis & appellationibus in rescriptis ad Vasallos, pro diversitate feudi regularis, foeminini aut rustici, p. 16. 21, 38 annotavit. Modum tenere instituti ratio nos jubet, alias prolixe possent commemorari, quae de jure Capituli sede vacante, p. 37; de fundo dotali in feudum dando, pag. 43; de contractu feudali, pag. 64; de juramento in animam Vasallae praestando, pag. 68; de jure repraesentationis in successione Feudali pag. 78 &c. non ubivis obvia aut vulgaria tradidit. Superest, ut de Responsis & Consiliis Iuris Feudalis, quorum in rubro facta est mentio, nonnihil adjiciamus. Non enim tantum Annotationibus suis Celeberrimus Schilterus Praejudicia ac Responsa Collegiorum Juridicorum quamplurima inseruit, sed & circa calcem operis quinque Consilia Juridica hactenus inedita Johannis Wolffgangi Pfeilii & Justi Meieri JCtorum Clarissimorum addidit, ac denique Marci Ottonis Reip. Argentoratensis Consiliarii & quorundam aliorum Relationes rem feudalem concernentes subjecit, quae & facti ubique speciem exhibent, & casuum dubiorum rationes in utramque partem recensent, una cum sententiis ac praejudiciis Collegiorum Juridicorum.

ERRATA.

In Actis 1702. pag. 377. l. 16. 17. lege: *infelicissimus nepotis cognominis ex Arnoldi Messenii filii casus &c.* pag. 382. l. 32. lege Bestrifning um Provincien. Ibidem lin. 33. pro *Pallas* lege Kallas. Pag. 384. l. 13. 14. pro uch Geralinge-Land / lege och Gralingaland. In Actis anni praesentis pag. 237. l. 9. pro *Innocentius XII*, lege *Innocentius XI.*

* * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ
Calendis Augusti, Anno M D C C IV.

Kort berettelse af the maerkwaerdigste Saker/ som för the fraemmande aere att besee och foernimma uti Upsala Stadh/ och naest omgraensande Orter ꝛc.

i. e.

BREVIS NARRATIO RERUM MEMORABILIUM, quæ a peregrinis æstimari solent Upsaliæ & in vicinia ejusdem; auctore JOHANNE ENBERGIO, Philosophiæ Moralis in Universitate Upsaliensi Professore Publico & Regio. Additæ sunt icones necessariæ, ut & de nupero funesto incendio urbis Upsalensis relatio.

Upsaliæ apud Wernerum, 1704. 12.
Constat plagulis 16.

Cap. I. disquirit opusculi hujus Clarissimus Auctor de etymo vocis Upsala, & varia illius secundum casus inflexione, veteris ac novæ Upsalarum situ, & diversis utriusque antiquitus nominibus. Cap. 2. Historiam pertexit templi cathedralis Upsalæ novæ, quod sub Rege Waldemaro fundatum, tandem sub Erico XIII perfectum, & tribus patronis Succiæ, S. Erico Regi & Martyri, S. Laurentio Martyri, & S. Olavo Norvegiæ Regi consecratum tradit. Dat quoq; omnimodam templi mensuram; recenset varias ejus deflagrationes; occasione ornamentorum, vitas S. Erici, S. Olavi, & S. Henrici Fennonum Episcopi & Apostoli, breviter describit, ac de vetustissimo Succiæ insigni, tribus coronis, & aliis non paucis

agit. Cap. 3. templi S. S. Trinitatis, quod nunc ruſticorum appellatur, Hiſtoriam exhibet. Putat ipſum vel a Rege Olavo Skautkonung, vel ſaltem ab ejus ſucceſſoribus proximis eſſe exſtructum; dicitque in eo circumventum fuiſſe S. Ericum ab Henrico Skatelero Dano. Poſt reformatam religionem negle[illegible] fuiſſe, poſtmodum autem a ruſticis iſtius parœciæ frequentari cœptum. Cap. 4. Hiſtoriam ſacelli S. Erici enarrat, quod exſtructum putat anno 1271, ibique reliquias ejus Sancti aſſervatas ab eo tempore, ſed ſolemni proceſſione Upſalas veteres, ubi primum ſepultus erat, deductas ipſo die emortuali, & in faſtis nomine ipſius ſacro; d. 18. Maji. Poſt reformationis tempora, & hanc ædem fuiſſe deſertam & incendio perditam, iterum ante annos non ita multos in uſum exercitiorum Theologicorum reparatam fuiſſe, verum poſt nuperrimum incendium prorſus ſolo æquatam, ruderaque reparationi templi cathedralis data. Dicit alia plura in hac urbe floruiſſe templa, ſacella, cœnobia, quorum nomina, quin & rudera nonnulla, etiamnum ſuperſint. Cap. 5. Hiſtoriam Academiæ Upſalienſis perſequitur, dicendo primum Scholam Upſalis fuiſſe inſtitutam ab Erico Balbo Rege, ſed Stenone Sturio & Archi-Epiſcopo Jacobo Ulphonis urgentibus, a Sixto IV, circa annum 1476, Academiæ jura & privilegia Upſaliæ conceſſa eſſe, & quidem cum Bononienſi paria. Poſt tempora reformationis, & imprimis ſub motibus Liturgicis ſub Johanne III, damnum non exiguum cepiſſe, ſed a Guſtavo Adolpho glorioſæ memoriæ magnificis ſumptibus reſtauratam, dotatam, & nova ſplendidiſſimaque æde decoratam, quæ nunc Academia Guſtaviana audiat, & nova, ad veterem comparata, in qua celebratum ſit concilium Upſalienſe: illi Auditorium anatomicum ſuperſtructum eſt A. 1662. Cap. 6. Bibliothecam Academicam deſcribit, quam Guſtavus Adolphus, miniſterio Dn. Johannis Skytte, Senatoris Regii, primi Academiæ Cancellarii ex illuſtrium quidem ordine, fundavit A. 1620, quam & ipſe & ſucceſſores inſigniter auxere. Cum vero vetus ædificium non caperet libros, ideo a Carolo XI aliud novum, ſpatioſiſſimumque & ſplendidum, exſtructum eſt ſuper auditoria Guſtaviana anno 1691. Meminit illius in carmine ſeculari, ad feſtum Jubilæum Upſalis celebratum anno 1693, Nicolaus Stiern-

Stiernbergius, tunc Bibliothecarius:

Proſtat & celſum caput abdit aſtris
Regis Auguſti valido favore,
Arcibus ſummis prope comparanda
Bibliotheca.

In ea jam exſtare ait 30000 voluminum, & in his magnam vim codicum manuſcriptorum. Illorum tamen ſuo merito præcipuum eſſe Ulphilam, ſive ejus translationem Gothicam quatuor Evangeliorum, cujus codicis hiſtoriam dat, & vetuſtiorem fere facit translatione B. Hieronymi, diſſeritque de indole linguæ ejus, & confert eam cum linguis Islandica & Dalekarlica hodierna. Mox addit ſpecimen literaturæ, tum vulgaris Runicæ, tum Helſingicæ, nec non ipſius Ulphilanicæ. Mentionem etiam facit Gazophylacii prorſus eximii, a civitate Auguſta Vindelicorum quondam donati Guſtavo Adolpho, tandem munificentia Auguſtiſſimæ Reginæ Ulricæ Eleonoræ huic Bibliothecæ legati. Cap. 8. de horto Botanico Academiæ loquitur, cujus inſtaurator fuerit Olaus Rudbeckius pater circa annum 1657. Cap. 9. quæ fuerint initia, incrementa & fata arcis Regiæ Upſalenſis, paucis proponit. Cap. 10. Rudbeckiorum, patris & filii, monumenta antiqua naturæ curioſa, & quod præcipuum, eximia beati Rudbeckii patris inventa Mathematica & Mechanica memorat, ſed quæ noviſſimum incendium prorſus conſumpſerit. Cap. 11. verſus Upſalas veteres excurrit, atque ibi fanum illud paganicum, cultum quoque & ſacra Deorum gentilium, urbem priſcam, regiam, colles ſepulcrales, deſcribit; ubi non pauca hiſtoriam antiquam illuſtrantia inſerit. Cap. 12. ſeorſim explicat hiſtoriam trium Numinum, Thoronis, Odhini & Friggæ, ubi oſtendit varias rationes interpretandi genealogias Deorum. Cap. 13. ad campos Morenſes divertit, dimidio milliari Suetico diſtantes Upſalis, ubi antiquitus legibus etiam conſtitutus fuit locus eligendi novum Regem. Superſunt adhuc lapides, ſuper quibus & Reges ipſi, & Electores ſive deputati provinciarum, ſub ſuis legiferis provincialibus, eminentes ſtabant: qua occaſione de variis ſuccedendi modis in imperio Sueogothico, de prærogativa Regis Upſalenſis, tum præ Regulis Sueogothicis, tum præ Daniæ & Norvegiæ Regibus diſſerit; oſtendit etiam, quomodo & quando jus

hæreditarium post Regem Gustavum I. reductum sit. Cap. 14. regiam Biörnonis cujusdam Haugiensem adit, ubi rudera regiæ & templi cujusdam rimatur, colles quoque sepulcrales, imprimis ipsius Biörnonis; mox inquirit in personam & ætatem, existimans, si modo fuerit Rex Sueciæ Upsalensis, fuisse ejus nominis quartum, atque incidisse in confinia seculorum 8 & 9. Cap. 15. appendicem facit operis dissertationibus quibusdam antiquariis, & primo quidem recenset varia Sueogothiæ nomina atque rationes, quibus evincatur, esse veram veterum Atlanticam. Inde pro ultima antiquitate gentium Hyperborearum, decem omnino argumentorum potiorum classes recenset. Prima ducitur ex naturali conditione orbis Hyperborei. 2. Ex antiquissima temporum computatione, & cyclis Solari & Lunari. 3. Ex antiquissima Hyperboreorum literatura. 4. Ex novo illo invento comparandi altitudinem crustæ sive terræ pinguioris in collibus sepulcralibus & locis post diluvium nunquam tactis. 5. Ex antiquissima Hyperboreorum celebritate apud reliquos vetustissimos populos. 6. Ex consensu vetustissimorum scriptorum, tam exterorum quam indigenarum. 7. Ex antiquissima politia, religione, reque militari. 8. Ex simplicitate veteris linguæ Schyticæ, ejusq; cum antiquissimis linguis congruentia. 9. Ex antiquissimis Hyperboreorum emigrationibus. 10. Ex communi consensu scriptorum de pervetusta & immemoriali antiquitate gentis hyperboreæ. Tandem & de situ veterum Upsalarum disserit, & fuisse ibi illas, ubi nunc rustica est, & vetus Upsala appellatur, octo rationibus, ex opere potissimum Atlantico Amplissimi Rudbeckii desumtis, evincere studet: 1. quia situs templi egregie respondet descriptioni Platonicæ. 2. quia ibi defossa reperiuntur ossa suum, equorum, &c. testimonia sacrificiorum ibi peractorum. 3. quia ibi veræ antiquitates, colles Regum sepulcrales, Regia etiam Kunquegarden sive villa regia dicta, carbones & clavi in muro templi reperti, quibus aurum aliæque metallorum particulæ adhærent. Accedit insueta ratio architecturæ in templis quotquot extant Christianis. 4. quia longe amplior districtus veteris quam novæ Upsalæ. 5. Secus sentientes ait seductos esse ab Erico Olai. 6. Provocat ad testimonia Regis Waldemari, Regni item Senatus & universi Cleri in literis Alexandri Papæ IV. 7. ad testimonium Caroli Episcopi Arosiensis in excerptis suis. 8. In historiis istorum temporum distin-
ctam

ctam fieri monet mentionem Upsalæ & Ostra aaroos &c. C. 16. statum Academiæ Upsaliensis persequitur. Recenset enim Cancellarios illustres, Archi-Episcopos, qui simul Academiæ Procancellarii perpetui, Rectores illustres, Professores quoque a primis ad hæc tempora, seorsim quoque Professores Schyttianos, ut & Academiæ Bibliothecarios & Quæstores. Cap. 17. Numerum init Academicæ juventutis, tam ex nobilium ordine quam reliquorum. Exsurgit summa ad 1300 circiter. Cap. 18. Enumerat promotiones, quæ in Academia Upsalensi contigerunt in Facultatibus singulis. Colophonem opusculo imponit, observationes quasdam & additamenta subjiciendo; finit tandem in descriptione insignium & sigillorum, quibus tum Academia, tum civitas ipsa Upsalensis utuntur, quorum figuras & succinctas explicationes exhibet.

Huic opusculo annexa quoque est enarratio idonea funesti incendii, quo Civitas Upsalensis ad tres quartas partes miserum in modum devastata est, die 16. mensis Maji anno 1702, in quo tamen, Divino beneficio, Academia Gustaviana & illi superstructa Bibliotheca servata sunt.

BIBLIA, thet aer all then Heliga Skrift pao Swenssko efter Konung Carl den tolftes befalning/ med förriga Editioner jaemfoerd/ Summarier och Marginalier öfwerfedde/ Concordantier, och anmaerkningar foeroekade; Nya register/ och Bibliskt Tyderaekning inraettade; med mera Som foeretalet naermare uthwysar.

i. e.

BIBLIA, SIVE TOTA SCRIPTURA SACRA SUETICE, jussu Regis Caroli XII, cum editionibus prioribus collata, summariis, & marginalibus revisis, concordantiis & annotationibus auctis, aliisque, quæ præfatio prolixius docet, additis.

Stockholmiæ, ex typographia beati H. Keysers, 1703 in fol. Reg. Constant alphabetis 6. cum mappis Geographicis, delineatione templi Hierosolymitani, aliisque tabulis æri nitidissime incisis.

De variis translationibus Bibliorum ſacrorum tam in Aſiatici orbis, quam Europæi linguas, & earundem diverſis editionibus multi prolixius egerunt, de Suecana pauci, idque perfunctorie. Gratiam itaque orbis eruditi nos merituros ſperamus, ſi hac occaſione brevem dederimus hiſtoriam verſionis Bibliorum in linguam Suecanam, & recenſionem variarum editionum, idque ductu præfationis huic editioni præmiſſæ, cujus auctorem, etſi nomen ſuum ſuppreſſerit, eſſe conſtat Reverendiſſimum Archi-Epiſcopum Upſalienſem, Ericum Benzelium. Primum itaque docet, iis temporibus, quibus ſub jugo Papatus gemuit Eccleſia Suecana, & lectio Scripturæ ſacræ in lingua notiori minus permiſſa erat, non defuiſſe tamen piorum ſtudia in transferendis variis libris Biblicis, & aliis asceticis; easdemque verſiones manuſcriptas etiamnum adſervari in archivis Collegii antiquitatis. Præſertim autem obſervatione dignum eſſe, quod inclyta illa S. Brigitta, Princeps Nericiæ, ſeculo XIV injunxerit confeſſori ſuo Mathiæ, Canonico pariter Lincopienſi, ut integra Biblia in linguam transferret vernaculam. Quod ad aſcetica, anno 1493 in Suecanam traductus eſt ab Erico Nicolai, Canonico Upſalienſi, liber Johannis Gerſonis de tentationibus Diaboli, & biennio poſt editus Stockholmiæ, per Johannem Fabrum typographum. Ejusdem Gerſonis de arte moriendi tractatus, translatus juſſu Jacobi Ulphonis Archi-Epiſcopi Upſalienſis, editus eſt Upſaliæ per Paulum Gris A. 1514. Annis ſubſequentibus, quam primum per beatum Doctorem Lutherum in Germania religionis reformandæ fundamenta jacta ſunt, & Suecia pariter Divina hæc beneficia venerari cœpit, anno 1523 Novum Teſtamentum, ſecundum verſionem Lutheri, in Suecanum idioma tra[illegible]lit Laurentius Andreæ, Presbyter tunc Stregnenſis, mox Archid[illegible]nus Upſalienſis, & tandem Cancellarius Guſtavi I, quæ verſio ty[illegible] deſcripta eſt Stockholmiæ A. 1526 in folio, aliis poſtmodum formis repetita. Johanni Magno, Archi-Epiſcopo Upſalienſi, tunc pariter ab piiſſimo Rege in mandatis datum eſt, ut totius ſacræ Scripturæ translationem in linguam vernaculam procuraret; verum is, ex quo rem totam commendaſſet diverſis Canonicorum collegiis, Novi Teſtamenti libros inter ipſa partitus, maluit clanculum a patria aufugere, quam pium adeo ac neceſſarium negotium promovere.

Hinc pro eo, quo in Religionem reformatam fervebat zelo, Rex Augustissimus eandem rem iterum injunxit ambobus fratribus, Olavo Petri & Laurentio Petri, Nericiis. Quorum hic, dum brevi post Archi-Episcopus Upsalensis constitutus esset, omni sollicitudine, quod sui erat muneris, exsecutus est, & integra Biblia Suetice in lucem dedit Stockholmiæ A. 1541, in fol. B. Lutheri editionem priorem, anni scilicet 1534, præcipue sequutus. Hæc autem quum posterioribus curis B. Auctoris passim immutaretur, idem Laurentius Petri, qui per 40 annos muneri suo Archi-Episcopali laudatissime præfuit, varios sacrorum Bibliorum libros, ad posteriorem Lutheri editionem conformatos separatim, & in forma minori edidit, in quibus Jobum, Psalterium, Proverbia Salomonis, Ecclesiasten, Canticum Canticorum, Esaiam, Librum Sapientiæ, & Ecclesiasticum. Priori tamen editioni sua perpetuo erat auctoritas & in sacris publicis usus.

In Concilio Upsalensi A. 1593, & alias semel iterumque nova editio desiderata est, quæ proxime accederet ad posteriorem B. Lutheri, verum nihil effectum est, donec initio seculi superioris, regnante Carolo IX, Jonæ Petri Stregnensi Episcopo aliisque viris doctis injunctum est, ut collatis ambabus editionibus, eas, quæ majoris momenti ipsis viderentur, discrepantias annotarent, qui labores postmodum nuncupati sunt *Observationes Stregnenses*.

Anno 1602 in Comitiis Stockholmiæ celebratis decretum est, ut eædem mutationes in novam, quæ tunc parabatur, editionem reciperentur, sed variis de causis & ipsa dilata est ad annum 1615, & quamvis nonnullorum consilia essent, ut novæ revisionis curam plures diœceses inter se partirentur, tamen veritus Rex Augustissimus, Gustavus Adolphus, ne qua differentia hinc oriretur, duobus viris doctissimis, Joh. Rudbeckio & Joh. Lenæo, totius rei cura demandata est. Prodiit editio ita adornata Stockholmiæ A. 1618. in fol. per Olavum Olavi. Illud hic præcipue notandum, quod consultum duxerint viri modo laudati, primæ editionis textum retinere, ut & titulus pollicetur, & prolixius testantur in literis ad Clerum Regni Orebrogiæ congregatum anno 1617. Ipsa autem editio insignem in modum ab erroribus typographicis emendata est, & au-

& aucta integrorum versuum additione, qui prius omissi fuerant, summariis singulorum capitum, locis parallelis, annotationibus ad unaquæque capita, & indicibus necessariis, mappis item geographicis &c. Monet Reverendissimus Auctor præfationis, causas non leves fuisse iisdem viris gravissimis, cur *Observationes* illas *Stregnenses* in textum non reciperent, rationem habendam illorum temporum, & neutiquam iis objiciendam vel inscitiam linguarum originalium, vel incuriam promovendi boni publici. Easdem observationes ex posteriori editione B.Lutheri haustas, sua laude non defraudandas, sed quæ interdum priori minus felix fuerit, idque & ab aliis observatum esse. Immo heic locum habere illud Augustini ad Januarium: *ipsa mutatio consuetudinis etiam quæ utilitate adjuvat, novitate perturbat.*

Hanc editionem Gustav-Adolphinam, tanquam exemplar, aliæ postmodum sequutæ sunt, annis, & formis (ut loquuntur) diversis, & quidem prima anno 1622 Lubecæ, apud Samuelem Jauchen, sed quæ innumeris scatet erroribus typographicis & transpositionibus, quamobrem etiam Gustavus Adolphus diplomate suo Regio eandem prohibuit. Post interjectos annos haud paucos, Lugduni Batavorum prodiit alia in 8vo A.1634 apud Jacobum Marci, iterumque anno 1635 & 1636; imo alia ibidem A.1637, ut nonnulli volunt, sed cujus omnia exemplaria in naufragio perierint. Jusserat paulo ante gloriosam mortem suam, forma hac portatili sacrum codicem typis prodire Gustavus Adolphus, quo & domi civibus, & in castris præcipue militibus usui foret, qua de re videndus Laur. Paulinus Hist. Arct. pag.364. Interim dolendum, quod hæ ipsæ editiones multis scateant erroribus typothetarum.

Anno 1646, regnante Christina Regina, alia editio procurata est in folio Stockholmiæ, apud Henricum Keyser seniorem; ut & A. 1650. Stregnesiæ in 4to, apud Zachariam Brockerium, curante Johanne Mathiæ illius Diœceseos tunc Episcopo; quæ editio, etsi præ reliquis hisce minoribus palmam obtineat, interdum tamen operarum oscitantia integros versus omisit. A. 1655, sub Carolo Gustavo, nova prodiit Stockholmiæ editio per Ignatium Meurer in fol. cum præfatione Consistorii Stockholmiensis. Nonnulla hujus exemplaria annum præferunt 1666, sed male: ad calcem e-

nim

nim tam Vet. quam Novi Teſtamenti, verus annus agnoſcitur. Secutæ ſunt editiones A. 1657, per Henricum Keyſer ſeniorem, 2do Stockholmiæ, quæ reliquis ſuo jure præferenda, ab erroribus tamen non immunis: A. 1672, ſub glorioſo Rege Carolo XI, apud Henricum Keyſer juniorem, 2do Stockholmiæ: item A. 1674 in 8vo Stockholmiæ apud Nicolaum Wankyt, quæ perquam emendata: A. 1688 Amſtelodami in 8vo apud Henricum Keyſer juniorem, prioribus omnibus longe pejor: A. 1684 apud Nicolaum Wankyt, cum priori non comparanda. Omnes harum editionum tituli pollicentur, retineri textum communi Eccleſiæ conſenſu adprobatum, ſcilicet quem exprimit editio Guſtavo-Adolphina A. 1618: multas nihilominus admiſſas eſſe variationes, diligentiori collatione & examine evinci poteſt. Hinc deficientibus commodis & emendatis S. Codicis editionibus, paucis ante beatam mortem ſuam Carolus XI de nova in 8vo cogitare cœpit, ſed ea variis de cauſis dilata fuit, & typis, qui in eum finem comparati erant, alii libri Eccleſiaſtici emendatisſime & nitidiſſime evulgati. Mox autem Potentiſſimus Monarcha hodiernus, Carolus XII, cum Regium & avitum Thronum conſcendiſſet, ſacrum illud opus certis commendavit viris, quorum labor & induſtria non defuit, in exornandis illis partibus, quas Regiæ literæ illis injunxerant. Juvabit nunc audire Reverendiſſimum Auctorem præfationis ipſummet explicantem, quid in nova hac editione præſtitum. I. textus ait ſemel recepti variationes perexiguas admiſſas eſſe; ubi vero quædam in prioribus occurrerent, illas retentas eſſe, quæ cum textu originario, & recepta in ſacris Eccleſiæ Suecanæ publicis verſione Lutheri convenirent: verſus nonnullos, qui in prioribus omiſſi fuerant, nunc additos: voces, ſi quæ præter textus originarios irrepſerant, excluſas: mutationes, quæ non ita pridem publico Cleri conſenſu in libris Eccleſiaſticis, ſc. in in pericopis Evangeliorum & Epiſtolarum receptæ fuerant, nunc iterum retentas. Porro docet, accuratiorem verſionis Suecanæ collationem cum textu originario reſervatam eſſe aliis temporibus, ſi quæ ipſam neceſſariam duxerint, & longiores moras permiſerint. II. Capitum ſummaria & diviſiones ita nunc adornatas eſſe, ut textus cohærentiam magis illuſtrent. III. Loca parallela magno numero addita eſſe, & huic

editioni adplicata. IV. Capita & verſus ſecundum textus originarios diviſa. V. Annotationes breviores, ad ſingula capita, ex editione Guſtavo-Adolphina huc revocatas, ſed paſſim auctas, immo ubi res id requirebat, mutatas eſſe. Ordinem librorum Biblicorum ſemel receptum ſervatum eſſe, niſi quod in Novo Teſt. Epiſtola Pauli ad Ebræos reliquis Paulinis immediate ſubjiciatur. Porro B. Lutheri Prologos in Epiſtolam ad Ebræos, Jacobi, Judæ, Syracidem eliminatos eſſe, ob cauſas non leves. VI. Veterem & graviſſimam dictionem Suecanam retentam eſſe, eas vero voces, quæ duorum circiter horum ſeculorum intervallo, alias induere ſignificationes, peculiari indice explicatas eſſe. Porro nunc acceſſiſſe indices copioſiſſimos, doctrinalem & dogmaticum, etymologico-hiſtoricum aliosque, item chronologicum, & collationem menſurarum, ponderum & numorum S. Scripturæ cum hodiernis Sueticis noſtris, tabulas item geographicas terræ ſanctæ, itineris filiorum Iſraël in deſerto, peregrinationis Paulinæ &c.

NOUVEAU SISTEME SUR LA CONSTRUCTION & les Mouvemens du Monde, avec une Diſſertation ſur la Ligne de Niveau par M. GOBERT, cydevant Intendant des Baſtimens de ſa Majeſté.

i. e.

NOVUM SYSTEMA CONSTRUCTIONIS ET Motus Mundi, cum Diſſertatione de Linea, quam Mathematici vocant, Horizontali.

Pariſiis apud Jo. Baptiſtam Deleſpine, 1703. 8.
Conſtant plag. 5. cum figuris.

In præfatione ad lectorem Autor partim occaſionem ſui ſyſtematis, partim diverſorum ſyſtematum hypotheſes recenſet, partim quomodo hoc ſcribendi argumentum ſuæ conditioni conveniat, oſtendit. In ipſo tractatu obſervat, quod pro uno ſyſtemate Ptolemaico infinita ſint enata, prout quisque ordinem Univerſi ingenioſius ſibi conceperit; quorum hypotheſes ſæpe inter ſe contrarias, probabilibus tamen argumentis utrinque eſſe munitas arbitratur. Rejicit vero hypotheſin illam, quæ Solem in centro

tro universi defigit, eique præfert eam, quæ globo terreno medium in mundo locum assignat. Neque tamen admittere potest eorum opinionem, qui diversos plane contrariosque motus Soli tribuunt, primum, secundum, declinationisque ad alterutrum polum. Substituit ergo hanc suam, quam putat simplicissimam & maxime naturalem. Nempe statuit Solem perpetuo sub Æquatore ab oriente versus occasum intra 24 horas ita moveri, ut Sol tantum 359 circiter gradus conficiat, deficiens autem gradus trecentesimus sexagesimus quotidie faciat Solem quasi retrogredi. Præterea vero terræ, quæ libere aëri innatat, ob varias rationes annuam tribuit axis inclinationem, ex qua Solis ad nos accessum, & a nobis discessum concipi posse judicat. Ne quis vero nimis acceleratam corporis tam vasti, ut Sol est, circumrotationem objiciat, partim ei obviam procedit omnipotentiæ Divinæ meditatione, cui termini nulli poni possint, partim experimento. Supponit enim rotam, cujus ambitus sit unius leucæ seu 2500 perticarum. Si hæc circumagatur, per chordam minori cylindro, unius duntaxat perticæ, circumvolutam, una sui circumactione 2500 vicibus minorem illum cylindrum in orbem aget; & hac ratione globum illi affixum, unius minuti secundi spatio, 2500 leucas absolvere colligit. Dein instituta hujus summæ multiplicatione successiva, primo per minuta secunda ut & prima, tandemque per 24 horas, numerum hunc 216000000 leucarum producit, quem æqualem esse putat celeritati motus Solaris. Huic meditationi inter alia etiam illud inspersit, gentem Laponicam nec diem nec noctem habere sex mensium, ut communiter asseritur; potius illam singulis annis duabus vicibus per quinque fere menses Solem videre, quando is scilicet inter æquinoctia versatur, in ipsis autem æquinoctiis eundem circiter mensis spatio illis abesse, non tamen sine crepusculis. Dabuntur ergo per hoc systema in Laponia duæ æstates quinque mensium, & duæ hyemes unius.

In Dissertatione *de linea horizontali* refutat tractatum quendam, in quo asseritur, lineam horizontalem, *la ligne de Niveau*, imitari rotunditatem terræ, & ejus puncta æqualiter elongata esse a terræ centro. Examinatis hujus sententiæ fundamentis, lineam illam curvam, quæ rotunditatem terræ sequatur, non realem,

ſed imaginariam eſſe concludit, dum interea ipſe lineam horizontalem rectam ſtatuit, fretus quibusdam rationibus & obſervationibus, quas peculiari machina, a ſe inventa, diverſis in caſibus inſtituit.

JOANNIS CONRADI BARCHUSEN ACROAMATA, in quibus complura ad Iatro-Chemiam atque Phyſicam ſpectantia, jucunda rerum varietate explicantur.

Trajecti Batavorum, impenſis Joannis Viſchii, 1703. 8. Conſtant Alphab. 1. plag. $3\frac{1}{2}$.

Chemiæ cultoribus Clariſſimi Authoris nomen ignotum eſſe non poteſt, ſiquidem is variis jam tractatibus, quanta in hac arte polleat peritia, aliosque juvandi flagret cupiditate, abunde docuit, a nobis hinc aliquoties commendatus. Quæ ipſius induſtria Ampliſſimis Reipublicæ Trajectinæ Conſulibus, Academiæ Nutritiis, usque adeo probabatur, ut ex illorum authoritate Medicinæ Doctor & Profeſſor Publicus eſſe ſex abhinc annis juberetur. Quam ſpartam ut rite ornaret Noſter, in Prælectionibus publicis Res Medicas pariter ac Chemicas & Phyſicas explicandas ſibi ſumſit, hosque labores in præſentia collegit Acroamata, (tanquam Pyroſophiæ ſuæ ſupplementa) non tam dicendi venuſtatem, quam rei veritatem ubique ſectatus. De quibus pro more noſtro pauca.

Poſtquam igitur primum locum Orationi de Antiquitate & Utilitate Chemiæ, cum provinciam Chemiam docendi ſuſciperet, dictæ vindicaverat, in *Diſſertatione II & III* principia Chemica defendit adverſus Peripateticos & Mathematicos; in illa quidem Eraſiſtrati atque Fontani argumenta recenſens & rejiciens, in hac Boylei tractatum de producibilitate principiorum Chemicorum, & Pitcarnii in Iatro- Chemicos animadverſionem refutans. In *IV & V Diſſ.* ſpiritus nitro-äerei, a Mayow multis elogiis commendati, exiſtentiam & effectum in dubium vocat. In *Diſſ. VI & VII* de Panacea agit. Cum autem hanc, ceu medicamentum, quod præſidium ſit præſentaneum morbis ab interna quadam cauſa ortis, dari, & Archeum ſedando operari, Raymun-

dus

dus Lullius, Helmontius, aliique ſtatuerint, negat Noſter hunc ſpiritum ſeu Archeum ſolitarium eſſe ſanitatis & morbi authorem, adeoque cum pars ſolida & organica ſæpenumero ſit vitiata, huic, non ſpiritibus, medicinam parandam eſſe; imo cum unicuique corporis parti ſua peculiaris ſit conſtitutio, non quod uni, id alteri etiam convenire, docet; imprimis cum Hippocrates per Archei notionem non impetum faciens, ſed äerem intellexerit. In *Diſſ. VIII* quaſdam Chemicorum fabulas explicat, inter quas Baſilii Valentini locum de auri depuratione ope antimonii, & aurum ac argentum volatiliſandi rationem, & aquam regis parandi modum ænigmatice propoſitum clarius deſcribit. Quemadmodum & Majeri proceſſum depurandi aurum exponit, & quanquam hic rerum a ſe pictarum ſenſum ipſemet quandoque non ſatis intellexiſſe dicatur, verba tamen ejus: *Fac ex mare & fœmina circulum, inde quadrangulum, hinc triangulum, fac circulum, & habebis lapidem Philoſophorum*, ut intelligenda ſint, Noſter explicat. Sic & Emblema, quod talem gerit inſcriptionem, *Hic leo, quas plumas non habet, alter habet*, reſolvit. Nec tamen eſt, cur quis putet, ſolis Adeptis proceſſus ſuos fabulis & ænigmatibus adumbrare, in delitiis fuiſſe; ſiquidem Iatrochemicos plurimos idem feciſſe, exemplo Rhenani in Croco Solis, & Quercetani in Mercurio dulci & Turpetho Minerali deſcribendo, probat Author. Quin imo talem etiam Veteribus, medicamenta ex plantis paranda obſcuris verbis adumbrantibus, inoleviſſe morem, ex Antidoto Philonis patet, cujus præparandi rationem Galenus clarius exhibuit. Sed pergit in obſcurorum vocabulorum explicatione Noſter, & quid vel Poëtæ, vel Phyſici, vel Mythologi, vel Alchemiſtæ, per Hyles, Chaos, & Materiæ primæ notiones intellexerint, in *Diſſertatione IX* tradit. Siſtunt ſe tunc Elementa Chemica, inter quæ Sal in *Diſſert. X & XI* ſub examen vocatur, ubi, ſal alcali non productum ignis eſſe, ſed in ſimplicibus præexiſtere, probaturus Author, jubet Mercurio ab acido corroſo & ſub forma transparente cuivis liquori innatanti decoctum betonicæ vel alterius herbæ vulnerariæ addere, hinc Mercurium, non niſi a muriatico vel alcalico ſale præcipitabilem, ſub forma pulveris ad fundum vaſis præcipitem delapſurum videbis; item ſpiritum nitri

cornu cervi vel rasuræ eboris affundit, & misturam inspissat, tum verum nitrum, i. e. de acido & alcali participans, generari dicit. In *Dissert. XII & XIII* Sulphur ac Oleum aggreditur, & Veterum de utroque sententiam postquam exposuerat, & in Sennertum, rem aliquam non ob ariditatem, nec aëris, sed olei copiam inflammari, contra Erastum disputantem commentatus fuerat, particulas oleum componentes posse quidem attenuari, & a terrestrioribus segregari, neutiquam tamen in aliud principium transformari docet. In *Dissert. XIV & XV*, ubi de Igne differit, existimat *tabulam felicis materiæ*, quæ extincto igne Vestali a Pontifice ad novum eliciendum ignem, attestante Festo Pomponio, terebrari solebat, ex oliva vel lauro paratam fuisse auguratur. Describit tum ignem per rapidam olei & äeris sibi intermixtorum ab externis varii generis causis factam commotionem, & insuper, cur acervus graminis non rite exsiccati incalescat, & flammam concipiat, item quomodo ignis ex collisione chalybis & silicis producatur, explicat; ut taceamus, quæ de fulguris, fulminis & tonitru phænomenis curiosa profert. Ad Aquam pergimus, cujus doctrinam in *Dissert. XVI, XVII, & XIIX* proponit, quam solitarium principium naturale haud esse, contra Helmontium disputat, & potius in Hippocratis de aere, aquis & locis Librum commentatur, atque putat, aquam alendi gaudere facultate, quoniam unaquæque corporis viventis pars ejus aliquanta portione gaudet. Et quoniam utplurimum aquæ frigidæ vis refrigerandi tribuitur, *in Dissert. XIX* de Refrigeratione agit, & frigus non esse aliquid privativum, contra Peripateticos, ejusque essentiam formalem non semper in partium quiete consistere, contra Cartesianos demonstrat, verum adesse utplurimum rei refrigeratæ partium coarctationem statuit. Perspectis sic tribus Chemicorum principiis, quartum nunc, Terra, *in Dissert. XX* examinatur, quam immutabilem dicit, quocunque etiam modo invertatur; imò tantum abesse, ut nullum præstet in corporibus usum, ut potius terrestre quoddam ubique locorum offendatur. Quæ sequuntur *Dissertationes XXI, XXII, XXIII, XXIV, XXV* de Fermentatione & fermentis agunt, in quibus, fermentationis natura enucleata, an chylificatio, sanguificatio, & reliquæ in œconomia animali

mali functiones mediante fermentatione peragantur, disquiritur, hocque de priori affirmatur & prolixius probatur, de reliquis vero negatur. Quoniam autem Authori nostro fermentum audit, quicquid exigua in quantitate aliam a se diversam rem, ad aliquam sui indolem transmutandi vim obtinet, duplex tale statuitur, acidum alterum, alterum alcalicum, illudque in febribus, lue Venerea, variolis, morbillis peccare accusatur, hujus vero, (quod auctificum etiam vocatur) duas dari species perhibetur, quarum altera violento modo, morsu puta, percussu, ictu venenato tam animalium, quam armorum &c. altera vero insensibiliter magis, ut in morbis contagiosis, peste, dysenteria maligna &c. communicatur. *In Dissert. XXVI & XXVII* de rerum Acidarum productione dum agit, inquirit ante omnia in modum, quo res corrodendi vi præditæ in apricum deducuntur, talisque dicitur consistere partim in mutatione mixtorum in acetum, partim in destillatione; idque non quasi particulæ salinæ transmutentur, sed potius quatenus acidæ particulæ a reliquis, quibus irretitæ fuerant, segregantur. Inde ad Volatilia transit, in *Dissert. XXIIX & XXIX*, quæ parandi quinque modos injungit 1) triturationem, 2) fermentationem, 3) putrefactionem, 4) destillationem, & 5) sublimationem. Fixæ vero redduntur res, (de quo in *Dissert. XXX*) partim per additionem rerum crassarum & ponderosarum, e. g. in lapidis infernalis præparatione, item quando alcalia cum terrestribus combinantur, ut in vitrificatione, aut acida cum alcalibus miscentur, ut in tartaro vitriolato, aut salia urinosa volatilia spiritibus acidis maritantur, ut in salibus fixatis; partim per ablationem unius alteriusve mixtum constituentis principii, ut in bezoardico minerali; partim per particularum inversionem, quemadmodum rerum metallicarum periti, venas auro & argento divites præparare seu fixare, i. e. invertere jubent. Præcipitatio quemadmodum Authori in *Dissert. XXXI* audit, quando in liquido quædam particulæ solidæ extra poros in fundum additione alicujus rei dejiciuntur; ita ad classem hanc non spectat illa præcipitatio, quando vel per menstrui evaporationem aliqualem, aut per congelationem, quædam particulæ ab aliis separantur. Putredo in *Dissert. XXXII* dicitur principiorum mixtum constituentium

sub-

ſubverſio, ab ejusdem humoris cum cæteris & aëreis particulis jugi motione producta, & quandoque cum tetro ſapore & putri odore conjuncta. Quemadmodum igitur vix veroſimile videtur, omnes illos morbos, qui a Medicis communiter a putredine oriri dicuntur, tales revera eſſe: ita non negat Noſter, in corpore humano putredinem concipi poſſe, ſi humor quidam in vaſe aliquo obſtructo immotus perſtiterit, ſicque particulæ ſalino-volatiles oleoſæ potiſſimum, motum inteſtinum ſuum intendant. *Ultima diſſertatio* de Mutabilitate Medicinæ agit, ubi in morborum, remediorum & Medicorum noſtro ævo maxime copioſorum cauſam inquirit, tyronesque Medicinæ admonet Author Clariſſimus, ut medicamentorum naturam & compoſitionem probe addiſcant, eos hac ratione praxin non modo felicius exercituros, ſed & œconomiæ animalis operationes melius intellecturos, ſpem faciens.

Tandem appendicis loco phænomena annectit Noſter, quæ ſe in foliorum buxi, pampinorum, ligni ſancti, abietini, cornu cervi, bilis, pituitæ, ſeu muci ex ore & naribus excreti, ſalivæ, carnis bubulæ, aſelli minoris, ſanguinis ovilli, tendinis vaccini, capillorum humanorum, cartilaginis, lactis vaccini, urinæ, medullæ, axungiæ, ſevi, & ungularum equinarum deſtillatione exhibuerunt.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI OPERA omnia emendatiora & auctiora, ad optimas editiones, præcipue quas ipſe Eraſmus poſtremo curavit, ſumma fide exacta, doctorumque Virorum notis illuſtrata, in decem Tomos diſtincta. Tomi I. II. IV.

Lugduni Batavorum, apud Petrum Vander Aa, 1703. in fol.
Tomus I. conſtat Alphab. 7. plag. $16\frac{1}{2}$
II. Alphab. 6. plag. 17.
IV. Alphab. 4. plag. 7.

Quamvis haud injuſta minimeque improbanda ſit Eruditorum plurium querela, quod præſtantiſſimorum hominum, qui proxime præteritis ſeculis floruerunt, eximia opera e manibus ſtudioſorum literarum plerumque hodie excutiantur, vel ſola raritate,

ritate, & quod nonnisi ægre ac ingenti pretio comparari possint; cum jejuna interim recentiorum volumina in lucem magna quotidie copia protrudantur, solaque fere emenda prostent: sunt tamen nihilo secius inter Bibliopolas, & Belgas præcipue, non uni, qui aliam tenentes sententiam, monumenta prisca solerter ab interitu vindicare allaborant. Horum non postremus censendus est Lugdunensis Bibliopola, Petrus Vander Aa, qui ut Antiquitatibus Græcis & Romanis, aliisque veterum ac recentiorum scriptis editis, non est incelebris, ita bene imprimis mereri gestit de scriptis summi illius Hollandiæ ornamenti, Erasmi Roterodami, in quo eruditionem alii philologicam, alii sublimiorem rerum divinarum cognitionem, alii vitiorum seculi, quo vixit, descriptionem neque fucatam, neque scribentis vitio exaggeratam, alii denique singularem amœnitatem ac libertatem ingenii, cum insigni probitate morum sociatam, maximopere venerantur atque admirantur.

Hujus opera, quæ sigillatim olim, nec semel antea conjuncta prodierunt, nunc ille sistit denuo, eaque in decem tomos distributa, e quibus vero hac vice non nisi duo priores, una cum quarto, in scenam prodeunt. Singulis præfationem anteposuit generalem Vir eruditissimus, qui nomen suum dissimulare, quam illustri nomini Erasmiano ad latus apponere maluit. Multus hic est in delineando Erasmi ingenio, inque scribendi ratione ac instituto latius exponendo, & post alia, statuæ quoque æneæ meminit, quam Magistratus Roterodamensis civi isti suo in celeberrimo urbis foro erexit. Hanc enim ære expressam & ad vivum delineatam, una cum effigie Erasmi, manu dexterrimi Holbenii accuratissime sculpta, cum Bibliopola curiosi Lectoris oculis mox ab initio subjectam voluerit; inscriptiones simul, quibus ea exornata undique conspicitur, iste recenset, ac versiculos insuper ante ædes, in quibus Erasmus natus fuit, legendos repetit. Sed tantum abest, ut opera hæc Præfatione solum sua exornare voluerit Vir doctus, (sive Clericus is est, sive alius fortasse aliquis,) ut passim potius sedulam in iis, quacunque ratione alia expoliendis, manum adhibuerit. Sequutum autem se fuisse dicit editionem Frobenianam anni MDXL, nec quicquam detraxisse, aut in volumi-

luminum ordine, quem obſervandum ipſe cenſuerat Eraſmus, novaviſſe ſe teſtatur, ac, tametſi difficile eſſet, nanciſci exemplar non mutilum aut partim deletum, qualia in plerisque Bibliothecis conſpiciantur, operam tamen cum Bibliopola haud fruſtraneam, ut integrum invenirent, ſe dediſſe innuit. Primum itaque exemplar, quod nactus fuerat, recenſuit, multaque menda typothetarum inter legendum ſuſtulit; pravam ſcribendi rationem, quæ iſta tempeſtate obtinebat, ut cum *Vergilius* ſcriberetur pro Virgilius, *ædere* pro edere, & talia emendavit; innumera, quæ per compendiarias literarum notas exprimi ſolebant, plenis vocibus excudi fecit; diſcrimen characterum, ut loca citata diſtinguantur a verbis Eraſmi, felicite adhibuit; per totum denique opus notulas infimæ oræ adjecit, de quibus ſcire Lectorem cupit, in iis ſe minime aggreſſum fuiſſe Eraſmum interpretari, ſed tantummodo quædam monere, quæ non ingrata nec inutilia legentibus fore putaverit. Illuſtrare ſe interdum Eraſmum, citatis accuratius locis, ad quæ is reſpiciat, aut aliis additis; interdum, quæ habeat, ſe confirmare, aut Lectorem amandare ad eos, qui rem accuratius aut felicius tractarint; interdum etiam oſtendere, eum eſſe hallucinatum, ſed absque acerbitate.

In *primo* volumine, quod continet, *quæ ad inſtitutionem literarum ſpectant*, præter vitam Eraſmi a Beato Rhenano conſcriptam, addidit eam, quam ediderat Petrus Scriverius ante epiſtolas ineditas, deinde præfixam Epiſtolarum operi in editione Londinenſi. Sed nec prætermittenda cenſuit judicia ſelectiora virorum doctorum de Eraſmo, quin etiam epitaphia multo plurium adjecit, ſeorſim ante edita, & rariora interim reddita. Præter notulas libris ipſius Eraſmi ſubſtratas, potuiſſe ſe multa annotare dicit, ad libros e priſcis ſcriptoribus converſos, ut exiguo in ſpecimine ad Libanii Declamatiunculas p. 549. ſeqq. oſtenderit. Sed nihil eſſe opus hæc augere reputavit, cum pleræque illæ Eraſmi verſiones ſint cum archetypis editæ, interpolatæ, aut caſtigatæ in doctorum Virorum notis, quod vel ex Luciani editione Amſtelodamenſi ſatis pateat. Colloquiis vero multo uberiores notas annexuit, rejectis tamen atque inductis inſulſis, falſis, puerilibus aut inutilibus multis adſumentis, quibus a neſcio quo confarci-

farcinatore Erasmus dehonestatus fuerit. Libro de Pronunciatione præfixit monitum necessarium ex Ger. Joanne Vossio.

Tomus *secundus Adagia* complectitur, quibus Editor subdidit notas, quas Henricus Stephanus olim in Adagia Erasmi scripsit, & quæ, perincommodo ordine, ad calcem in ejus editione aliisque deinde erant amandatæ. Neminem enim futurum credit, qui legens ordine adagia, aut ea, occasione data, consulens, a se impetraturus sit, ut clauso volumine ad finem confugiat, & ibi quærat, num quid sit ad id, quod legit, annotatum? aut qui annotationes, quæ sine contextu intelligi nequeunt, seorsim legat. Notulis præterea suis, Pauli quoque Leopardi animadversiones in consortium datas fuisse, significat.

Sequitur, reservato adhuc tertio, *quartus* Tomus, ea exhibens, *quæ ad morum institutionem pertinent*, & inter alia Erasmi *Apophthegmata*, quibus pauculas heic illic notas allevit, ex Pauli ejusdem Leopardi emendationum libris depromtas, e quibus liquere censet, deceptum illum vitiosis codicibus, interdum argutias dictorum non esse assecutum. In *Encomio stultitiæ* edendo, prævium se habuisse dicit exemplar Parisiense anni 1675, cui additæ sint notæ Gerardi Listrii, & figuræ Johannis Holbenii, præstantissimi pictoris & Erasmi amici, qui oculis repræsentare voluerit, quæ Erasmus animo descripserat, ut cum eo veluti penicillo suo certaret. Eas igitur figuras omnes, æri eleganter incisas, heic spectandas sistit, non prætermissa etiam ipsius Holbenii effigie, quam geminam, alteram ex Bibliotheca Academiæ Basileensis, alteramque ex museo Feschiano, uno in folio contemplandam offert.

EURIPIDIS TRAGOEDIÆ, MEDÆA ET PHOENISSÆ, Græco-Latinæ, cum Scholiis Græcis integris, nonnullis nunc primum editis. Quarum prior ex collatione H. STEPHANI; posterior HUGONIS GROTII & MS codicibus Cantabrigiensibus; cum Commentario, variis Lectionibus atque Indice locupletissimo. Accessit ejusdem Vita jam denuo conscripta. Studio & opera WILH. PIERS Colleg. Emman. Socii.

Cantabrigiæ, typis Academicis, impensis Sam. Smith & Benj. Walford, 1703. in 8. Alph. 1. pl. 4.

Cum in re literaria id agendum sit, ut non Heroum solum laudibus ac memoriæ, splendide adornatis illorum monumentis consulatur, sed & literarum studiosis præsidia studiorum necessaria parentur: non magis illorum nobis commendanda industria videtur, qui integra Virorum doctorum opera, lucubrationibus suis illustrata, Eruditorum deliciis consecrarunt, quam qui excerptas ex optimorum Oratorum, Philosophorum ac Poetarum libris, selectiores partes tyronum usibus ita accommodarunt, ut hi facilius ac felicius in solidæ eruditionis adyta penetrare queant. Providam hic admodum Anglorum ac Batavorum curam agnoscimus, ejusque frequentissima in his Eruditorum Actis documenta dedimus: quo etiam, quem nunc recensemus, libellum referendum esse existimamus. Duæ hic Euripidis Tragœdiæ, Medæa & Phœnissæ, Græcarum literarum exhibentur cultoribus. At quanti Poëtæ, quam excellentes Tragœdiæ? Quarum alteram H. Stephanus ob elegantiam memoriter recitavit, & inde fundamenta mirabilis illius in Græcis literaturæ duxit, ipseque adeo Cicero olim jamjam interficiendus manibus trivit: alteram vero magnus Grotius, in carcerem conjectus, dulce levamentum suorum malorum ratus, interpretatione metrica, quæ quidem huic editioni non addita est, donavit. Nota est splendidissima omnium Euripidis Tragœdiarum, & fragmentorum etiam, a Viro Reverendo, Josua Barnes, adornata Cantabrigiensis editio. Sed nec ignavam, ut hæ duæ denuo hic resplendescerent, operam dedit editor clarissimus, Wilhelmus Piers. Typorum quidem certe singularis comparet elegantia, Illustrissimi Principis Caroli, Ducis Sommersetensium, Cantabrigiensis Academiæ Cancellarii, typographeo debita. Castigatissimam etiam hanc editionem pollicentur summorum Virorum, H. Stephani & Hug. Grotii in has Tragœdias collatæ operæ, MSCtum item fabulæ Phœnissarum, e bibliotheca Collegii Corporis Christi diligentissimo Editori communicatum, & exemplar Grotianum Parisiis A. 1630 editum, & cum plurimis MSCtis codicibus collatum. Scholia eadem, quæ in Barnesii editione habentur, his quoque

quoque Tragœdiis adjecta videas; nisi quod in Phœnissis perpauca quædam scholia Græca adhuc e prædicto MSC. suppleta, ultimæque paginarum oræ extra ordinem adjecta sunt. Variæ lectiones aliquot una pagella 382, e codd. MSCC. & Grotiano exhibentur. Quas notæ quædam in Medæam & Phœnissas a p. 376 ad 381 antecedunt. E quibus vel duas attulisse sufficiat. Ad Medææ scil. v. 422, ubi Musæ dicuntur τὰν ἀπιςοσύναν ὑμνεῦσαι, observat, Eustathium in Iliad. ζ, hæc κατ' ἀντίφρασιν dici existimare: recte vero in eo moneri ab H. Stephano, vocem ὕμνος & ὑμνέυειν potius ad media esse referendam; cum a Sophocle & Æschylo in utramque partem usurpata inveniantur. In Phænissis v. 219 retinet Editor receptam a MSC. Scholiaste & Grotio lectionem Σικελίας. Miratur autem, quomodo Zephyro flante navigare ex partibus Phœniciæ circa Tyrum in Græciam, h. e. ab Oriente in Occidentem potuerint. Quare cum Scholiastæ explicationem, per Siciliam aliam hujus nominis insulam, inter Chalcidem & Aulidem positam, & a majori hac Sicilia diversam, intelligentis rejecisset; Strabonis potius autoritate hunc nodum solvit, qui Lib. XIV, p. 665, ed. Par. inquit: *οἱ ποιηταὶ δὲ, μάλιςα οἱ τραγικοὶ συγχέοντες τὰ ἔθνη.* Nescimus tamen, an non felicior Thomæ Stanleji a Barnesio in h. l. adducta sit emendatio, qui pro Σικελίας, Κιλικίας legendum, quamvis vetus error ipsum Scholiasten deceperit, in aureo suo ad Æschylum commentario p. 754 prolixe probat. In fronte libri Vita Euripidis denuo, ut Autor inquit, conscripta, & ex omnibus, quotquot uspiam de Tragœdo hoc ejusque scriptis digniora occurrebant, collecta comparet. In qua tamen, quantum e diligenti vitæ Euripidis a Barnesio confectæ, ac hujus recentioris, collatione perspicere potuimus, nihil plane occurrit, quod non fere luculentius a Barnesio descriptum fuerit. Quare ut aliqua solum ex ea delibemus, brevibus nunc ea, quæ occasione miseræ Euripidis mortis, quippe qui a canibus regiis prope Bormiscum oppidum est laceratus, de infelicibus Eruditorum fatis a Barnesio afferuntur, adjungemus. Præter Euripidem enim ipsum, & Sotades, qui acerba Euripidis & aliorum fata eleganti carmine, quod & hic legitur, deploraverat, memoratur, qui, quod Ptolemæo Philadelpho matrimonium cum so-

rore exprobrasset, in carcerem ab eo conjectus, Plutarcho περὶ παίδων. fol. XI. teste, contabuit. Ita Heraclitus ὁ σκοτεινὸς, ipse quoque canibus laceratus periit, Theocritus suspendio, Orpheus discerptus interiit, Empedocles flammis Ætnæ consumtus. Hesiodus ab inimicis gladio cæsus, Ibycus & Archilochus a prædonibus, & Lycophron sagitta, ut Cornelius Gallus suo gladio transfixus est. Anacreon uvæ acino, Cratinus & Terentius maris haustu, Seneca & Lucanus a Nerone venas secti, periere; Ovidius ab Augusto in exilium actus, ut & Propertius a nonnullis dicitur. Denique Lucretius philtro furiatus ipse sibi manus conscivit. Inter recentiores Caspar Barlæus puteo suffocatus, Hieronymus Savanarola igne extinctus, Zuinglius prælio, Petrus Ramus laniena Parisiensi, Jo. Funccius Chronologus capite plexus, Brissonius JCt. tempore Ligæ Parisiensis a seditiosis suspendio necatus, Jo. Henricus Hottingerus in Limagi trajectu undis mersus, interierunt. Denique magnum Bataviæ lumen H. Grotius, & nobile par Stephanicæ domus, æterna typographorum decora, Robertus & Henricus, patria profugi, & tantum non ultima passi dicuntur.

DESCRIPTIO ET MODUS UTENDI NUPER INventis constructionibus microscopicis parvis, confectis per JACOBUM WILSON, quæ cum magna commoditate applicantur ad inspectionem opacorum, transparentium & liquidorum objectorum, uti sunt, farina florum in plantis, circulatio sanguinis, animalcula in semine &c.

Excerptum ex Transact. Philos. Angl. Mens. Sept. & Octob. 1702. Num. 281.

Nuperas vitrorum augentium emendationes non tam eorum confectioni compositionique, quam methodis applicandi objecta commode luci, deberi asserit, eaque in re instrumentum sequens nulli alii inferius repertum iri confidit ejus Inventor. Cumque tam experientia quam Excellentissimi Viri D. Hookii autoritas certos nos faciat, quod microscopia unica lente constantia præferri mereantur iis, quæ ex duabus aut pluribus lentibus componantur, hinc novum hoc microscopia applicandi genus,

unico

unico solum vitro augente objecta contemplatur. Horum vitrorum octo, differentis foci virtutisque huc pertinent. Septem eorum duobus instrumentis diversis imponi possunt, quo melius variis applicentur objectis. Primum Instrumentum repræsentatur Fig. I. AAAA. Confectum id est ex ebore, habetque 3 tenues lamellas orichalceas EE, cum elatere tali H. Una harum tenuium lamellarum affigitur ligno suberino F, concavitate G tam in lamella quam ligno facta. Una extremitas hujus instrumenti constat longiuscula cochlea D, vitro C tecta; altera extremitas excavatam habet cochleam oo, cui inseri possunt singula vitrorum augentium, cujuscunque usus requiratur. Omnia hæc 8 vitra inter se differentia, ebori sunt indita, septem quidem ad modum fig. IV n. 4. expressum; quorum maxime augens notatur in ebore num. I, proximum n. 2. & sic porro usque ad n. 7; octavum vero non notatur, sed imponitur exiguæ pyxidi eburneæ rotundæ ut in fig. II. Tabella eburnea ee (quarum 8 vel plures pro lubitu parari possunt) excisa est 3 foraminibus fff, quibus indi possunt 3 vel plura objecta, inclusa duobus tenuibus planis ex vitro, vel vitro Moscovitico, quando maxime augentibus lentibus illa sunt applicanda.

TAB. V. Fig. 1.

Fig. 2.

Alterum Instrumentum fig. III ex ære factum est, habetque juncturas PPPP, quibus commode quaquaversus verti possit volsella GG, quæ in punctis k ope cochleolarum II aperitur pro assumendis objectis. Alteri extremitati volsellæ rotundum frustulum eburneum H affigitur, ex uno latere album pro objectis opacis & nigricantibus, ex altero nigrum pro objectis albi coloris. Super apice A hujus instrumenti omnia 8 vitra affigi possunt, uti patet ex fig. IV. n. 4. Eo fine foramen est in ebore, cui apex immittitur, & ex altera parte pinnula ærea B, ad firmius retinendum vitrum annectitur. Objecto itaque quodam inter puncta forficulæ k recepto, vel in altera extremitate H posito, facile poterit ope juncturarum PPPP cochleæ C, & rotulæ D, ad exactam in centro distantiam applicari, elatere E motum dirigente.

Fig. 3.

Fig. 4.

Usus prioris instrumenti Fig. I. AAAA talis est. Sumitur una ex tabellis ee, inditurque inter duas tenues lamellas æreas EE structuræ microscopicæ, ita ut objectum perlustrandum exacte sit in medio, & oculo proximum. Tunc lens num. 3, 4,

5, 6,

5, 6, vel 7, immittatur in matricem oo ſpiraliter excavatam, dumque per lentem oculus objectum inſpicit, cochlea D in altera extremitate propius vel remotius gyratione ſua objectum ſiſtet, donec in vera legitimaque diſtantia, clare diſtincteque videri queat. Verum cum per magis augentia vitra, minima pars objecti videatur, poterit (manu apprehendendo extremitatem tabellæ ee, ſuaviterque eam movendo,) totum objectum ſucceſſive, vel pars quæcunque pro lubitu perluſtrari, debitum ſitum, forſan mutatum, cochlea D ſemper reſtituendo.

Hoc modo cerni poſſunt omnia transparentia objecta, pulveres, liquida, cryſtalli ſalium, exigua inſecta, qualia ſunt pulices, vermiculi &c. Si inſecta viva ſint abitura, poterunt ea inter duo tenuia vitra in foraminibus f f concludi, annulo, qui vitra continet, exemto, rurſusque ſuperindito; ſi vero inſpiciantur pulveres vel liquida, parum liquoris vel pulveris in exteriori latere vitri ff illitum, inſperſumque & rite applicatum, commode ſatis videbitur.

Lentibus vero ſub num 1. & 2. conveniunt ſolum tenuiſſima folia vitrea in foraminibus f f ponenda; craſſities enim vitri impediret objectorum approximationem debitam. Hoc tamen probe notandum eſt, ne dum tabellæ e e veſinduntur, aut eximuntur, aut hinc inde moventur inter laminas EE, impedimentum ſentiant, ſed aliquali remiſſione cochleæ D ipſis ſpatium concedatur.

Ad videndam ſanguinis circulationem, in extremitatibus arteriarum & venarum in transparentibus piſcium partibus, duo requiruntur tubi vitrei, unus amplior, alter gracilior gg. Cum gracilior tubus uſui eſt, cochlea D revolvenda eſt, usque dum tubus gg facile in exiguam cavitatem G laminæ, quæ ſuberi F affixa eſt, ſub reliquis duabus lamellis æreis EE ingredi queat, cumque cauda piſcis expanſa tubo vitreo adjacet, ea lenti opponenda eſt, & rotatione cochleæ D facile ad veram diſtantiam adducetur, ubi circulatio ſanguinis magna cum delectatione conſpicietur.

Quando vero amplior tubus vitreus majori cum piſce vel rana applicandus eſt, tunc æream laminam G F ſuberi affixam eximere oportet, quod deprimendo reliquas duas lamellas EE cum elatere H verſus B, lamellam autem cum ſubere G F lateraliter movendo

movendo facile fieri poteſt, tunc grandior tubus inſeri poterit intra machinam microſcopicam, & applicari prouti minor. Eſt autem eligenda rana, quæ exacte tubum repleat, cujus pes poſterior expandi, & arcte tubo apprimi debet, nulla alia parte corporis lumen impediente, tunc in membrana tenui, quæ inter pedis digitos intercedit, in numeroſiſſimis vaſculis ſanguis circulari videbitur; idque lentibus inventoris ſub num. 3 & 4, quæ lentibus num 1 & 2, ob craſſitiem tubi piſces ranasque includentis, & approximationem ideo impedientis, commode cerni nequit. Vitrum octavum pyxidi fig II. incluſum unice Inſtrumento alteri fig. III imponitur (aut ſaltem manu tenetur,) ad conſpicienda majora objecta, uti ſunt muſcæ, communia inſecta &c. Foramen a in latere Pyxidis inſervit infigendo apici A Inſtrumenti ænei, extremitate b proxime verſus oculum, altera verſus objectum poſita; apprehenſo igitur forficulæ apicibus k quocunque inſecto, aut opaco quopiam jacente in altera extremitate C, facile vera diſtantia juncturis cochleaque procurabitur.

In ipſa contemplatione objectorum exacte attendendum eſt, ne manu, capillamento, aliisque rebus lucis appulſus ad objectum impediatur: optima enim lente nihil cernetur, niſi in debita diſtantia, & ſufficienti cum lumine.

Optima illuminatio provenit vel a claro diei lumine, aut a Solis ſplendore ſuper album quodpiam recepto, aut a reflexione ſpeculari lucis. Lux candelæ pariter proba eſt ad obſervationem circulationis ſanguinis, & exiguorum inſectorum; ſolum difficilior eſt ejus directio nondum ſatis exercitatis in applicatione microſcopiorum, ſed uſus plura docebit.

Si delineationem obſervationis microſcopicæ facere quiſpiam velit, inventor quoque fulcrum ſtabiliendis duobus inſtrumentis adaptavit, poteſtque tabulæ cuicunque imponi. Quando igitur lux objecto affulgens fuerit accommodata, poterit ſine lucis inveniendæ difficultate, quivis obſervator objecta commode contemplari.

HET VIERDE ANATOMISCH CABINET VAN FREDERIC RUYSCH.

i. e.

FREDERICI RUYSCHII, ANATOMIÆ ET BOtanices Professoris, Thesaurus Anatomicus Quartus.

Amstelodami apud Joannem Wolters, 1704. 4.

Constat plag. 7. cum figurarum æncarum tabulis III.

NOn desistit Author Clarissimus, pauxillum illud temporis, quod praxeos uberrimæ & lectionum publicarum labores concatenati concedunt, partibus animalium condiendis & præparandis, illisque per scripta publica cum Orbe literato communicandis impendere. Eam vero ob causam tantis sumtibus tantoq; labore conservat tot conclavia, Anatomicis rebus instructa, *ut ne quis diceret*, (verba sunt Authoris in quarto hoc, quem jam exhibemus, Thesauro pag. 25.) *figuras publice editas male esse confectas; nam si quis de ea re dubitet, dabitur semper occasio, domi expiscandi, an cum natura conveniant, nec ne; & si omnes ita fecissent, aut ita facere coacti fuissent, non obtrusissent nobis tot figuras fictitias, aut ex aliis auctoribus desumtas.* Nos pauca ex hoc quoque pro more delibabimus.

p. 5. Tunicam cerebri arachnoideam monstrat, supra dorsum piæ matris fluctuantem, vasisque sanguineis destitutam, quibus
p. 12. tamen hæc refertissima est, hinc rubicunda maxime apparens. Viri adulti mammam exhibet cum papilla, in qua ductus lactiferi post pinguedinis consumtionem contracti, incrassati, & in se convoluti sunt, ut ipsa papilla mammæ molem superet; atque eodem modo vetulæ mammas macilentæ constitutas esse docet. Licet enim ductus lactiferi tempore graviditatis & lactationis in magnam molem extendantur, contrahuntur tamen iidem post ablactationem, cum otiosi sint; quemadmodum & in vesica urinaria hominis sani, post redditam urinam, fibræ usque adeo con-
p. 14. trahuntur, ut nucis juglandis molem ista haud superet. Inversam porro infantis recens nati vesicam urinariam sistit, in cujus fundo mediante seta foramen detegitur, quod urachi osculum cœcum dici posset, quia hic vesica inflata, ultra digiti mini-
p. 28. mi transversi altitudinem, äerem non admittit. Cavitates hinc notabiles, a nullis hactenus demonstratas, in interstitiis corporum vertebrarum commemorat, quæ in corpore vivo & recens denato lim-

to, limpido & tenaciori humore repletæ ſunt, quemadmodum in cæteris juncturis; eademque corpora, præter exteriora & ſatis nota, internis quoque breviſſimis ſibi invicem adſtantibus numeroſis gaudere ligamentis, monet. Hæc autem circulariter ſita culmi craſſitiem longitudine non æquant, & ſi cultello transverſim inter juncturas incidantur, & ſeparentur vertebræ, inſtar cepæ transverſim inciſæ & lamellatim diſpoſitæ, oculis ſe offerunt dicta ligamenta. Tandem & portionem maxillæ humanæ ſervat Noſter, in qua inter proceſſum condiliformem, & ejus locum inſertionis, membrana dura intercedit, eum forſan in finem formata, ne maſticando ſonitum, auditui officientem, ederet junctura.

p. 28.

p. 30.

Ex figuris, quas Author Clariſſimus huic Theſauro addi curavit, Figuram III. Tabulæ I. hic Lectori curioſo ſiſtimus, quæ Plicam Polonicam veram exhibet.

TAB. V. Fig. 5.

MUSEUM MUSEORUM D. MICHAELIS BERNHARDI VALENTINI Phyſ. & Med. in Acad. Gieſſena Prof. Publ. Ord. S. R. I. Academiæ Nat. Curioſ. Adjuncti & Recuperatorum in Italia Collegæ.

Francofurti ad Mœnum apud Joh. David. Zunnerum, 1704. in fol. Conſtat Alphab. 8. cum figuris æneis.

Simplicium notitia, quæ ex triplici Naturæ regno petita, vel in uſum Medicum impendunt pharmacopolæ, vel mercatores, artifices, aut quivis alii operarii tractant, per aliquot hactenus ſecula promota quam maxime fuit. Propriis enim oculis talia non ſolum in Principum æque ac privatorum hominum Muſeis uſurpare licet, verum etiam quibus hæc adire non conceſſum eſt, tot Hiſtoriæ, Deſcriptiones, & Delineationes Simplicium literis conſignatæ ac æri inciſæ curioſo ſatisfacere poſſunt abunde. Publice eum in finem proſtant Muſeum Societatis Regiæ Anglicanæ, Muſeum Regium Danicum, Wormianum, Calceolarianum, Septalianum, Hiſtoria Naturalis Ferdinandi Imperati, Hiſtoriæ Simplicium a Blegny & Pomet exhibitæ; ut infinita alia taceamus ſcripta. Quoniam autem hæc omnia vel manca ſunt, vel erroribus referta, imprimis autem circa Simplicium originem & naturam falſas quandoque nobis obtrudere ſolent hypotheſes, de

Republica Literaria æque ac Civili bene meriturum se sperabat Clarissimus Valentini, cujus frequentius mentionem his in Actis fecimus, si vernacula lingua perfectum firmisque fundamentis superstructum publici juris faceret Museum. Quæcunque igitur in aliis Museis, Itinerariis, Ephemeridibus annotata, a rei Physicæ æque ac Medicæ peritis relata, & propria experientia confirmata observabat, selegit & in hoc Museum Museorum congessit. Ea autem methodo Simplicia illa exotica, quæcunque ex Regno Minerali, Vegetabili & Animali, vel in medicum, vel quemvis alium in usum cedere solent, explicat, ut neglectis synonymiis, eorum descriptionem, notam bonitatis, atque usum brevissime suppeditet. Omisit interim illa, quæ in aliis equidem Museis commemorata, nullo tamen se usu commendant, sed facili negotio, si visum fuerit, in Tomum II horum Operum congerenda. Imo Armamentarium Naturæ meditatur Vir Clarissimus, quod Tomum III constituat, & machinas, ac instrumenta, quibus Physicam scientiam profitentes in Collegiis suis curiosis experimentalibus uti solent, exhibeat & describat. Ex figuris, quarum non exilis est numerus, Massam Coralloidem albicantem
Tab. V. porosam, maris fluctuationem egregie præsentantem, hic com-
Fig. 6. municamus. De cætero, huic operi Tractatus D. Majoris, quondam jam impressus, est additus, cujus titulus: Unvorgreiffliches Bedencken von Kunst- und Naturalien Kammern insgemein. Imo Epistolæ a D. Clayero, Rumphio, Herberto Iagero, ten Rhyne, qui Indiam Orientalem olim petierant, lingua Belgica scriptæ, sed in Germanicam translatæ, ut & Relationes de plantis, herbis & gemmis rarioribus sunt adjunctæ.

THE HISTORY OF KING WILLIAM III.

i. e.

HISTORIA WILHELMI III, REGIS MAGNÆ Britanniæ. Tomi tres.

Londini apud A. Roper & F. Coggan, 1702. 8.
Constat 3. Alph.

Histo-

Historiæ hujus, quam Angli maximo hactenus plausu excepere, auctorem esse *Boyerum*, natione Gallum, editoque Londini A. 1699 Dictionario Regio Gallico-Anglico (*The Royal French and English Dictionary*) aliisque scriptis celeberrimum, & aliunde, & imprimis ex Historiæ rei litterariæ (*The History of the Works of the Learned*) quæ Londini per mensium intervalla prodit, mense Septembri anni 1702 constat; ubi illud præcipuo honori cedere Auctori dicitur, quod & Oxonienses, & Cantabrigienses, hunc fœtum Chetwoodo primum, Viro eximie docto, adscripserint, forte quod plura ad Chetwoodum spectantia tomo II p. 246 ss. & tomo III p. 399 inserta deprehendissent. Etsi vero Boyerus tribus partibus absolvere hanc Wilhelmi III Vitam initio constituisset, quarum prima ea complecteretur, quæ a nativitate Wilhelmi, seu potius ab A. 1672, quo ejus primum virtus inclaruit, usque ad annum 1684, Caroli II Regis emortualem; altera, quæ & imperante Jacobo II, & tempore Interregni; ac tertia, quæ Wilhelmo III ad Regnum evecto, ad ejus usque mortem gesta sunt: attamen obrutus demum materiarum ubertate, partem ultimam in duos tomos dispescere opus habuit, quorum alterum ad mortem usque Mariæ Reginæ, A. 1694 defunctæ, continuatum brevi post reliquas partes vulgavit Auctor, alterum, qui usque ad mortem Wilhelmi continuandus erat, frustra hactenus, ut opus integrum simul repræsentaremus, exspectavimus. Quantum ad fontes, e quibus sua hausit Noster, in prima quidem parte libris nonnullis impressis, ut Maurerii Commentariis rerum Belgicarum, Templii item, Arlingtoni & aliorum opusculis, in reliquis Actis Parliamenti, tum prelo vulgatis, tum manuscriptis, aliisque monumentis secretioribus usus est. Nos obiter quædam ex eleganti opere, quæ ad res imprimis Belgicas, tum a Jacobo II, nec non Wilhelmo & Maria in Anglia gestas spectant, delibabimus.

Memorabilia sunt, quæ circa Wilhelmi cum Maria connubium gesta sunt. His nuptiis cum tandem assensum præbuisset Carolus II, ejusque rei nuntium Wilhelmo attulisset Templius, eum inter suavissimos amplexus allocutus ita fertur: *tu me mortalium omnium felicissimum reddidisti.* Sed alienissimus ab hoc conjugio erat Jacobus Regis frater, pater sponsæ, quod jam tum acriter in

T. I. p. 97. p. 100.

in publico Regni Senatu, de excludendo a successione Jacobo, &
Maria communibus suffragiis Regno destinanda, disputaretur.
p. 10. Quæ consilia non omnino sibi improbari, eo significavit Wilhelmus,
quod Berclæo e Senatu Regni adventanti, cum de re nova quæsitus,
quantopere modo publicum Exclusionis decretum (***the Bill of Exclusion***) oppugnaverit, enarraret, paucis, *& quamobrem ita fecisti?* (***and why did you so?***) respondit. Itaque & prorogatum
mox a Carolo Parliamentum, indigne ferebat Wilhelmus, & hoc
cum nova Sponsa in Belgium redeunte, hoc magis gaudebat Carolus, quo major per ejus præsentiam simultas Regem inter &
p. 11. subditos videbatur metuenda. Tametsi vero Auctor fateatur
passim, singulares Jacobo II virtutes fuisse, attamen nec tacet crudelitatis exempla, post debellatum imprimis Ducem Monume-
p. 33. thensem ejus jussu edita. Certe Thonoduni tantum & Wellæ,
quingentos fuisse morti condemnatos scribit, e quibus ducenti
triginta novem e patibulo suspensi fuerint, corporibus post in
quatuor partes sectis, reliqui paulo ditiores ingentes pecuniæ summas, quidam nempe quatuordecim millia nummorum aureorum
(*Guinees*) judici, Jeffreys dicto, pependerint, qui gloriatus sit,
se plures homines suspendio enecasse, quam judices alios omnes
inde a temporibus Wilhelmi Conquæstoris. Quin ipsas quoque
virgines Thonodunenses, quæ Ducem illum fasciis seu ligulis colore tinctis pro more Anglico in signum amoris donaverant, pecunia multatas fuisse. Quæ deinde propius magnæ rerum sub Jacobo conversionis causas & seriem concernunt, pluribus possent hic
referri, nisi in Actis nostris A. 1697 mense Octobri, & A. 1703
mense Julio, abunde jam de his actum esset. Inter cæteras causas forte hæc quoque non minima fuit, quod Episcopos nonnul-
p. 182. los carceri mancipari jusserat Jacobus, qui orto de Wilhelmi conatibus rumore, liberi postea dimissi sunt, communi populi &
p. 185. militum plausu. Attamen plurimum fiduciæ Rex habebat in
exercitu, quoque magis fidem probaret militum, offerri illis jussit libellum subscribendum, quo pro viribus allaboraturos se promitterent, ut pœnales leges & nota juramenti illius formula, quam
Test Angli appellant, abrogarentur. Et primum quidem unicæ legioni indictum est, ut qui mandato Regio parere nollent, arma deponerent;

nerent; at confestim omnes, exceptis paucis Pontificiæ religioni deditis, abjecerunt arma. Qua re magnopere attonitus Jacobus, p. 186. jussit tamen arma recipere milites, additis verbis: *nequaquam dignos vos putabo deinceps, quos consulam.* Neque minus a Papatu abhorruere, qui in classe erant; parum enim aberat, ut Missam in ea celebrantes in mare præcipites darentur. Inter eos, qui Wilhelmum clam evocarunt, memorantur Whartonus, Sidnæus, nec non Comes, hodie Dux Devoniæ, quippe privato odio provocatus, quod ob inflictam non nemini in ipso cubiculo Regio alapam, triginta millibus librarum fuisset a Rege multatus. At plurimum eam ad rem momenti attulere Hamdenus uterque, pater & filius, & Sunderlandia, fœmina singularis & exquisitæ prudentiæ. Quo magis autem augebatur indies de adventu Wilhelmi rumor, eo magis Jacobus de mitigandis Anglorum animis erat sollicitus, eoque & querelis Archi Episcopi Cantuariensis aures præbebat, & mederi malis diligenter studebat: ex quo factum, ut intra duodecim dierum spatium, quæcunque quatuor antehac annis in gratiam Pontificiorum facta & decreta fuerant, rescinderentur omnia. Interea adversa tempestate rejecta Wilhelmi classis erat, quamobrem Pontificii immensum lætabantur, & ipsi Amstelodamenses pariter atque Harlemenses, quo magis securum Jacobum redderent, in publicis relationibus multo veris majora damna finxerant. Ast refecta intra octiduum classe, Wilhelmus A. 1688 die 5 Novembris, qui ob detectam olim conspirationem pulverariam Anglis celebratur, vento secundo vectus, feliciter in Anglia appulit, observatumque est, postea quam classis in portum se recepisset, conversum illico in aliam plagam ventum esse. Hinc, ut cætera mittamus, A. 1689 die 28 Jan. decretum est in publico Regni Senatu: *Jacobum II Regni constitutiones, originalem, qui inter Regem & populum intercedit, contractum violando, subvertere conantem, & e Regno egressum, abdicasse ipso facto imperium, eoque sedem vacare.* Mox statutum amplius, Pontificiam religionem Angliæ constitutionibus repugnare, & qui ei dediti essent, eos a Regia dignitate excludi, nec licere posthac Regibus Angliæ uxores ducere Pontificias. Post longas deinde disceptationes, die 6 Februarii,

p. 188
p. 206.
p. 209.
p. 228.
p. 236.
p. 326.
p. 327

p. III. arii, Wilhelmo & Mariæ Regia dignitas decernitur. Adveniunt
p. 54. deinde e Scotia Legati utrumque Regem salutantes; vicissim hi, Argatheliæ Comite verba prælegente, juramentum præstant, sublatis in cœlum more Scotico dextris. Quo in actu id fuit memorabile, quod, cum ad ea jurisjurandi verba ventum esset: *hæreticos exstirpare curabimus* (*We shall be carefull to root out Hereticks*) Wilhelmus dixerit, *se haut existimare impositam sibi verbis his persecutionis necessitatem* (*that he did not mean by those Words, that he was under any Obligation to become a Persecutor*) quo audito responderunt Legati, nec juramenti hunc sensum esse, nec leges Scotiæ persecutores ferre. Quod ad Irlandiam, ea quidem partes Jacobi tuebatur, solaque urbs Londonderry renuebat obsequium, cumque sæpius deditionem facere præsidiarii vellent, rerum omnium inopia paulatim victi, prævaluit
p. 58. tamen Georgii Walkeri virtus, qui cum esset in ignobili oppido scholæ Rector, singulari tamen defendendæ religionis zelo incensus, legionem, quam suis sumptibus contraxerat, adduxit, & militum suffragiis urbi præfectus, sermonibus gravibus e suggestu Ecclesiastico recitatis, eo rem perduxit, ut obsidionem die 10
p. 68. Aprilis cœptam, ultimo Julii die solvere hostes cogerentur, postquam commeatu obsessi, quemadmodum a Walkero e suggestu prædictum fuerat, recreati fuissent. Quo facto & Wil-
p. 86. helmo Regi pro præstito auxilio gratias egit Walkerus, & pro
p. 146. merito remuneratus, in celebri ad Boandum prælio anno sequenti occubuit. Cum vergente anno 1689 denuo congregatus esset Regni Senatus, eleganti oratione præsentes allocutus est Wilhelmus, quam ipse, sicut Noster scribit, Gallico idiomate composuerat, & Consiliariis Anglice transferendam dederat. Hoc enim modo se correcturum censuit antecessorum errorem, qui cum a ministris elaboratas adlocutiones recitare satis habuissent, privatorum
p. 163. affectibus obsecuti visi sunt. Nec defuit tamen querelarum eo in Senatu materia. Inter cæteros Hamdenus filius, quanquam capitis discrimen adiisset sub Jacobo, & cum patre recentem rerum conversionem procurasset, magnopere conquerebatur, eosdem Wilhelmi ministerio adhiberi viros, qui & olim Jacobo adhæserant, atque in contrarium adducebat Wilhelmi I, Principis

Arau-

Arausionensis & Henrici IV Galliæ Regis exempla, quorum ille Ducis Albani, hic Mayenii ministris fidem habuissent nunquam. Anno 1690 descendit in Irlandiam Wilhelmus, bellum totis viribus prosecuturus, cumque lenta quorundam consilia cognovisset, *nequaquam se* dixit *eo venisse, ut gramen crescere sub pedibus pateretur*, admiratusque paulo post regionis præstantiam, *dignum est* exclamavit, *pro quo depugnemus, Regnum.* Quis expeditionis eventus fuerit, & quæ secuta sunt alia, notiora sunt, quam ut iis enarrandis immoremur. De Regina Maria die 28 Dec. A. 1694 defuncta, in cujus charactere exprimendo prolixus Auctor est, hoc loco non est omittendum, quod de Historicis tulit judicium. Cum enim nonnulli labem quandoque ab Historicis adspergi summis in Republica viris præsente Maria conquererentur, dixisse fertur: *siquidem hi tales revera fuerint, quales ab Historicis repræsentantur, digni sunt ea labe, quam ut effugiant Viri Principes, recte vitam instituant oportet: quippe veritas celari nequaquam potest.* Cæterum quicquid illa temporis a publicis negotiis vacuum habuit, legendis S. Litteris & libris Theologicis, tum & Historicis & Poëticis dedit, sed a Comœdiæ, qualis apud Anglos est, licentia admodum abhoruit. Nulla denique re alia præterquam Architectura & re hortensi delectata est, quod quicquid est vanitatis, condonandum sibi duxit, cum pluribus alendis inserviat.

p. 180.

p. 403.

p. 405.

Plura etiam in hoc libro deprehendas, quæ ad rem litterariam spectant. Exhibetur hic solennis disputationis series, quæ A. 1687 inter Tennisonum scholæ S. Martini illo tempore Rectorem, summumque hodie Præsulem Cantuariensem, Virum longe eruditissimum & nobis, quod sine jactantia dictum cupimus, faventissimum, atque Pultonum Jesuitam fuit instituta, quam ex ipso libro cognosci par est. Quanquam & antea A. 1686 inter Stillingfleetum & Jane, Protestantes ab una, & duos monachos Benedictinos ab altera parte, in gratiam imprimis Comitis Roffensis, (qui si vincerentur Protestantes, paratum se profitebatur ad amplectendam religionem Pontificiam) acris fuit de regula fidei & judice controversiarum disputatio, qua qui discesserint victores, facile ex eo patet, quod & Comes ille supremi Thesau-

Tom. II. p. 96.

p. 86.

 tarii

rarii munus, quam religionem priſtinam deſerere mallet, & ipſe Jacobus auditor diceret, ſe malam cauſam nunquam melius, nec
T. III. bonam pejus defenſam antea audiviſſe. De Edmundo Ludlovio,
p. 150. qui una cum aliis morti damnaverat Carolum I, eoque decreto Parliamenti A. 1661 facto Caroli II gratia excluſus erat, refertur, quod ſpe bellici muneris obtinendi lactatus in Angliam redierit A. 1689. At non paſſi ſunt Angli parricidam impune in Anglia verſari, & a Wilhelmo Rege, ut de apprehendendo Ludlovio mandatum promulgaret, petierunt. Quod poſtquam cum ſecure in Belgium transfretaſſe compertum eſſet, demum Rex edidit. Hinc in ignobili Helvetiæ oppido vitam reliquam traduxit, ſcripſitque Commentarios, de quibus in Actis his anni 1699, menſe Aprili
p. 293. diximus. Prodierat anno 1691 libellus, *Mercurius reformatus* dictus, auctore Welwoodo Medicinæ Doctore, in quo acerbius perſtringebantur Parliamenti adverſus Wilhelmum conatus. Tametſi vero Auctor fuiſſet aliquandiu juſſu Parliamenti carcere detentus, mox tamen inter Archiatros Wilhelmi receptus eſt. Duriora fata experti ſunt A. 1693 libelli duo alii. Cum enim pro-
p. 354. diiſſet ſchediaſma ſub titulo *King William and Queen Mary Conquerors*, quo & Wilhelmo & Mariæ Conquæſtoris titulus fuerat vindicatus, illud decreto Parliamenti igni damnatum eſt, & ſupplicatum Regi, ut Edmundus Bohun, qui imprimendi licentiam fecerat, officio moveretur; cumque ſimile quidpiam antea a Gilberto Burneto, Epiſcopo, in Epiſtola quadam, quam *A Paſtoral Letter* inſcripſerat, aſſertum fuiſſe nonnulli prædicarent,
p. 381. eadem publice cremata eſt. Statutum etiam eodem anno, ut liber blaſphemus, inſcriptus *A Dialogue concerning the Deity, and a brief but clear Confutation of the Doctrine of the Trinity*, hoc eſt, *Dialogus de Deitate, & brevis ac perſpicua doctrinæ de Trinitate confutatio*, igne publice aboleretur, & diligens in auctorem, bibliopolam item & typographum fieret inquiſitio. De eruditis quoque viris paſſim aliqua immiſcet Auctor, eorumque
p. 344. annos emortuales deſignat. Nam ut nihil dicamus de Roberto Boyle, cujus mors incidit in annum 1692, plura ſunt, quæ de Wilhelmo Sancrofto & Joanne Tillotſono, Archiepiſcopis Cantuarienſibus, Auctor refert, quorum ille A. 1693, die 24 Novem-

bris, hic A. 1694, die 22 Novembris decessit. Sancroftum tradit virum & prudentem & sincerum fuisse, artiumque, quibus aulici ad lucrandum Principum favorem uti solent, ignarissimum, præterea conscientiæ tenerrimæ; quare Archiepiscopatum deserere, quam fidem Jacobo II promissam solvere maluit. Itaque Tillotsonus jam tum A. 1691 in ejus successit locum dignitatemque, qui omni vita id optime expressisse dicitur, quod alios e publico suggestu docuit, quique tanta eloquentiæ laude excelluit, ut ejus sermones instar quoddam præbeant Anglicanæ elegantiæ. p. 385. p. 398.

Cæterum in universum observamus, ea imprimis accurate ab Auctore recenseri, quæ in publico Regni Senatu gesta sunt, quod ex mente Evremontii, qui Angliæ historiam scribere velint, historiam Parliamentorum scribere debeant. Illud vero haud satis probandum videtur, quod passim propria nomina, eorum maxime, qui hodieque in vivis sunt, literis tantum initialibus, invidiæ forte vitandæ causa, designet; unde exteris quædam videri poterunt obscuriora. T. III. præf.

HISTOIRE DE GUILLAUME III.

i. e.

HISTORIA WILHELMI III, MAGNÆ BRITANNIÆ Regis. Tomi duo.

Amstelodami apud Petrum Brunel, 1703 in 12. Constat Alph. 2.

Præter Anglicam, quam memoravimus, vitæ Wilhelmi III descriptionem, tres quoque in Belgio anno proxime elapso prodiere libri, vitam ejusdem Regis complexi, Gallicoque idiomate conscripti. Ex his, ut Samsonium, cujus fœtum Anglica etiam civitate donatum accepimus, atque alterum Anonymum, Amstelodami ex officina Mortierii vulgatum, in aliud tempus reservemus, producimus hic Biographum haud infacundum, sed qui nomen suum ignorari voluit. Universam vero Wilhelmi vitam inde ab anno 1650 usque ad annum ejus emortualem 1702 descripsit, in eaque ita versatus est, ut secretioribus rerum causis, ne divinando nugas vendere videretur, parum curiose inve-

ſtigatis, ſimplex ubique veritas, & ſummæ imprimis Wilhelmi virtutes vafræque Gallorum artes apparerent. Et hic quoque nobis curſim librum perlegentibus, quædam viſa ſunt notatu digniora.

T. I. Memorat Auctor, Wilhelmum admodum puerum, cum al-
p. 11. ter ejus præceptor (duobus enim uſus eſt,) in ſcholis Geographicis Angliam illi velut totius orbis compendium repræſentaſſet, dixiſſe: *utinam forem tantilli orbis dominus!* rogatumque: *ecquid cum orbe illo acturus eſſet?* addidiſſe: *fac ſaltem mihi concedatur, & apparebit, quid acturus ſim.* Sed ut ingens ani-
p. 13. mus, ita & ingenii acumen mature patuit. Cum enim Ferdinandus Tellez, Legatus Luſitanicus, inſtituto Hagæ (quo tempore armis Hiſpani cum Luſitanis collidebantur,) cum Hiſpanico Legato Stephano de Gamara nefando commercio, per aliquot menſes ei Luſitanorum conatus omnes prodidiſſet, & re poſtea detecta Bruxellas fuga evaſiſſet, quo loco non niſi noctu prodire foras auſus eſt; factum eſt forte, ut puer Wilhelmus in fabulis Æſopicis legens in eam inciderit, quæ de noctua ob deſertam fœde pugnam nocturnæ vitæ damnata agit, qua ſimul lecta ex-
p. 37. clamavit: *en noctuam Legatum Luſitanicum!* Cum de bello agit Noſter, quod Galli Anglique A. 1672 intulere Belgis, mirando cum ſucceſſu, fortunam victorum ex eo ſtatim tempore
p. 44. inclinaſſe obſervat Auctor, cum fruſtra anno dicto menſe Junio parvum oppidum Ardenburgum aliquot Gallorum millia obſediſſent. Poſtquam enim pauciſſimi præſidiarii obſidentium prope ſexcentos cepiſſent, & multos etiam nullo e ſuorum numero deſiderato occidiſſent, dici non poteſt, quantum ea re erecti Belgarum
p. 56. animi fuerint. In illo bello, quantum interſit conſilia recondere, oſtendit Wilhelmus, & refertur quidem, quod Ducem quendam bellicum, de voluntate ejus curioſius aliquando percontantem, interrogaverit: *num nemini conſilium, ſi ſciverit, revelaturus ſit?* cumque ille reſpondiſſet, *nemini*; adjecerit: *& mihi iſtud donum ſupremum conceſſit Numen, ut poſſim celare ſecreta.*
p. 93. Ad magnanimitatem ejus ſpectat, quod ſupremum Geldriæ & Zutphaniæ dominium A. 1675, cum iter illac faceret, oblatum,
p. 130. conſulto Hollandiæ & Zeelandiæ Senatu, repudiavit. Sed quod jam

jam facta A. 1678 cum Gallis pace, Ducem Luxemburgicum inopinantem aggressus est, secus nonnulli interpretati sunt. At Noster sero allatas Fagelii ad Wilhelmum litteras, quibus pacis legibus subscriptum esse nuntiabatur, vel exinde probat, quod litteræ illæ die 13 Augusti datæ Hagæ, & prope Montes Hannoniæ pugnatum die 14 ejusdem mensis fuerit, ut afferri eodem die neutiquam potuerint. Magno tamen in eo conflictu discrimini ab Ouverkerkio exemtus est Wilhelmus, quippe is Gallorum, qui recto impetu in Wilhelmum ferebantur, ducem glande trajecit. Unde a Statibus & sclopetis minoribus & ense auro distinctis, ob servatum Principem, donatus est. Cum de Jacobo II agit Auctor, ait, eum multos e Protestantium principibus velut Monmuthio faventes supplicio affecisse, ejusque, ut creditum, jussu nummum publice comparuisse, cujus in uno latere facies Jacobi Regis, in altero leo coronatus orbem ungue tenens cum epigraphe: *nemo me impune lacesset*, fuerit spectatus. Gratior fuit inscriptio, quæ in vexillis navium, quibus in Angliam trajecit Wilhelmus, visa est, insigni ejus juncta: *Pour la Religion & la liberté*, & paulo infra: *Je maintiendray*, quod est Arausionensium Principum emblema. Et memoratu dignus quoque numus, qui finitis coronationis Wilhelmi & Mariæ cerimoniis, quas prolixe Noster describit, in vulgus sparsus est. Ex altera parte Regum facies, ex altera Phaethon a Jove fulmine tactus repræsentabatur, additis circum verbis: *Ne totus absumatur orbis.* Inde res in Irlandia gestas fuse persequitur Noster, & quibus se periculis in victoria ad Boandum A. 1690 obtenta Wilhelmus objecerit, enarrat. Ortum vero exinde rumorem fuisse dicit de cæso in pugna Rege Wilhelmo, qui cum Parisios quoque sub mediam noctem allatus esset, miræ lætitiæ, quanquam vanæ, præbuit materiam. Pulsatæ continuo civium fores, annuntiatum evangelium, inflatæ buccinæ, displosa ex arce tormenta, sonantibus per aliquot dies campanis, & populo ita extra se rapto, ut constructas per festinationem Wilhelmi & Mariæ imagines publice cremaret. Sparsus mox rumor est in universam Galliam, mandatumque provinciarum præfectis, ut festivos ignes, gaudii signa accenderent, quin etiam Aureliæ cantatus est, jussu Superiorum, hymnus *Te Deum laudamus*, cui solemnitati

p. 133. p. 131 p. 134. p. 171. p. 210 p. 277. p. 370. 371.

 nitati

nitati Parliamenti assessores rubris induti tunicis interfuere. De
p. 295. Georgio Walkero supra e Boyero diximus, quem Noster ob navatam in Irlandia egregiam operam, viginti millibus Joachimicis
p. 404. a Rege donatum fuisse refert. Sed minus notus est *Van der Poel*, sacris Godereæ, (*Goeree*) quæ insula est prope Hollandiæ littora sita, functus, cujus hic singularis pro Wilhelmo cura extollitur. Nimirum ineunte anno 1691, mari se commiserat Wilhelmus, in Belgium trajecturus; cum vero jactatæ diu contrariis ventis naves bellicæ ad incerta glacieque obsessa littora appellere non auderent, naviculam cum paucis conscenderat Wilhelmus moræ impatiens, qua cum per horas octodecim fuisset jactatus, accidit, ut Minister ille nondum dispulsis tenebris noctis, littus maris peteret cum servulo facem præferente, quasi coelitus de periculo Regis admonitus. Ubi dum sclopetum aliquoties explosisset, observant signum nautæ, & cursum eo dirigentes primo mane proxime ad littus accedunt: quo viso Poelius per objectam glaciem ad naviculam Regiam contendit, Regemque & comites salvos deducit in insulam, ac pro facultatibus suis victu parabili recreat, oblata vero vicissim a Regiis ministris dona generoso animo
T. II. respuit. Celebris est Landensis pugna A. 1693 commissa,
p. 39. qua vel cedendo laudem singularem consecutus est Wilhelmus. Est enim dignum memoratu, quod de illa tulit Rex Galliæ judicium, Luxemburgicum instar Principis Condæi oppugnasse hostes, Wilhelmum vero instar Turennii e pugna ex-
p. 162. cessisse. Sed nihil æque Wilhelmi gloriam auxit, quam Namurci expugnatio, quam urbem tot munimentis instruxerant Galli, ut crederent prorsus inexpugnabilem, quippe inscriptis portæ alicui verbis: *Place à rendre, mais non pas à prendre*, hoc est, *reddenda, sed non capienda.* Detestandæ conjurationis contra Wilhelmum A. 1696 factæ, utut negarunt pertinaciter conjura-
p. 185. ti, auctorem præcipuum fuisse Jacobum, partim e mandati ejus verbis, partim ex eo probat, quod Caleti eodem tempore commoratus fuerit, ut paratus esset ad invadendam cum expedita classe
p. 227. Angliam, unde re detecta redierit Lutetiam; tum quod redux factus nummos plurimos, in quibus cædes Wilhelmi repræsen-

taba-

tabatur, colliquari curaverit, exemplaribus etiam libelli in Anglia spargendi omnibus igne combustis. Cum nonnulli in Senatu Regni A. 1698 eo adigendos censerent Judæos, ut eundem cum Christianis diem Dominicum festum haberent, Rex ab ea lege fuit alienissimus, addiditque, *eos Principes, qui dominari velint conscientiis, si non cæcos, certe ambitiosos esse, qui pallio religionis involvantur quo superstitiosos facilius fallant; at Principem nulla re æque quam persecutionis charactere deformari.* A splendore quoque magnopere abhorruit; quare non minus pia vox ejus circumfertur, *Majestatem Regiam nullis indigere ornamentis.* Denique nec tacenda est summa ejus pietas, quæ tum imprimis, cum morti vicinus esset, enituit. Postquam enim mortem præsentiens cum Anna Principe per duas horas collocutus esset de rebus arduis, a re mundana cogitationem omnem ad futuram vitam transtulit, jussisque adstantibus, ne magnificas sibi exsequias instruerent, suis ipse manibus oculos reclusit, sicque die 19 Martii A. 1702 pie exspiravit.

p. 320.
p. 321.
p. 513.

JOH. BERNOULLI PERFECTIO REGULÆ SUÆ edita in Libro Gall. Analyse des infiniment petits art. 163. pro determinando valore fractionis, cujus Numerator & Denominator certo casu evanescunt.

Ex nulla re magis elucescit methodi alicujus utilitas, quam si inexspectatum præstat auxilium in enodandis quæstionibus, quæ per alias vias, per quas tamen solas solvi posse videntur, infelici plerumque successu tractantur et irresolutæ manent. Hujus inexspectati auxilii exemplum luculentissimum habemus in nostro Calculo differentiali circa præsentem materiam. Cum enim ante hos decem circiter annos incidissem in considerationem curvarum quarundam algebraicarum, quarum ordinatim applicatæ exprimuntur per fractiones habentes numeratorem & denominatorem uno in casu nihilo æqualem, dum interim ipsius fractionis valor aliquid reale existit, qui prima fronte determinatu non adeo facilis, sed tanto difficilior, quanto plurium diversorum laterum complicatione fractio composita habetur. Hoc quicquid erat, proble-

matis

matis loco proposui tum temporis Illustrissimo Marchioni Hospitalio, cuius nunc suprema fata lugemus, & nonnullis aliis Galliæ præsertim mathematicis, & in specie quidem hoc exemplum

$$y = \frac{\sqrt{2a^3x - x^4} - a\sqrt[3]{aax}}{a - \sqrt[4]{ax^3}}$$

ut nempe mihi definirent verum valorem ipsius y, quando x sumitur $= a$, siquidem ex nuda substitutione aliud nihil emergat quam $y = \frac{ao}{o}$, ex quo utique ninil concludi possit.

Illi re acrius perpensa, dignam satis judicarunt quæstionem, cui se applicarent, sed varias tentantibus vias per analysin ordinariam, insuperabiles difficultates sese obtulerunt, neque ipsis vel somniando in mentem venisset, calculum differentialem, in quo erant versatissimi, hic aliquid præsidii afferre posse: tota quippe quæstio cum mere esset algebraica, eam etiam non nisi algebraice resolubilem censebant. Sed cum ex hoc fonte omnia adhibuissent, quæ aliquid ad scopum conferre videbantur; solutiones vero suas diversis modis tentatas sibi contradicere perspexissent, modo hoc, modo illud, nunc $y = a$, nunc $y = 2a$ pro quæsito valore exhibentes, incerti utrum eligerent, agnoverunt tandem se multum abesse a vera solutione, quam a me lubenter edoceri cuperent.

Respondi ego, si ex analysi ordinaria petere vellent modum aliquem solvendi, debere prius fractionem propositam ipsi y æquatam reduci ad æquationem terminis pure rationalibus constantem, eamque postea (quod semper fieri possit) dividi per $x - a$, & tandem in ea, quæ oritur, tantum substituendum esse a loco x, ut ita habeatur valor ipsius y.

Verum simul subdidi, hoc quidem succedere in exemplis, ubi non magna sit complicatio signorum lateralium, ut in hoc

$$y = \frac{-xx + a\sqrt{ax}}{a - \sqrt{ax}}$$

sublatis enim asymmetriis provenire

hanc

hanc æquationem $x^4 + 2ayxx - a^3x - 2aayx - ayyx + aayy = 0$, qua divisa per $x - a$, oriri hanc $x^3 + axx + aax + 2ayx - ayy = 0$, ubi posito a pro x, haberi $3a^3 + 2aay - ayy = 0$, adeoque resolvendo æquationem hanc obtineri $y = 3a$ pro quæsito valore fractionis $\frac{-xx + a\sqrt{ax}}{a - \sqrt{ax}}$ in casu quo $x = a$. Quando autem exempla sint talia, quæ plura eaque diversa signa lateralia involvant, ut in nostro $y = \frac{\sqrt{2a^3x - x^4} - a\sqrt[3]{aax}}{a - \sqrt[4]{ax^3}}$, ubi tria diversa sunt signa, nullum tunc hac via successum sperandum esse, ob immensum nimis laborem, qui suscipiendus sit in sublatione irrationalitatum, & qui illam tantum non impossibilem reddat.

Dixi itaque aliam mihi præsto esse methodum, quam nulla quantacunque etiam signorum involutio irritam reddat, sese porrigentem ad exempla complicatissima eadem facilitate, qua ad simplicissima. Verum enim vero prælaudati illi Viri ad quæstionem mere algebraicam aliquid utilitatis, ut iam dixi, ex calculo differentialium afferri posse non suspicantes, scire gestierunt, ubinam ergo latitaret mysterium, quod ut illorum indagandi industriam excitarem, non statim aperui, usque dum impensius flagitantibus in eo consistere tandem ostendi, quod fractionis propositæ numerator & denominator considerari possint, tanquam exprimentes naturas duarum curvarum super communi axe descriptarum & in aliquo ejus puncto concurrentium, in eo scilicet, quod ab initio abscissarum distat quantitate a, qua substituta loco x, fractionis termini in nihilum abeunt; atque adeo cum duæ illarum duarum curvarum applicatæ in illo puncto evanescentes degenerent in suas differentiales, quod oporteat loco numeratoris & denominatoris substitui eorum differentiales, ut nova habeatur fractio ejusdem valoris cum priore in casu singulari $x = a$; quod itaque hæc nova fractio post surrogatum a pro x, statim datura sit citra ullam aliam operationem quæsitum valorem, & quidem pro

 supe-

superiori exemplo $y = \frac{\sqrt{2a^3x - x^4} - a\sqrt[3]{aax}}{a - \sqrt[4]{ax^3}}$, facillime hunc $y = \frac{16}{9}a$.

Inexpectata hac facilitate perculsus Illustris Hospitalius regulam istam juxta alia mea inseruit postea *Analysi Infinite Parvorum*, quam inde citans doctiss. Saurinus in *Ephemer. Parif. 3. Aug. an. 1702.* nescius a quo fuerit inventa, generaliorem nonnihil deprædicat eam quam par est: sed veritatis amore non est dissimulandus regulæ illius defectus aliquis, quem neuter animadvertit; hunc igitur ut detegam tollamque, & ita regulam meam ad perfectionis colophonem perducam, notandum est, aliquando accidere posse, ut nova fractio orta ex differentiatione terminorum fractionis propositæ. eadem adhuc laboret difficultate, id est, ut novos acquirat terminos itidem in nihilum abeuntes in casu $x = a$; id quod tunc necessario contingit, quando differentiales ipsæ terminorum in eo casu respectu reliquarum vel infinite magnæ vel infinite parvæ evadunt, seu quando curvæ illæ duæ super eodem axe descriptæ non obliquum, sed vel rectum vel nullum angulum faciunt cum axe in puncto concursus: Exempli loco proponatur hæc fractio $\frac{a\sqrt[3]{4a^3 + 4x^3} - ax - aa}{\sqrt{2aa + 2xx} - x - a}$, quæritur ejus valor existente $x = a$; Jam vero, si differentientur ex regulæ præscripto termini fractionis, prodibit pro novo numeratore $\frac{axxdx\sqrt[3]{4}}{\sqrt[3]{a^6 + 2a^3x^3 + x^6}} - adx$, & pro novo denominatore $\frac{xdx\sqrt{2}}{\sqrt{aa + xx}} - dx$, quorum ille in casu proposito est $adx - adx$

seu

feu $oadx$, & hic $dx - dx$ feu odx; ideoque & ipfa nova fractio degenerat in $\frac{oadx}{odx}$ feu $\frac{oa}{o}$, quæ valorem determinatum nullum habet, & ita per regulam nihil hactenus proficeretur.

Huic inconvenienti ut medelam afferamus, duas novas oportet ut confideremus curvas fuper communi axe defcriptas, quarum applicatæ eandem habeant rationem, quam habent priorum differentiales, & fi hæ iterum in communi puncto concurfus angulum cum axe facerent vel rectum vel nullum, aliæ adhuc duæ curvæ confiderandæ forent, quarum applicatæ haberent cum proxime præcedentium differentialibus eandem rationem: idque toties faciendum, donec perveniretur ad duas curvas axem oblique fecantes in puncto concurfus, ad tales enim tandem neceffario pervenietur, nifi fractio propofita habeat valorem vel nullum vel infinite magnum, quo cafu una tantum curva fecabit axem oblique, altera tanget aut normaliter fecabit eum.

Hoc intellecto facile eft videre, fi poft primam differentiationem terminorum fractionis datæ, alii prodeant termini, qui fubftituto a loco x abeant in nihilum, hos iterum effe differentiandos, ut & ex his novos prodeuntes, fi in cafu $x = a$ denuo evanefcant, & fic porro, usque dum habeatur fractio conftans terminis in eo cafu non evanefcentibus.

Ratio hujus proceffus eft evidens ex eo, quod differentiæ applicatarum in curvis duabus primis poffint effe vel comparabiles in puncto concurfus axis cum reliquis applicatarum differentiis, quo cafu una tantum differentiatione opus eft, ut in exemplo priori $y = \frac{\sqrt{2a^3x - x^4} - a\sqrt[3]{aax}}{a - \sqrt[4]{ax^3}}$; vel quod differentiæ illæ poffint effe fimpliciter infinite parvæ vel magnæ refpectu reliquarum differentiarum, quo cafu fecunda differentiatio eft inftituenda, ut in exemplo altero $y = \frac{a\sqrt[3]{4a^3 + 4x^3} - ax - aa}{\sqrt{2aa + 2xx} - x - a}$,

si enim termini ex prima differentiatione orti $\frac{axxdx\sqrt[3]{4}}{\sqrt[3]{a^6+2a^3x^3+x^6}}$ $-adx$ & $\frac{xdx\sqrt{2}}{\sqrt{aa+xx}}$ $-dx$, id est (diviso utroque per dx) $\frac{axx\sqrt[3]{4}}{\sqrt[3]{a^6+2a^3x^3+x^6}} - a$ & $\frac{x\sqrt{2}}{\sqrt{aa+xx}} - 1$, denuo differentientur, prodibunt $\overline{a^3+x^3}^{-\frac{5}{3}} . 2a^4xdx\sqrt[3]{4}$, & $\overline{aa+xx}^{-\frac{3}{2}} .$ $aadx\sqrt{2}$, quibus positis in formam fractionis & substituto a loco x, habebitur $2a$ pro valore quæsito fractionis propositæ $\frac{a\sqrt[3]{4a^3+4x^3} - ax - aa}{\sqrt{2aa+2xx} - x - a}$: Vel quod differentiæ illæ possint esse infinities infinite parvæ vel magnæ respectu reliquarum differentiarum, quo casu differentiatio adhibenda est: & ita pro gradu infinitatis illius multitudo differentiationum augebitur. Plura hunc in finem exempla, quæ in promtu essent, hic cumulare velle, res esset supervacanea & tædii plena.

Cæterum vero, quando supra dixi, terminos fractionis propositæ habentes differentiales (in casu $x = a$) respectu reliquarum infinite magnas, per sui differentiationem producere novos terminos in eo casu iterum in nihilum abeuntes; hoc ita intellectum velim, quod post peractam reductionem demum in nihilum abeant, alias certe novi termini prodeuntes, ut quilibet attendens facile videt, infiniti potius evadunt, ita ut numerator sit $\frac{m}{o}$ & denominator $\frac{n}{o}$, uterque scilicet infinitus; sed per reductionem habeatur $\frac{m}{o} : \frac{n}{o} = \frac{om}{on}$, cujus nunc termini utique ex infinitis fiunt evanescentes.

JOH.

JOH. JACOBI CRAMERI D. ET P. גואל ישראל, *sive THEOLOGIA ISRAELIS, qua Goëlis officium ac mysteri um ad confirmandam Jesu Christi Deitatem & officium ex Hebræorum potissimum scriptis proponitur.*

Francof. & Lipsiæ, apud Jo. Nicol. Andreæ, 1704. in 4. Alphab. 5.

Brevis equidem vita fuit, sed memoria inter Eruditos longa erit Jo. Jacobi Crameri, cujus notitiam ab oblivione vindicavit doctissima Oratione, in qua vitam ejus accurate & copiose enarratam dedit, *Joh. Heinricus Schrammius*, Professor Publicus & Pædagogiarcha Herbornensis. Natus videlicet Cramerus est Tiguri anno seculi superioris tertio & septuagesimo, IX Kalendas Februarias, patrem nactus cognominem, Pastorem & Camerarium, ceu vocant, Tigurinum Elgovianum, cujus cura studiis mature admotus, discendi ardore tam incredibili incaluit, ut freno opus habuerit, non stimuliis. In schola publica manuductionem imprimis Jo. Jacobi Huldrici, Gymnasiarchæ Tigurini, proficuam sibi quam maxime sensit, & hinc in Academicam lucem bene præparato, exasciato, lævigatoque ingenio prodiit. Singularem vero a prima adolescentia Linguis Orientalibus & Philologiæ sacræ operam prout impendit; sic & in Academia eandem strenue continuavit, ope usus & consilio celeberrimorum Philologorum, Jo. Henrici Suiceri, & Jo. Henr. Hottingeri, optimi Parentis non minoris Filii. Neque Philosophiam, quam inter & Philologiam dulce statuit esse conjugium, neglexit, viam ipsi monstrantibus Suicero jam laudato, Lavatero item, Ottio, & Salomone Hottingero. Theologiam vero hausit ex institutione Jo. Henrici Heideggeri, Casparis Wolphii & Antonii Klingleri. Omnem autem diligentiam suam sola in patria exercere nolens, ad exteros proficisci instituit, mensesque adeo Aprili A. 1695 Academiam salutavit Altdorfinam, ubi a Wagenseilio quam humanissime in ædes & quotidianum convictum receptus, & a reliquis non minus Professoribus clarissimis magni æstimatus est, & præter res Talmudicas, scientiis quoque Mathematicis sub doctore suo, Jo. Christophoro Sturmio, sedulo incubuit. Kalendis Septembribus in terram excurrit Batavam, ac sedem suam primo Ultrajecti fixit, sed hinc eum mox retraxit infaustus de præpropero exoptatissimi Parentis excessu

ceſſu nuncius, ad quem domum ut reverteretur, paternum ſepulchrum adiret, ac cineres lacrymis perfunderet, matrisque dolori intercederet, inevitabilem ſibi neceſſitatem injunctam agnovit. Sed non diu ibi hæſit, quin Altdorſium potius repetiit, ibique per annum integrum commoratus, cum quibusdam magnorum parentum filiis, civibus ſuis, novum iter ingreſſus Ratisbonam primo, dehinc Viennam contendit. Inde in Pannoniam excurrit, poſt per Auſtriam, Moraviam & Bohemiam, Pragam petiit. Saxoniam porro cum ſuperiorem, tum inferiorem peragravit, Lipſiæ, Wittebergæ, Helmſtadii, Guelferbyti, Hannoveræ, Lubecæ, Hamburgi, Berolini, Bremæ, Viros fama florentiſſimos ſalutans. Poſt Grœningam, Franequeram, & tandem Amſtelodamum conceſſit, & hinc iterum diſcedens, Lugdunenſis in Batavis Academiæ civis factus eſt, ubi ſexies & decies, quatuor intra menſium ſpatium, ſub Friderici Spanhemii, Jacobi Triglandii, & Johannis Marckii præſidio diſſertationes publicas defendit. Belgio relicto in Angliam trajecit, inſtructiſſimas Oxonienſes & Cantabrigienſes Bibliothecas ſedulo excuſſit, inque Tillotſonii, Burneti, Mori, Stillingfleti, Allixii, Hydei, Walliſii, Smithi, aliorumque notitiam pervenit. Sed & in Galliam profectus eſt, & Pariſiis in Bibliotheca Regia catalogum librorum Hebræorum, aliorum imperitia deformatum, priſtinæ integritati reſtituit, rogatu Bibliothecariorum, quorum hoc ipſo favorem & inſignem meruit benevolentiam. Linguam inſuper Arabicam beneficio Abbatis de Longuerue familiarem ſibi reddidit, & hoc proxeneta amicitias expertus eſt Huetii, Malebranchii, Simonii, Montfauconii, Baluzii, & aliorum. In patriam redux cum factus eſſet, ſplendidis cum conditionibus ad Profeſſionem Philologicam & Philoſophicam, in Magnæ Britanniæ Regis Gymnaſio ornandam, evocarunt Lingenſes, ſed patriæ inſervire ſuæ maluit, ac aſſignatam ſibi Tiguri Profeſſionem Linguarum Orientalium & Antiquitatum ſacrarum promte ſuscepit, ſpartamque hanc publice & privatim quam dexterrime ornavit. Sed anno nonageſimo octavo Sereniſſimi Naſſaviæ Principes ad triplicem illum Profeſſionem, Theologicam, Linguarum Orientalium & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ, in urbem Herbornenſem evocarunt. Quam vocationem ſequi haud recuſavit. Antequam vero

vero illuc se conferret, cum vix annum superasset vigesimum sextum, in Rauracorum Academia Doctor Theologiæ renunciatus est. Nondum per biennium juventutis Academicæ commodis Herbornæ inservierat, cum iterata vice ad Regium Lyceum, quod Lingæ est, nomine Potentisſimi Magnæ Britanniæ Regis, Guilielmi, ab Illustrisſimo Comite de Portland, per celeberrimum Leidensis Academiæ Professorem, Jacobum Triglandium, citari se deprehendit, ut Theologiam ibi doceret; sed vincula a Serenisſimis Principibus sibi injecta excutere noluit, & Herbornæ lubens substitit. Sed fata noluerunt, ut diutius & illic hæreret, committere. Phthisi namque correptus, in patriam, ut nativo aëre gauderet, & depositis publicarum functionum fascibus, apud domesticos suos, dulcisſimam matrem, & suavisſimos amicos, vitam tranquille ageret, se contulit, ubi malo ingravescente V Iduum Februarii A. 1702 supremum diem obiit.

Quanta vero & quam felici cum industria vitam universam transegerit, ex laboribus ipsius Philologicis, quos affectos reliquit, plurimis abunde patet, quales sunt *Translationes locorum illustrium ex Gemara Berachot*, *Massechet Peah*; *Excerpta ex Mass. Schabbat*, *Mass. Jevammot*, *Mass. Negaim. Mass. Para*; *& Samaritana quædam*, ad *numos* præcipue *Samaritanos* spectantia. Amplo in *Massechet Succa*, *Misnam* & *Gemaram Commentario* immortuus est, prout & ineditum in *Epistolam ad Philippenses & alia Scriptura Sacra capita illustriora Commentarium* reliquit. Edidit vero, præter Orationem *de Scholarum perpetuo in Ecclesia Dei usu*, Dissertationem de *Theologia naturalis existentia*, Tractatum *de ara exteriori Templi Secundi* perelegantem, & demorsos ungues sapientem, quem in Academia Lugdunensi Batava publice defenderat.

Sed hæc, quam sistimus, *Theologia Israëlis*, post mortem demum ejus prodiit, & hæc ipsa eo magis se Lectoribus commendabit, quo diligentius Noster eximiam studioque indefesso acquisitam eruditionem suam, ad principes illas fidei nostræ de persona & officio Messiæ veritates, adversus Socinianos & Judæos præcipue illustrandas transtulit. Hunc sane in finem, veram veteris Goëlis rationem, ex S. Scriptura & potioribus Judæorum Scriptoribus exponen-

nendam ſibi ſumſit. Et partibus quidem duabus,atque in *priori* tribus libris, negotium hoc executus eſt. Monſtrato namque duplici Goelis apud veteres officio, ſeu principalioribus ejusdem partibus, alteram, qua proximum ipſiusque bona in libertatem, & priori poſſeſſori Goël reſtituit redemitque, *Libro primo* comprehendit. Cujus partis myſterium, oſtenſa typica Goëlis ſignificatione, *Liber ſecundus* prolixius exhibet, officiumque Chriſti Mediatorium eleganter ex typo depingit, atque integrum ob oculos proponit. Altera typici Goëlis officii pars, qua ſanguinem proximi nefarie trucidati vindicavit, homicidam ad aſylum fugere compulit, atque ad Pontificis Maximi obitum exulare coëgit, *Libro tertio* breviter ſummatimque, quoniam de rebus huc referendis prolixi alii ſunt Auctores, conſpicienda traditur, & Meſſiæ cum genere humano conjunctio & conſanguinitas, qua nos a Diabolo circumventos & occiſos vindicavit, mortisque ejus, ut ſummi Pontificis, pretium valorque, cujus vi priſtinæ felicitati redditi ſumus patriæque, declaratur & evidenter comprobatur. Tribus his libris prior operis pars abſolvitur. *Poſterior* ſex Diſſertationes continet, quæ officium Mesſiæ Mediatorium probant ac illuſtrant, Deitatem inſuper Mesſiæ vindicant, deque ea veteribus Patriarchis & fidelibus fuiſſe perſuaſisſimum, & priſcis eam Rabbinis non ignotam deprehendi, manifeſtis argumentis evincunt. Prima ergo Diſſertatio *Cuſtodem Iſraëlis*, Exod. XXIII, 20--23. Secunda *Deum Iſraëlis* Cap. XXIV, 9. 10. 11. Tertia *Servatorem Iſraelis*, Jeſ. LXIII, 8. 9. Quarta *Ducem Iſraelis*, Exod. XXX, 1--6. & v. 12. ad fin. Cap. XXXIV, 5--10. Quinta *Regem Iſraelis*, Num. XXIV, 15- 19. Sexta *Doctorem Iſraelis*, Jeſ. XXX, 20. 21. Dei Filium, Deumque æternum eſſe, ex Judæorum conſenſu oſtendit ac demonſtrat.

Interim in hoc opere edendo & perficiendo occupatum, inque ætatis flore conſtitutum, immatura mors abripuit. Ubi enim librum primum & ſecundum Goëlis, & priores quatuor Diſſertationes ad prelum paravit, atque ei magnam partem ſubjecit, tertium Goëlis librum, & poſtremas duas Diſſertationes inchoatas reliquit, quas adeo, ne juſtis harum æquisque æſtimatoribus ſubtraherentur, perfici & abſolvi neceſſe fuit a defuncti Fratre, *Jo. Rudolpho Cramero*, Linguæ Sanctæ in Schola Tigurina Profeſſore Publico, qui vel ex *Conſtitutionibus de primitivis R. Moſis F. Maimonis, cum Verſione Latina & notis Philologicis A. 1702. editis*, Erudito Orbi ſatis jam tum innotuit.

*** *** ***

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M D C C IV.

THESAURUS ANTIQUITATUM ET HISTORIARUM Italiæ, mari Ligustico & Alpibus vicinæ, quo continentur optimi quique Scriptores, qui Ligurum & Insubrum, seu Genuensium & Mediolanensium, confiniumque Populorum & Civitatium res antiquas, aliasque vario tempore gestas, memoriæ prodiderunt: collectus cura & studio JOANNIS GEORGII GRÆVII. Tomi tres, partes sex.

Lugd. Bat. apud Petrum Van der Aa, 1704, in fol. Constat Alph. 28. cum figuris nitidissimis.



CUm post vulgatum magnificum *Romanarum Antiquitatum Thesaurum*, proximum esset, ut aliarum quoque Italiæ urbium Antiquitates & Historiæ non ubivis obviæ pari industria colligerentur, collectæque orbi erudito communicarentur, omni opera id egit Illustris Grævius, ut Genuensium inprimis & Mediolanensium historias undique conquireret, & obsecundante bibliopola nostri ævi solertissimo, uno opere vulgaret. Etsi enim aliqui scriptores huc spectantes etiam in *Italia Illustrata*, quæ Francofurti A. 1600 in fol. prodiit, contineantur: attamen qui eos collegit, Andreas Schottus, non optimas ubique editiones fuit secutus. Contra nec ad conquirenda undique optima librorum exemplaria, sumtibus ullis pepercit Petrus Van der Aa, et quia Italiæ officinæ, si ab Venetis, Florentinis, Romanis discesseris, corruptissimos plerumque edidere libros, & ipsi scriptores, si quid ex antiquis auctoribus proferebant, loca eorum raro

aut vix unquam adſcripſere, idcirco per induſtrium & doctum Juvenem Joannem Fayum, celeberrimi Theologi Antonii Fayi nepotem, recognoſci diligenter libros, manifeſta ex iis expungi vitia, denique ſingula loca priſcorum, quorum verba in his citantur, paginis ſuis ſubjici curavit. Ordinem tamen ſcriptorum jam conſtituerat ipſe Grævius, & opus ferme ad umbilicum pervenerat, cum rebus humanis omnium mœrore ereptus eſt, eoque præfationis provincia demandata celeberrimo viro Jacobo Perizonio, Grævio olim conjunctiſſimo. Hinc opus integrum Mariæ Annæ Ludovicæ, Potentiſſimi hodie Electoris Palatini Joannis Wilhelmi Conjugi, & Coſmi III Magni Etruriæ Ducis Filiæ, Feminæ ob ſummum bonarum artium, Latinarumque literarum non amorem modo, ſed & peritiam admirabilem celebratiſſimæ, dedicavit ampliſſimus Grævii gener, Matthias de Roy, qui Palatino a conſiliis Cameræ eſt, & ſuo merito in Grævianæ laudis partem venit. Ipſum opus in tomos tres diviſum, quorum quisque in duas iterum partes, ſed una paginarum ſerie connexas diſpeſcitur, non antiquitatum modo, ſed & hiſtoriarum medii ac poſterioris ævi ſcriptores exhibet, ne antiqua ſcilicet a novis plane ſeparentur, aut alterutra neglectim habeantur. Tametſi vero ſint in his nonnulli, qui, dum ipſam hiſtoriarum ſeriem exponunt, antiquitates quoque pro more ſeculi & gentis fabuloſas immiſcuere: attamen eos ex Theſauro hoc exeſſe ſolicite curavit perſpicaciſſimus Grævius, qui ſolas antiquitates, easque prorſus fabuloſas ſectantur, quorum in cenſum refert Perizonius *Salvatoris Vitalis Theatrum Triumphale Magnalium Mediolani*, quo libro ineptiorem ſtultioremque ipſe Sol nunquam viderit, licet maximo in auctionibus venire ſoleat pretio, cum revera ſit nullius: tum & *Bernhardinum Corium* & *Paulum Morigiam*, qui in Hiſtoriis Mediolanenſium Italico ſermone conditis, præter aniles quasdam fabulas nihil adferant, quod ab aliis, qui recepti erant maximo ſuo merito, jam traditum non fuiſſet. Fruſtra quoque in hoc Theſauro libros nimium pervulgatos quæſiveris, qualis eſt *Erycii Puteani Hiſtoria Inſubrica*, quanquam minime rejicula, aut ab hoc inſtituto aliena. Itaque cum raritatis potiſſima haberetur ratio, factum eſt, ut cum *Hiſtoriis Uberti Folietæ* elegantiſſime ſcriptis, etiam alia quædam illius

illius opuſcula, licet ad Ligures nihil pertinerent, fuerint conjuncta. Verum ſingula ſcripta eo ordine, quo exhibentur, recenſere operæ pretium eſt, non prætermiſſis, ſi quæ Perizonius de nonnullis ſcriptoribus (omnes autem percenſere e re non putavit) in præfatione obſervavit. Subjecta ſtatim præfationi ſunt, quæ *Gabriel Barrius de Laudibus Italiæ* reliquit, cujus ſcriptoris de *Antiquitate & ſitu Calabriæ* libri V in Italia Illuſtrata p. 991 ſeq. exhibentur, ut taceamus ſcripta ejus alia, quæ *pro lingua Latina* & *de Æternitate Urbis Romæ* edidit. Tum inter I Tomi ſcriptores primo loco exſtat *Petri Leonis Caſellæ de primis Italiæ Colonis* liber, qui una cum ejusdem libello *de Tuſcorum origine*, tum & *elogiis illuſtrium Artificum* & *Epigrammatibus* ac *Inſcriptionibus* Lugd. 1606 in 8 prodierat. Succedit pag. 54 ſeq. *Jacobi Bracellii Oræ Liguſticæ deſcriptio* breviſſima, ejusdemque *de claris Genuenſibus* libellus, qui olim una cum his, quæ de bello Hiſpanienſi commentatus eſt, Romæ A. 1573 in 4. prodierat: uterque liber continetur etiam in Italia Illuſtr. p. 637 & 641 ſeq. Prolixiora ſunt & prorſus ad emendatæ dictionis regulam accommodata, quæ *de Gallorum Ciſalpinorum antiquitate ac origine*, auctore *Gaudentio Merula*, p. 64 ſeq. traduntur, cujus additur p. 154 *Querela Apologetica, qua reſpondetur malevolis quibusdam librum ſuum carpentibus:* quod utrumque ſcriptum in Italia Illuſtr. p. 251 & 340 habetur. Sequitur & apud Schottum p. 347, & in Græviana hac collectione p. 160, *Bonaventuræ Caſtillionei de Gallorum Inſubrum antiquis ſedibus* liber, cujus auctor, ut fuit Gaudentio Merulæ peramicus, ita pari quoque ſtyli puritate uſus eſt. Porro *Uberti Folietæ*, cujus laudes Hier. Ghilini in Theatro Eruditorum Italico P. I, p. 175, & alii plenis buccinis decantant, pleraque ſcripta hic comparent, quæ fruſtra in Italia Illuſtr. quæſiveris, exceptis paucis, quæ de *Laudibus urbis Neapolis* p. 765 ſeq. inſeruntur. Nimirum exſtant hic ejus *Hiſtoriæ Genuenſium* p. 201, tum *clarorum Ligurum Elogia* partis II initio, *Conjuratio Joannis Ludovici Fliſci* p. 876, *Tumultus Neapolitani* p. 901, & *Cædes Petri Ludovici Farneſii* p. 929, *de ſacro fœdere in Selimum* libri IV, nec non *variæ expeditiones in Africam cum obſidione Melitæ* p. 936 ſeq. opuſcula item alia *de vita & ſtudiorum ratione hominis ſacris initiati* p. 1183 ſeq. *de ratione*

scribendæ historia p. 1190 seq. *de causis magnitudinis Turcarum Imperii* p. 1207 seq. *Tyburtinum Hippolyti Estii* p. 1218 seq. *Brumanus, sive de laudibus urbis Neapolis* p. 1225 seq. *de similitudine Normæ Polybianæ* p. 1241 seq. Quantum ad *Historias Genuensium*, quas primo loco nominavimus, eas cum primum frater Uberti, Paulus Folieta, anno 1585 Genuæ in fol. vulgavit, addidit etiam anno 1528 gesta (nam Ubertus non nisi ad a. 1527 historiæ filum produxerat, morte quippe interceptus) ab alio Auctore descripta, quem ignorare se fassus ipse est. At observavit doctissimus Perizonius, supplementum illud prorsus convenire cum iis, quæ *Jacobus Bonfadius*, qui Folietam continuaturus *Annales Genuensium ab anno* fere *1528 recuperatæ libertatis usque ad a. 1550* conscripsit, hic quoque p. 1323 insertos, libro primo persecutus est. Nempe Annales illos addit, publica licet auctoritate scriptos, latuisse tunc tamen, forte propter publicum Bonfadii, cum adolescentes corrupisset, supplicium in scriniis privatorum hominum, nec prodiisse in lucem typis expressos, nisi Papiæ proximo post editum Folietam anno, h. e. 1586, sumtus præbente Julio Pallavicino. Quod eo videtur verosimilius, quod ipse Ghilini l. c. p. 70 eam accusationem per subornatos testes ab his confictam fuisse diserte scribit, quorum propinquos paulo nimis, quam historicum deceret, mordaci dente invaserat Bonfadius; unde facile fuit, auctore ipso rogo a. 1551 imposito, fœtum ejus aliquandiu publicæ luci subtrahere. Videntur tamen scripta Bonfadii exemplaria multis vitiis fuisse adspersa, unde factum, ut varia etiamnum, alia in ipsius libro primo, alia in supplemento illo Folietæ addito reperias, quæ tamen comparando utrumque emendare facile possis, quod pluribus exemplis probavit Perizonius. Interponuntur Folietam inter & Bonfadium p. 1261 *Jacobi Bracellii de bello, quod inter Hispanos & Genuenses seculo suo gestum*, libri V, quibus accessit miræ antiquitatis tabellæ in agro Genuensi repertæ diploma. Concludunt primum tomum opuscula politicum Genuæ statum concernentia, nempe *Hieronymi de Marinis Genua, sive dominii, gubernationis, potentiæ, dignitatis Serenissimæ Reip. Genuensis compendiaria descriptio* p. 1411, & *Petri Bizari* perbrevis

evis dissertatio de *universo Reip. Genuensis statu & administra-ne* p. 1451, tum & *Reip. Genuensis Leges Novæ, a Legatis nmi Pontificis, Cæsaris & Regis Catholici, in quos per Rempubli-m collata fuerat auctoritas, condita & Genuæ die 17 Martii 1576 blicatæ*, ac in lucem editæ ab eodem Bizaro, p. 1467. In tomo primum locum occupant *Andreæ Alciati*, Jcti celeberrimi, *Re-n Patriæ, seu Historiæ Mediolanensis* libri IV, quos diu laten-e MSS. bibliothecæ Ambrosianæ Mediolam 1625 in 8 in lucem dit Jo. Bapt. Bidellius. Etsi vero Alciatus, pro more Italorum, : ipse a fabulosis originibus abstineat, Insubres quippe a Subre odam Jani per filium nepote, qui Janus fuerit ipse Noachi 1os, arcessens: attamen antiquitates Mediolanensium haut um illustrat passim. Sequuntur *Tristanus Calchus* & *Jose-s Ripamontius*, quorum ille Georgii Merulæ historias non itinuavit, sed potius retractavit, ut loquitur Perizonius, factu-tamen & illud, si longior ei suppetiisset vita; hic cœptam ab 1 Calcho telam quodam modo pertexuit. Nimirum Calchi diolanensis Historiographi *Historiæ Patriæ*, h. e. Mediolanen-libri XX olim Mediolani a. 1494, iterumque 1628 in fol. edi-una cum notis Jo. Guilielmi Calaveroni p. 81 seq. inseruntur, desinunt in anno 1313. Subjiciuntur illis merito p. 441 ejus-n Calchi *Residua*, anno demum 1644 a Jo. Petro Puricello e rata Lucii Hadriani Cottæ Bibliotheca Mediolani vulgata, : & Historiæ Patriæ libros XXI & XXII, reliquorum anno-1 gesta usque ad a. 1323 complexos, & nuptiarum Joannis eacii cum Isabella Arragona, Ludovici item Mariæ cum Bea-:, vicissimque Alphonsi cum Anna Ludovici nepte, nec non ximiliani Imp. cum Blanca Joannis Galeacii sorore celebrata-1 descriptiones exhibent. Hinc itaque *Ripamontii* Chronistæ, vocatur, urbis Mediolani, cui hæc *Residua* apud privatum ntia visa non fuere, *Historia Patria* Mediol. 1648 in fol. uot partibus edita, & hic p. 537 recusa, ab a. 1313, in quo ur Calchi liber vigesimus, inchoatur, & usque ad annum Ca-V. emortualem pertexitur libris X, quibus deinde in colle-nis hujus parte II p. 766 subjiciuntur sub eodem *Historiæ Pa-* titulo libri VII, qui maxime ad Ecclesiasticas Mediolanen-

 sium

sium res spectant, tum porro eodem titulo libri VI, Federici Borromæi, Cardinalis, Archiepiscopi Mediolanensis, vitam continentes p. 925 seq. ac denique p. 1089 *Historia Patria Continuatio comprehensa octo libris, in quibus res, quas gessit Philippus II. tam Mediolani, cum in ejus ditionem redigeretur, quam alibi, exponuntur.* Adduntur his ultimo loco p. 1247 *Galeatii Capellæ de bello Mediolanensi, seu de rebus in Italia gestis pro restitutione Francisci Sfortiæ II, Mediolanensium Ducis, ab a. 1521. usque ad 1530* libri IIX, qui a. 1533 in 8. & passim prodiere, & a Schardio quoque Tomo II p. 176 recusi sunt inter Scriptores Rerum Germanicarum. Tertius tomus sistit initio *Georgii Merulæ Antiquitatis Vice-Comitum* libros X, Mediolani 1629 vulgatos, quos auctor jussu Ludovici Sfortiæ conscripsit elegantissime, eoque ab eodem aureo poculo aureis oppleto donatus est. Deduxit is historiam ad idem usque tempus, ad quod Tristanus Calchus, ejus in scribenda historia successor, i. e. ad mortem usque Henrici VII Imp. & Matthæi Vice-Comitis. At utriusque fidem in rebus imprimis politicis non raro vacillare, Perizonius ex eo probat, quod Ottonis III tempore institutum fuisse Septemvirorum in Germania collegium, confidenter adserunt. Excipiunt has antiquitates p. 241 notæ alioquin *Pauli Jovii Vitæ XII Vice-Comitum Mediolani Principum*, ex ejusdem Operibus depromtæ, & imaginibus elegantissimis illustratæ, quibus adnexum est *argumentum devolutæ hæreditatis Mediolanensis ad Aurelianorũ Principum domum, brevissima narratione ex historiis explicatum.* Non infimo apud antiquarios in pretio sunt, quæ sequuntur p. 337 *Jo. Antonii Castellionæi Mediolanensis Antiquitates*, quæ & Mediol. 1625 variis tabulis ichnographicis ornatæ prodierunt. Tanta vero cura Auctor non modo Christianas & Ecclesiasticas, verum & vetustioris temporis, Romanique Imperii antiquitates collegit, ut ne mutilos quidem lapidum titulos neglexerit, in quibus quia bona fide obscuras, ut erant, exhibuit literarum formas, factum inde, ut in hac editione artifices in dubiis illis literarum vestigiis aliquando aberraverint: quod nec diffitetur Perizonius, eaque occasione ipsum Castellionæum, de Arria gente minus accurate loquentem, pulcre emendat. Pari modo emendatione dignus

dignus illi visus est, qui proximo loco p. 577 sequitur, *Bernardus Saccus*. Is enim in *Historia Ticinensi* seorsim olim Papiæ 1565 impressa & Italiæ Illustratæ p. 415. seq. inserta, in qua & Ticini & totius fere Galliæ Cisalpinæ Antiquitates & Historias, sacras & profanas, ad tempora usqueCaroli M. tradit, variam quidem eruditionem, judice Perizonio, verum exiguam Romanarum rerum peritiam monstravit. Excipit hunc *Jo. Chrysostomi Zanchi* disputatio *de Orobiorum*, *Cenomanorum ac Bergomi origine*, ad Petrum Bembum scripta, p. 776, quæ & ipsa in Ital. Illustrata p. 113 exhibetur. Hic Auctor dum Italicis & Gallicis in nominibus fontes Hebraicos sectatur, in rebus vero ipsis Metastheni aliisque Annianis nugis, ut Perizonius testatur, præcipuam habet fidem, sæpe se orbi literato deridendum præbuit. Subjungitur p. 841 *Jo. Baptistæ Villanovæ Laudis Pompejæ, sive Laudæ (nunc Lodi) Historia*, quam Italico idiomate circa a. 1657 editam Latine transtulit Alexander Dukerus, utriusque linguæ optime gnarus. Inde parte II *Othonis* primum & *Acerbi Morenarum* patris & filii, *Rerum Laudensium tempore Federici Ænobarbi Cæsaris Historia*, cum doctissimis notis & emendationibus Felicis Osii exhibetur, in qua & Laudensium res, & ipsius Friderici gesta copiose exponuntur. Proxima est p. 1137 *Erycii Puteani Historia Cisalpina*, Lovanii quoque a. 1614 in 4 edita, quæ res potissimum circa Lacum Larium a Jo. Jacobo Medicæo gestas complectitur. Ei varia subjunguntur, nimirum *Alexandri Dukeri Comi urbis brevis Historia* p. 1197, *Camilli Ghilini*, cujus elogium vide apud Hier. Ghilini l. c. P. I. p. 35, *Tellinæ Vallis & Larii Lacus descriptio* p. 1203, a Frehero etiam tomo III Script. Rer. Germ. inserta, *Pauli Jovii Larii Lacus* (hodie Comensis) *descriptio* p. 1209, tum *Galeatii Capellæ de Bello Mussiano* liber p. 1225, qui & ejus libris de *Bello Mediolanensi* apud Schardium l. c. additur, & a Puteano adoptatus est in *Historia Cisalpina*. Post opuscula hæc sequuntur prolixi *Ludovici Cavitelli Annales Cremonenses*, olim Cremonæ 1588 in 4 cum multis mendis, sive auctoris, sive typographi culpa, vulgati, & stylo inculto atque horrido conscripti, quibus res ab origine Cremonæ usque ad a. 1583 gestæ ordine recensentur. In his etsi styli salebras ipse agnoscat

noſcat Editor, & infinita inſint, quæ Oedipode indigeant, ut, cum per *Bucſolenſes*, *Rugienſes*, *Dordoncienſes*, *Teveremondanos*, *Curtacenſes*, *Ducreatios*, *Arilimenſes*, *Devavabrovenſes*, Bruxellenſes, Brugienſes, Dordracenſes, Teneræmondanos, Cortracenſes, Duacenos, Harlemenſes, Daventrienſes intelligere videtur: attamen hæc quodammodo veritatis ſtudio penſantur. Ut vero huic hiſtoriæ ornatus aliquis accederet, ex Antonio Campo, Italico Hiſtoriæ Cremonenſis ſcriptore, varia illuſtrium civium elogia, a laudato Juvene, Jo. Fayo, excerpta, & Cavitello idoneis locis ſunt inſerta. Poſtremo p. 1683 comparet *Umberti Locati de Placentinæ urbis origine, ſucceſſu & laudibus serioſa Narratio*, per modum dialogi facta, & antehac Cremonæ a. 1564 in 4 edita, in qua Auctor, quæ de origine prima habet, e fabulis Ricobaldicis hauſit: majoris tamen momenti eſt, quo totum pene opus conſumitur, Chronicon Placentinum, usque ad a. 1563, cui additur nobilitatis, dignitatis, gloriæ ſingulorum civium, tum Univerſitatis, privilegiorum, operumque publicorum deſcriptio. Hi ſunt libri, quos partim raritas, partim eximius in hoc opere ornatus commendant. Optamus vero, hoc inſtitutum ſimilibus Theſauris ſeparatim per majores quasque regiones deductis, ſic ut conſtituerat ipſe Grævius, continuari, & ſic totam conſummari Italiam, cujus rei, ubi deſævierit bellum, perficiendæ ſpem nobis facit Bibliopola.

סדר טהרות

SIVE, LEGUM MISCHNICARUM LIBER QUI inſcribitur Ordo Puritatum, cum Maimonidis & Bartenoræ Commentariis integris. Latinitate donavit & Notis illuſtravit GUILH. SURENHUSIUS. Pars VI.

Amſtelædami, apud Borſtios, 1703. fol. Alph. 6. pl. 3.

QUæ omnes rei litterariæ bene cupientes, harumque rerum periti, nuncupabant vota, cum difficilimum longe, maximeque arduum opus Guilielmus Surenhuſius adgrederetur, ut perficere illud ei liceret coronidemque imponere, ea rata fuiſſe Numini intelligimus, & non ſine ſingulari lætitia ſignificamus, cum ultimam præclari hujus operis partem Lectorum oculis exhibemus.

hibemus. Etenim cum unum alterumve codicem Latinitate donatum edidisse, eximium prorsus atque magnificum olim esset, quæ tandem nostri temporis censenda est felicitas, ubi integrum istud Juris Ebræi corpus, tot spinis & sentibus obsitum & circumseptum, ut paucis admodum ad intimos ejus recessus aditus pateret, omnium ita expositum est oculis, ut nunc vel mediocri diligentia in hæc se penetrare arcana, & juris omnis antiquitatumque Ebræarum fontes introspicere liceat. Sane quod Auctor doctissimus in præfatione ab omnibus petit, ut hunc foetum, quem *tenuem* vocat, *ignobilibusque majoribus ortum*, favore suo excipiant, tam æquum est, ut nihil unquam iniquius alicui aut denegatum esse, aut denegari potuisse existimemus. Rationes quoque, quas idem addit, hoc prorsus evincunt. Nam, *inquit*, si matrem ipsius Hebraicam diu in obscuro loco degentem, si sobolem illius plerisque gentibus parum gratam, si molem illius ratione ætatis meæ satis magnam, si minusculos typos & vilem commentarii Maimonidis ornatum, si innumerabilia sphalmata typographica, si peregrinum & improprium Abenis Tibonis stylum & vel ipsis Judæis non adeo facilem, si denique tetricum illud & tædiosum vertendi studium (cum enim integrum corpus Mischnicum centum & viginti sex codicibus, capitibus vero quingentis ac viginti quatuor constet, ex his quidem viginti sex capita a variis, reliqua vero a Surenhusio ex Hebræo sermone Latine versa *sunt*) quod per plures annos non sine oculorum ægritudine & labore improbo erat continuandum, tecum recte perpenderis, nullus dubito, quin pro hujusce rei natura æquissimum feras judicium, sicubi in versione Latina enormia & vitiosa quædam inveneris. Tantum enim abest, ut in versione Auctor sibi ipsi ubique satisfacit, ut contra profiteatur aperte, si nova versio Mischnica sibi nunc adornanda esset, se procul dubio plurima commutatis verbis ac sententiis redditurum, idque toties, inquit, quoties certamen esset repetendum.

Ceterum in ultimo hocce Legum Mischnicarum libro, sive Ordine Puritatum, primo loco comparet מסכת כלים *tractatus de Vasis*. Summam ipse Surenhusius in præfatione accurate ediſserit.

rit. Nos saltem quo pacto doctores Ebræorum ex *Levit. XI, 32. 33.* præcipua juris sui capita derivent, paucis indicabimus. Verba legis sunt: *& res omnis super quam aliquid eorum post mortem suam ceciderit, immunda erit, ex quocunque instrumentorum genere fiet, ligno, veste, pelle, aut sacco, denique instrumento quolibet eorum, quibus fit aliquod opus, in aquam inferetur, & immundum erit usque ad vesperam, deinde vero mundum erit. In quodcunque autem vas testaceum, si aliquid eorum inciderit, tum quicquid intra ipsum fuerit, immundum erit, ipsum vero frangitote.* Quando ergo dicitur: *& quicquid ceciderit de iis post mortem*, ex iis colligunt, reptilia non polluere dum vivunt, sed postquam obierint. Præterea ex iisdem verbis eliciunt, illa reptilium genera, quæ hic indicantur, esse *patres immunditiei* (ita enim loqui amant) quæ vasa, vestes, & instrumenta polluant tactu. Ex eo quod dicitur: *si in vas testaceum aliquid eorum inciderit, tum quicquid intra ipsum fuerit, pollutum est*, conficiunt, quod si vel copia lentis de cadavere alicujus reptilis in aëre sive concavo vasis suspensa sit, omnia quæ in vase fuerint, polluta sint. Additur in lege: *ipsum frangitote.* Ratio, inquiunt, est, quod vasa testacea, nec igne purificari, nec aqua ablui possint, quia immunditiem attrahant, ut eam nunquam amittant. Per saccos intelligunt saccos e pilis confectos, tam e tenuibus, quam crassis: per vestes, eas quæ e lino, serico, gossypio similibusque, si a pilis discesseris, conficiuntur. Et ita reliqua se habent, uberius a Surenhusio explicata.

Sequitur מסכת אהלות *tractatus de tentoriis*, quia in isto agitur de cadaverum humanorum immunditie, quæ in tentoriis, seu priscorum domiciliis contrahi solet, & quoniam hæc omnium impuritatum gravissima censetur. Hunc vero excipit מסכת נגעים *tractatus de plagis lepræ*, quia leprosus introitu suo tentorium polluit; præterquam quod in mortui & leprosi immunditiem contrahendi modo, magna sit convenientia. Et Moses quidem, divinus vir, de lepra ita ait: Et allocutus est Dominus Mosen atque Aaronem dicendo; *si in cute carnis alicujus sit tumor, vel abscessus, vel papula, & in cute carnis illius aliquid ad plagam lepræ vergat, tum adducatur ad Aharonem sacerdotem,*

tem, vel ad unum e filiis ſacerdotibus. Hinc de variis juris iſtius circa lepra infectos capitibus Ebræorum magiſtri ita diſſerunt: Moſen & Aharonem allocutus eſt Dominus, quod hic in lepræ ſignis dignoſcendis peritus erat; ideoque & ei filiisque ejus ſacerdotibus totum lepræ negotium commiſit. Et quia artis erat, lepram ex conſtitutione corporis admodum depravata ortam dijudicare, ideo aliquot ſignorum meminit, *ſi in alicujus carne ſit tumor &c.* Etenim ſigna pellis inſpicienda erant, & poſtea de carnis conditione judicandum, quia per pellis mucorem, ſi his credimus, aër inficitur & homines adſtantes polluuntur. Quam rationem etiam eſſe putant, cur lex tam prolixa & accurata ſit in lepræ ſignis deſcribendis, ſecus ac in reliquis infirmitatibus fieri ſolet. Inſpectio autem lepræ, ut ex horum mente porro Surenhuſius tradit, non ideo ſacerdotibus demandata fuit, quod ceu medici illius cauſas & remedia ſoli intelligerent, ſed quod illorum eſſet, leproſo mundo aut immundo declarato, admonere hac ratione alios, ne & illi ejus contactu polluerentur. Ad ſingula dum deſcendit, notat Abrahamum Aben-Ezra, vocem שאת *tumoris* a שרף *ardere* dictam putantem eo, quod vehementer ardeat: quam ſententiam refellit, ſuffragaturque Abarbaneli, docenti, voce iſta eminentiam carnis deſignari, propter abundantiam humorum inter cutem & pellem natorum, quaſi יתר שאת dixeris. Conf. *Gen. XLIX, 3.* Pari ratione de vocibus שחז בהרת ספחת & reliquis diſſerit. In lege autem porro dicitur: *& ad ſacerdotem adducetur:* unde doctores colligunt, quod ſi leproſus ſponte ad ſacerdotem accedere nolit, cogendus ſit, donec venerit. Rurſus quando dicitur: *Ad Aharonem aut ad unum ex filiis ejus ſacerdotibus*, ſenſum eſſe ajunt, quod ad Aharonem accedere præſtet, utpote ad quempiam מובהק *peritum*; ſi vero quis ſecus fecerit, tamen rem bene ſe habere. Sed hinc cujuſmodi reliqua ſint, facile intelligitur. Quare de lepra veſtium ſolum aliquid addimus. Negotium ſibi hic faceſſunt Ebræorum doctores, dum quærunt, quomodo lepra in veſtimentis & ſuppellectilibus locum habere poſſit, quæ nullo ſenſu feruntur, quia lex tam de lepra veſtium, quam hominum dicat צרעת ממארת *lepra dolorifica & pungens inſtar ſpinæ*, cum tamen veſtes nullo dolore afficiantur?

 R. Le-

R. Levi Gersonides existimat, ab humoribus quibusdam adulterinis hanc lepræ speciem oriri, quæ si in homine deprehendatur, spem tamen superesse purgato sanguine eum sanitati restitui posse, quod tamen in inanimatis non procedat; hinc præcepisse Deum, ut comburerentur, ne amplius cuiquam essent usui, quibus abusi essent homines impuri. Moses Nachmonides vero statuit, lepræ vestium nullas causas naturales afferri posse, sed rem omnem a vindicta divina procedere, ideoque observat, Israelitas, quamdiu divinæ voluntati obtemperaverint, non fuisse obnoxios lepræ. Ulterius hoc edisserit Maimonides, lepræ plagam propter Israelitarum detrectationes & calumnias primum invasisse eorum domicilia, inde recessuram, si ad meliorem mentem rediissent: sin minus, ulterius se in suppellectilia diffudisse, & si ne tunc quidem mores emendaverint, eam in vestimenta & ex iis denique in ipsum corpus prorepsisse, ne ulla spes evadendi blasphemo superesset. Quærit porro Nachmonides, quare lex plagam lepræ potius in domiciliis, vestibus laneis & lineis, stamine & subtegmine, atque in omni instrumento pelliceo ponat, & non etiam in aliis? Ad quod respondet Abarbanel, legem harum rerum potissimum meminisse, quia maximum hominibus usum præstent proximæque illis sint, ut quam contraxerunt impuritatem, facile in ipsum diffundere corpus queant. Ita vero expositis omnibus plagarum lepræ generibus, de purgationibus quoque earum accurate & sollicite disquirunt; sed ne tædium diutius, quam par est, hisce immorando lectori creemus, ad alia progredimur. Nimirum offert se nobis ordine מסכת פרה *tractatus de vacca rufa.* De ea lex divina ita sancit: *& allocutus est Dominus Mosen atque Aharonem dicendo: hoc est statutum legis, quod Dominus præcepit dicendo: dicito filiis Israelis, ut ad te adducant vaccam rufam, integram, in qua non est aliquod vitium, cui jugum nunquam impositum fuit: & dabitis eam Eleazari sacerdoti, qui eam extra castra educi jubebit, ut quis jugulet coram ipso: Tunc accipiet Eleazar de sanguine ejus digito suo, & adsperget versus anteriorem partem tentorii conventus de sanguine illius septies: & jubebit comburi illam vaccam ante oculos suos: ejus pellem, carnem, & sanguinem cum fimo ejus comburet: Assumensque*

sacer.

ſacerdos lignum cedrinum, hyſſopum & dibaphum coccineum, projiciet ea in rogum vaccæ iſtius: Deinde lotis veſtimentis ſuis ſacerdos abluet carnem ſuam aqua, ac deinceps veniet ad caſtra: ſacerdos vero usque ad veſperam immundus erit: Tum colliget quiſpiam mundus cinerem iſtius vaccæ, & relinquet extra caſtra in loco mundo, ut cœtui filiorum Iſraelis aſſervetur in aquam ſeparationis; Sacrificium pro peccato eſt: Poſtea is, qui collegit cinerem vaccæ, veſtimenta ſua lavabit, & usque ad veſperam immundus erit: hoc erit filiis Iſraelis & peregrino peregrinanti inter eos in ſtatutum perpetuum. Num. XIX. Obſervant hic Ebræorum Magiſtri, Moſen ipſum primam vaccam paraſſe (idque ex conſtanti ſe tenere traditione) dum is in Sacrario Pontificis maximi fungeretur munere, ut cinere iſto purgaretur, quisquis humano cadavere pollutus fuiſſet, ne immundus ſacrarium intraret, idque profanaret: aſt cum tranſeundum Iſraelitis in terram Cananæam eſſet, pugnæque ibi & cædes illis inſtarent, nec forte mactatæ vaccæ cineres tot pollutis purgandis ſufficerent, idcirco in anteceſſum hic conſtitutum fuiſſe, quo pacto cineres iſti, combuſta vacca, conficiendi atque præparandi eſſent. Et hanc cauſam eſſe, cur in hac lege non ſubjiciatur, ut in ceteris, quod Iſraelitæ ac Eleazar fecerint, ſicuti Moſes præceperat. Eandemque ob rationem quoque dici: *hoc eſt ſtatutum legis*; ac ſi dominus dixiſſet: quod Moſes olim fecit ratione vaccæ, id rite fecit, idcirco hoc vobis ſtatutum perpetuum ſit, ut ſi vacca denuo ſit eum in finem comburenda, hoc eo modo fiat, quo id fecit Moſes. Quando autem filii Iſraelis jubentur vaccam adducere, inde eliciunt, vaccam venire e bonis totius cœtus Iſraelitici, & pro ipſo comburi, & quia ipſa feminei generis fuit, hinc cœtum Iſraeliticum vaccæ rebelli פרה סוררה aſſimilari. Color ruber ex eorum mente deſignat populi peccata, uti ex Eſaiæ capite primo colligunt; & ſic porro. Quod vero Eleazari ſacerdoti tradenda fuerit, id Gerſonides ideo factum putat, quod comburenda fuerit per ſacerdotem veſtibus albis indutum, non autem ab eo, qui aureis indutus erat, ut adeo excluderetur Aaron. Sed refellitur ab Abarbanele, qui exiſtimat, vaccam Eleazari potius tradendam fuiſſe, quod eo tempore, in quod vacca parabatur, ille futurus eſſet pontifex.

tifex. Extra castra vacca mactabatur, nec introducebatur in sanctuarium, sicuti juvencus sacrificii pro peccato, eo quod vacca rufa repræsentaret totius gentis Israeliticæ statum commaculatum, ut ea præ immunditie sua sacrarium ingredi non posset. Adspersio sanguinis illius fiebat versus anteriorem tentorii conventus partem, e regione propitiatorii, quia extra castra Israelitarum jugulata erat, ut Israelitis propter immunditiem ab ecclesia Domini elongatis, denuo introeundi facultatem adferret. Pellis, caro, sanguis, fimus, simul comburebantur, quod symbolum erat, si Ebræos audias, totius cœtus Israelitici, in quo erant ingenui & servi, nobiles atque ignobiles, sicuti unum corporis membrum altero præstantius, & hi omnes cujuscunque conditionis vel ordinis sient, propter peccata sua instar hujus vaccæ se comburio dignos esse judicare debebant. Adjectione ligni cedrini, coccinei dibaphi, & hyssopi, alludebatur ad omnes Israelitas, tam pauperes, quam divites, tam viles quam spectatos, quod cedrus inter omnes arbores altissima sit, humillima hyssopus. Tot velut ambagibus opus erat, ut immundities a contactu cadaveris humani contracta tolleretur. Cur vero ita? Nimirum uti homo omnium animalium longe est præstantissimum, quamdiu quod homine dignum est agit, nec in conditionem inferiorem vitiis suis se conjicit: ita contra homine improbo nihil turpius, nihil fœdius, nihil infelicius. Ita hac de re philosophantur Ebræi. Statuunt iidem, cinerem vaccæ in tres partes fuisse distributum, quarum prima in monte Mischa posita fuerit, pontifici ad alias vaccas consecrandas inservitura; altera omnibus sacerdotum vigiliis distributa, ut ea ab immunditie purgarentur urbani & alii, quicunque purgandi erant, unde extra templi atrium ea fuerit asservata: tertia in חיל antemurali asservata fuerit, de qua adeo dictum, *& erit filiis Israel* למשמרת *in asservationem.* Rationem autem, quare cinis extra castra Israelitarum, & postea extra atrium templi asservata fuit, hanc reddunt, quod eo se referre poterant, qui mortuis polluti erant, ut tertio & septimo die purgarentur, & deinceps cum expiatorio suo accederent ad castra vel ad atrium: nam si quis pollutus ad tabernaculum vel ad templum accessisset, priusquam aquis separationis adspersus fuisset, is pœnam excidii meritus

tus erat, quamvis ſe aquis immerſiſſet, & veſtimenta ſua laviſſet.

Quemadmodum vero hunc in modum in explicandis legibus iſtis ritualibus verſantur Ebræorum Magiſtri, ita de reliquis, quæ dubia eſſe poſſunt, in ipſa rituum horum adminiſtratione, ad minutias usque diſputant. Admiranda utique ingenii humani in his diſputationibus conſpicitur agilitas, omnia moventis & cunctos receſſus excutientis, dum multa & proponunt & ſolvunt dubia, quæ, priusquam legeris, merito dubites, an ulli temere in mentem venire potuerint. Et hanc rationem in ſingulis codicibus Miſchnicis tenuerunt, ad quos rectius intelligendos ea omnia faciunt, quæ ſummatim clariſſimus Surenhuſius de ſenſu legum divinarum, quibus iſti tractatus innituntur, ex mente veterum Ebræorum diſputat, & ex quibus nonnulla, quæ ſpeciminis inſtar eſſent, afferre, ab inſtituto noſtro haud alienum eſſe duximus. Reliqui vero codices, qui in ultima hac Miſchnæ parte comparent, ſunt: מסכת טהרות *tractatus de puritatibus*, מסכת מקואות *tractatus de lavacris*, מסכת נדה *tractatus de profluvio menſtruo*, מסכת מכשירים *tractatus de liquidis ad pollutionem diſponentibus*, מסכת זבים *tractatus de gonorrhœa*, מסכת טבול יום *tractatus de lotione diurna*, מסכת ידים *tractatus de lotione manuum*, & denique מסכת עוקצים *tractatus de petiolis fructuum*, qui non tantum hujus Ordinis, ſed & reliquorum omnium tractatuum Miſchnicorum agmen claudit, idque ob eam potiſſimum rationem, quia in ipſo agitur de impuritatibus leviſſimis, videlicet quomodo fructus & legumena polluantur manuum inquinatarum contactu & apprehenſione; tum etiam, quia hicce codex totus ex inſtitutis ſapientum & ſcribarum profectus eſt, qui illius jura variis argumentandi rationibus ex aliis legibus elicuerunt.

Ita finem tandem operi huic ſplendidiſſimo, minime tamen induſtriæ ſuæ imponit eruditiſſimus Surenhuſius. Etenim magnam laborum, inpoſterum adhuc exantlandorum, hic proponit ſeriem. Controverſias nimirum omnes Miſchnicas percurret, doctorumque ſententiis examinatis adponet deciſionem: phraſeologias tum & vim vocum enucleabit, & ſicubi a ſe aut ab aliis aber-

aberratum fuerit, fideliter indicabit. Hinc ad antiquissima in Mischnam commentaria evolvenda se conferet, uti sunt Tosaphta, Bereschit Rabba, Siphra, Siphre, Mecilta, Pesiktæ, Tanchuma & reliqua. Sequentur reliqui præstantissimi rituum & antiquitatum Ebraicarum Scriptores, quibuscum postquam Græcorum & Romanorum leges contulerit, ex Mischnicis, quicquid Novo Testamento lucem ullam affundere poterit, solerter depromet. Nos vero, uti merito doctissimo Viro maximoque harum literarum restauratori, publica velut eruditi orbis voce (namque non temere fore quemquam, qui nobis suffragaturus non sit, plane credimus) ob tantum opus, quod majorum nostrorum spes & vota superat, feliciter ad finem perductum, gratulamur: ita vires animi corporisque & prosperam valetudinem adprecamur, ut quæ sibimet ipse constituit, literarum stadia feliciter & ex animi sententia decurrat.

HISTOIRE DE HOLLANDE &c.

i. e.

HISTORIA HOLLANDIÆ, RES MEMORATU maxime dignas post pacem Neomagensem usque ad Ryswicensem in Belgio alibique gestas complexa.

Amstelodami apud A. Braakman & J. Desbordes, 1704. 8. Alph. 1. pl. 12.

EXhibuimus anno superiore, mense Aprili, Neovillii Historiam Hollandiæ ab Induciis A. 1609, usque ad Pacem Neomagensem A. 1678. Nunc novum indicamus Historiographum, qui suppresso nomine Historiam illam continuare, & a pace Neomagensi A. 1678, usque ad Rysvicensem, quæ A. 1697 coaluit, pertexere sustinuit. Eo temporis intervallo quæ gesta in Europa fuerint, imprimis in magna illa rerum in Anglia conversione, & secuto inde inter Regem Christianissimum, ejusque Confœderatos Adversarios bello, nemo est, qui non recenti memoria teneat: ut supervacaneum fuerit, admoneri benevolum Lectorem de iis, quæ in hoc libello enarrantur. Quemadmodum vero in recensione Neovilliani operis non dissimulavimus, Auctorem illius plusculum dedisse passim & religioni suæ, quam Romano-Catholi-

tholicam sectabatur, & in Regem Galliæ, quam patriam nactus erat, studio: ita contra ex præsentis libelli lectione nemo non animadvertet, Auctorem illius Reformatæ addictum esse religioni, & Fœderati Belgii studiosum. Quod nec ipse in præfatione diffitetur, sic tamen, ut asseveret, præcipuam nihilominus ubique veritatis curam sibi fuisse.

A PREFATORY DISCOURSE TO AN EXAMINAtion of a late Book, entituled: An Exposition of the XXXIX Articles &c.

i. e.

DISSERTATIO PRÆLIMINARIS, EXAMINI præmissa libri, qui Expositio XXXIX Articulorum Ecclesiæ Anglicanæ *inscribitur, a Gilberto Episcopo Salisburiensi editi. Appendicis loco Examen accessit quorundam in præfatione Expositionis locorum. Autore Presbytero Ecclesiæ Anglicanæ.*

Londini apud Robertum Clavell, 1702, in 4. Plag. 14.

QUi tot amplissimis ingenii monumentis, ac singulari rerum gerendarum peritia, de sua non minus Ecclesia, quam universo, qua literis ac artibus colitur, Orbe præclare dudum meritus est, Vir Illustris & Summe Reverendus, Gilbertus Burnetus, tantum abest, ut missa in lucem Articulorum XXXIX Expositione (cujus A. 1700, mense Augusto, p. 354 in Actis nostris recensionem dedimus) a popularibus suis gratiam inierit, ut omnium fere potius, rigidiorum maxime, Theologorum in se odia concitarit. p. 4. sq. Qui cum suarum esse partium intelligerent, providere sedulo, ne quid Ecclesia detrimenti caperet; neque vero non hanc Expositionem, tanta approbationis publicæ opinione nixam, eo spectare crederent, ut quidvis sentiendi obtineretur licentia, & quod in Articulorum subscriptione, contra Adversariorum fraudes Ecclesia collocaverat præsidium, eluderetur: id jam cumprimis dandum esse operam existimarunt, ut Articulorum sarta tecta habeatur autoritas, nec publica Divinioris doctrinæ formula cujuslibet interpretandi libidini pateat. p. 6. Qua re moti, qui inferiorem Cleri classem constituunt, collatis consiliis, perpensisque aliquot altioris momenti locis, summa suffragiorum consensione e re esse statuerunt, ut

causam omnem ad Archi-Episcopum deferrent, ejusque in ancipiti deliberatione sententiam rogarent. Ubi, ut brevitatis haberetur ratio, ad tria cumprimis capita querimoniæ summam revocarunt; ostendentes α) eo librum tendere, ut sententiarum obtineat libertas, eaque opinionum introducatur diversitas, ad quam devitandam compositi articuli atque conscripti fuerint. β) multa in Expositione loca occurrere, quæ cum articulorum sensu, fideique analogia, adversa concurrere fronte videantur. γ) varia ex ibi dictis consequi, quæ & de Anglicanæ autoritate Ecclesiæ,
p. 8. & de honore derogent Reformationis. Qua in re ne quid amori dedisse vel odio viderentur, singulorum firmare fidem conati sunt; haud equidem omnia, quæ vitium habeant, Expositionis loca in medium proferentes, verum ea solum delibantes momenta, quæ justam conquerendi Clero causam fuisse docerent.

Primum ut expediatur, ad duo advertendus animus est: tum ad Articulorum, tum ad Expositionis scopum; quo utrumque consilio, qua mente conscriptum opus fuerit, & num alterum alterius ratio evertat? De Articulorum fine eorundem testatur inscriptio, ad tollendam opinionum dissensionem, & consensum in vera religione firmandum, compositos fuisse; nec tam ut exteris doctrinæ suæ rationem redderent Ecclesiis, quam ut pacem domi fir-
p. 11. marent. Fac itaque in iis contineri, quæ ambigue dicta in utramque explicari posse sententiam videantur; hæc certe ambiguitas non intentioni Ecclesiæ, quam in omnia alia abire paulo ante testabatur inscriptio, sed diversis lectorum ingeniis & τῇ τῶν
p. 13. λέξεων ἀδυναμίᾳ accepta erit ferenda. Quid? quod tanta doctissimorum interpretum copia, & constans per tot annos, nec interrupta Ecclesiæ expositio, nullam articulorum vocem in dubio relinquat, quin eruat sollicite, & quo quæque sensu singulis tem-
p. 14. poribus accepta & explicata fuerit, declaret? Qui possit ergo ea cum articulis componi opinionum licentia, quam ut cane pejus ac angue vitarent Articulorum autores, tum literis ipsos consignarunt, tum clarissimorum virorum commentariis illustrarunt? Con-
p. 15. tra vero ea Expositionis Autori quæ sedeat sententia, disertis ipse verbis edisserit, cum p. 8. Introductionis nihil obstare affirmat, quo minus articulo, qui ambiguis conscriptus verbis duos, licet pugnan-

gnantes invicem sibique adversos sensus gignat, utriusque sententiæ defensores salva conscientia, & absque amphibolias periculo, nomen dare queant. Quod ut evidentius pateat, exemplo illustrat. Articulus, qui de Christi ad inferos descensu agit, in ordine tertius, vel de averno ac malignorum Spirituum carcere, vel de sepulchro, vel de animarum corporis exsolutarum vinculis habitaculo, intelligi ac explicari potest. Quem vero cunque ex his sensum elegeris, literalem habebis (ex mente Episcopi) & grammaticum, quem amplexus, salva conscientia subscribere articulo queas. Sic & in ceteris, si dandum nomen fuerit, pari libertate utendum. Quæ si ratio valeat, nulla pactis firmitas, nulla hominibus fides constabit: lubrica omnia erunt, dubia, incerta. Ipsa Scripturæ periclitabitur autoritas, si ad hanc interpretandi regulam Articulum 6 torqueas: nec sua Symbolis dignitas constabit, si ex hoc fonte Articuli 8 petas explicationem. Sic qui hunc proxime excipiunt, Articuli decem adeo disputando dubii redduntur, ut quo demum pedem figas, nescias. Ecclesiæ porro tum natura evertitur & ratio, tum elevatur autoritas, si ad Artic. 19 & 20 Episcopi audias expositionem. Nulla nos amplius Conciliorum cura tanget; nulla sacri ordinis requiretur consecratio, si ex ejusdem sententia Articulos 21 & 23 interpretemur. Hæc illa scilicet via est, quam ingressus quondam Christophorus Davenport monachus Franciscanus, articulos nostros Pontificia proloqui dogmata cogebat. Neque vero est, quod suas Episcopus in partes moderationem vocet Ecclesiæ, quæ tanta scilicet in conscribendis fuerit articulis, ut in quæstionibus bene multis libertati opinionum reliquerit locum. Quæ enim tum Ecclesiæ fuit moderatio, Pontificiorum ea quidem coactionem sustulit, privatæ Laicorum libertati indulsit, ab anathematum sibi temperavit rigore, ad pauca admodum capita fidei revocavit confessionem, quin a dubiorum sæpe articulorum abstinuit decisione; tam vero late non patet, ut cujusque sentiendi inserviat libidini, limitesque tollat, quos intra honestas & religio se continere censentur.

Secundum querimoniæ caput duobus absolvitur membris, quibus neque cum articulis ipsis, nec cum receptis Ecclesiæ dogmatibus, fideique analogia satis Expositori convenire docetur. Nam

p. 16. p. 17. p. 18. p. 19. p. 21. p. 22. p. 23. p. 24. p. 28. p. 30. p. 38. p. 39. sq. p. 41.

ad Art. 3 de Symbolorum, Nicæni cumprimis & Athanaſiani, anti-
quitate & fide ſatis diſputat ambigue, quam tamen ſartam tectam Ar-
p. 43. ticulus voluit ſervari. Ubi decem iſtos, qui de noſtræ negotio ſa-
lutis agunt, a 9 ad 19, Articulos explicat, diu multumque in
ſpinoſis iſtis de efficacia gratiæ, de genuina Auguſtini ſententia,
de Sub- & Supra-lapſariis &c. quæſtionibus verſatur; quas tamen
omnes procul habent Articuli, ſimpliciſſima Scripturæ phraſi con-
p. 44. tenti. Articulo autem 18 plane vim infert, qui cum anathema dicat
ſalvari extra Chriſtum volentibus, diſtinctione inter ſalvari in
lege & ſalvari per legem, prorſus eluditur. Porro Artic. 23, qui Epiſco-
palem ordinationem in Eccleſiæ miniſtro requirit, ita exponit, ut Pres-
byterianiſmo & Independentiſmo veniam faciat. Sic pædobapti-
p. 45. ſmum ullo novi Fœderis præcepto niti vel teſtimonio negat, quem ta-
men cum inſtitutione Chriſti optime congruere, Artic. 27 diſerte
p. 46. affirmat. S. Cœnam, cujus ſubſtantiam & fructum Art. 28 docet,
myſterio carere omni dicit, nec adeo claris, quam quæ jactan-
p. 50. tur vulgo, S. Codicis teſtimoniis declarari. Quæ Art. 33 de ex-
communicatione ſatis aſſeruntur perſpicue, ita exponit, ut priva-
ta ſolum inde redeat admonitio: ligandi autem ſolvendique po-
p. 53. teſtatem in conceſſa Apoſtolis facultate collocat, qua mundo
Evangelium prædicare, legumque Moſaicarum tollere obligatio-
p. 55. nem, novaſque Eccleſiæ ferre, integrum ipſis fuerit. Et ut di-
cendorum faciamus compendium, cum articulorum plurimi
Pontificiis maxime, tum & reliquis adverſariis oppoſiti fuerint,
diverſo longe conſilio Epiſcopus in Expoſitione, ni plane in qui-
p. 56. buſdam Pontificiorum cauſam egit, conciliatoris certe nos inter
& adverſarios obiit vices, & Socinianis quoque, Zwinglianis ac
Anabaptiſtis gratificatus eſt.

p. 58. Tertio demum loco conquerebatur Clerus, ea in Expoſi-
tione dici, ex quibus varia & in Eccleſiam Anglicanam injuria, &
p. 59. Reformatione ejus conſequantur indigna. Primo enim periculo
non caret, quod id ſibi Vir ſumit privatus, ut publicis Eccleſiæ
p. 61. tabulis ſenſum pro lubitu injungat. Maxime vero, quod tan-
tam Expoſitio publicæ approbationis præ ſe ſpeciem ferat, neque
p. 63 tamen non omnem ſubſcriptionis Articulorum vim atque uſum
e medio tollat. Tum autem prorſus in Eccleſiam eſt iniquus, qui
ſchi-

schismatum ipsam postulat, Theologos ad Regem criminatur, typis exscripta Articulorum exemplaria sæpe multumque ab originali & authentico in diversum abire commonstrat. Sed nec suum Reformationi Anglicanæ Ecclesiæ intactum relinquit decus, dum in Historia sua (tantæ molis opere) plurima ad dignitatem ejus pertinentia, vel sicco præterit pede, vel leviter tangit, vel non pro eo, ac par erat, tradit. p. 64. p. 66 p. 73.

Mantissæ denique ac superpondii in vicem, examen accedit trium cumprimis ex præfatione Expositionis locorum, qui vel infamiæ quandam Theologis notam inurere, vel in Ecclesiæ vergere dedecus videbantur. Dum enim causas memorat, qui factum, ut nulla hactenus Articulorum lucem aspexerit expositio, Theologorum causatur dissensum, circa Augustini de decretorum divinorum ordine, de efficacia gratiæ &c. placita Articulis inserta. Porro vero cum tanto conatu persuadere allaborat lectori, se hanc conscribendæ Expositionis provinciam non ultro in se suscepisse, verum tot expetitam votis, tot a se flagitatam precibus, ab Archi-Episcopo Tillotsono sibi passum fuisse imponi; mirari subit, unde venerit, ut multo ante, quam manum operi admoveret, apparatum triginta annorum industria congestum prædicare erga amicos & ostendere potuerit, ni longe prius ipse id animo volvisset opus? Sub finem tandem præfationis, ubi in infelicium Ecclesiæ Anglicanæ schismatum causas inquirendum erat, eo delabi videtur, ut nimium Ecclesiæ in mediis & nullius momenti rebus accuset rigorem, quo communionem maximo cum scandalo infirmis fratribus negare, quam charitati locum relinquere, & nonnihil de jure suo, vel ritibus adiaphoris concedere malit: quæ ejus vox odii in Ecclesiam plena, & Episcopo indigna prorsus videtur. Atque hæc sunt, quæ ex præsenti Dissertatione excerpenda duximus, sed more nostros i. e. procul partium studio, ac judicio omni Lectoribus relicto integro. p. 85. p. 86. p. 90. p. 95.

NUMMI ANTIQUI FAMILIARUM ROMANArum, perpetuis interpretationibus illustrati, per JO. VAILLANT Bellovacum, D. M. & S. Ducis Cenom. Antiquarium.

Amſtelodami apud G. Gallet, Præfectum typographiæ Huguetanorum, 1703. fol. Volumina duo, quorum primum alphabetis 3. tabulis æneis 77, alterum vero alphab. 3½ & tab. 75. conſtat.

INter Antiquarios ævi noſtri, quorum natales Gallia ſibi vindicat, magnum nomen eſt *JO. VAILLANTII* Bellovacenſis, qui præter artem medicam, cujus Doctor renunciatus fuit, animum ad elegantiores Muſas ſua ſponte quaſi currentem, ſtudio rei numismaticæ ita exornavit, ut ob deſcripta veteris Romæ & Græcarum civitatum aliaque numismata, multas ipſi grates litteratus Orbis debeat. Dedimus in his Actis noſtris A. 1682. p. 121, A. 1695. p. 185. 187, A. 1701. p. 1. 113. & T. I. Suppl. p. 472. ejus diligentiæ ſpecimina: hoc autem, quod præ manu jam habemus, doctiſſimi Auctoris opus inprimis meretur, ut antiquariæ ſupellectilis amatoribus iſtud prælibemus. Poſt enim quam in dedicatoria ad Franciſcum I, Parmæ ac Placentiæ Sereniſſimum Principem, epiſtola cauſas nuncupationis ſuæ, & prolixum Gentis Farneſiæ adverſus litteras, litterarumque ac numorum præſertim veterum cultores favorem prædicaſſet, mox in præfatione operi præmiſſa, inſtituti ſui rationes exponit, quæ ipſum permoverint, ut poſt Hubertum Goltzium, Fulvium Urſinum & Carolum Patinum, qui triumviri numiſmata Familiarum Romanarum, maximo labore a ſe conquiſita ac delineata, in lucem protulerunt, manus ſimili conatui admoverit, & eximio ſpicilegio numos ab illis prætermiſſos non tantum adnotarit, ſed omnes ac ſingulos ordine concinno digeſtos, & ſuis quosque Familiis adſignatos, hiſtorica explanatione, quantum quidem ſedula inquiſitione adſequi valuerit, illuſtraverit. Quod ut factu facilius eſſet, tria potiſſimum in ſingulis numis explicanda ſibi propoſuit, *quis*, *quid*, *cur?* id eſt, nomen Familiæ, cujus eſt numus, typum anticæ & poſticæ partis, ac cauſſam denique ſeu occaſionem talis cudendi typi, talibus cum inſignibus. Notat autem, eidem numo plura ſæpe diverſarum Familiarum inſcripta eſſe nomina, atque adeo liberum ſe aliis reliquiſſe, ut qui plures conſimiles poſſident, eundem ſingulis in Familiis iterato ordine collocent. Quas de cætero cruces Antiquariis figant, aut moleſtias creent averſæ numorum partes? quis fructus

fructus e Consularibus colligi queat? quo tempore æri, argentei atq; aurei numi apud Romanos cusi sint? quibus modulis numismata inter se disstinguantur? quinam denarii pro rarioribus habendi? quo ordine, alphabeticone familiarum, an historico rerum, disponendi sint ejus generis numi? fusius in memorata præfatione indigitat. Ad ipsum opus quod attinet, probe observandum est, id præcipue litteratissimum Vaillantium egisse, ut uno quasi conspectu omnes Familiarum Romanarum numos, quotquot vel apud Goltzium, Ursinum, Patinum, vel aliunde ipsius cura haberi potuerunt, nobis repræsentaret, ordine familiarum alphabetico dispositos, atque ex historiæ Romanæ monumentis sat luculenter descriptos. Quum autem Patini labor in eo maximam partem versaretur, ut Familiarum Romanarum numismata olim ab Ursino edita, ob defectum vero exemplarium rariora facta, & novis accessionibus a se locupletata, eruditorum oculis sisteret, fieri omnino aliter haud potuit, quin Vaillantius, qui Goltzium quoque ad partes vocavit, multarum gentium numos adduxerit, de quibus apud Patinum altum est silentium. Tales sunt Albiæ, Alfiniæ, Aniciæ, Arruntiæ, Atteiæ, Aufidiæ, Autroniæ, Cædiciæ, Calvisiæ, Canidiæ, Carviliæ, Cicereiæ, Critoniæ, Duiliæ, Fabriciæ, Furniæ, Gabiniæ, Hateriæ, Helviæ, Hortensiæ, Læliæ, Lætoriæ, Liviæ, Lolliæ, Mæniæ seu Mainiæ, (quam tamen Patinus Majaniam vocat pag. 163) Maniliæ, Mummiæ, Octaviæ, Pediæ, Perpernæ, Pontiniæ, Popiliæ, Poppææ, Pupiæ, Rupiliæ, Sextiæ, Sosiæ, Suilliæ, Tariæ, Treboniæ, Valgiæ, Variæ, Vatiniæ, Villiæ, Visel-liæ, Vitelliæ, Ummidiæ, Volcatiæ, Volusiæ, Familiarum numi, quos partim ex Goltzio, partim ex suis scriniis supplevit Vaillantius. Per autem mirum nobis videtur, qui fiat, ut idem Litterator noster aliquot familiarum oblitus sit, quarum tamen Patinus meminit. Tales sunt gens *Bellia*, cujus unicum numum Patinus adpingit fol. 48, *Helia* Tuberonis, cujus numus extat fol. 120, *Mineia* fol. 178, *Vergilia* fol. 287.

Ut enim vero aliquod operis specimen Lector habeat, quamvis magnus sit illorum numismatum, quæ cum Patino, vel etiam post ipsum, in Familiarum Romanarum ab ipso etiam Patino memoratarum serie, apud Vaillantium spectantur, nolumus tamen in eorum

eorum recensione diu morari, sed ad illarum tantum numos revertimur, quos Patino haud dum visos fuisse eo tempore, quo Fulvii Ursini opus a se adauctum publicavit, ocularis inspectio docet, illorumque ectypos aliquot cum Lectore curioso communicamus. Talis est desumtus ex Goltzio Alfiniæ gentis denarius argenteus, cujus adversa pars caput Herculis laureatum, dextro humero exuvias & clavam gestans, aversa vero templum rotundum quatuor columnis insigne habet, cum inscriptione: *P. ALFINIUS P. F. VARUS III VIR.* Numus iste vel ideo notari meretur, quod gens Alfinia plebeja, Publius autem Alfinius (alias etiam Alfenius & Alphenus scribitur) P. F. Varus, sutor primum fuerit, qui abjecta sutrina, quam in municipio suo Cremonensi exercuerat, Romam venit, magistroque usus Servio Sulpitio ICto, ad tantam pervenit scientiam, ut beneficio artis hujus & latum clavum sumeret, & cum P. Vinicio A. V. C. 754 Consulatum adipisceretur, Digestorum Libros XL a Paulo in epitomen redactos relinqueret, & mortuus publico funere efferretur; quod ex Horatio, Gellio, Dione ac Sigonio prolixius ostendunt Bertrandus & Henelius in suis de ICtis Vett. lucubrationibus, aliique Hunc autem denarium Alfinius non cudit tanquam Consul (uti putavit Goltzius) sed antequam Consulatum obtinuisset, nempe quando fuit Triumvir, uti numus indicat: non autem Triumvir monetalis, verum ædibus sacris incendio consumtis restituendis. Cæterum quia tot Romæ Herculis ædes erant, nesciremus adhuc, quæ illa fuerit flammis absumta & quæ ab Alfinio curante reparata sit, nisi Hercules laurea coronatus indicaret, Herculis Victoris ædem fuisse, & quidem non illam ad portam trigeminam, sed alteram in foro Boario, quam P. Victor in VIII regione sitam, rotundam ac parvam fuisse narrat, uti ejus in numo icon manifestat. Alfiniano argenteo aureum Arruntianum denarium adjungimus, qui priori latere caput Jovis laurea coronatum, verbis *L. ARRUNTI. L. F. II VIR*; averso vero caput tauri mitrati sive ad sacrificium ornati sistit, addita inscriptione, *IVL. ANTON. M. F. Q. MAX. AFRICAN.* Occasionem numo huic flando sacra dedisse putat Vaillantius, quæ illo die, quo Consules magistratum inierunt, in Capitolio Jovi facta sunt. Lucius

TAB. VI. Fig. 1. Fig. 2.

TAB. VI. ad A. 1704. M. Septemb. p. 408.

1.





2.





3.





4.





5.





6.






7.





8.






9.





10.






11.






12.





13.





cius autem Arruntius ut Duumvir ſacris inquirendis, de quibus loquitur Livius Lib. 25, huic ſacro præfuit, in cujus memoriam caput Jovis & caput tauri, cum nominibus Conſulum, (Julii ſcilicet Antonii, M. F. & Q. Maximi Africani) ac titulo dignitatis ſuæ, in denario percuſſit. Tertius eſto argenteus Aufidianus, in cujus antica facie caput Romæ galeatum, pone quod numerus *XVI* ante *RUS*, i. e. *RUSTICUS*; in averſa autem Jupiter in quadrigis, dextra fulmen, ſiniſtra haſtam & habenas equorum habens, ſub quadrigis literæ *M. AVF.* in imo autem *ROMA* conſpiciuntur. Primam hujus denarii notitiam Vaillantio debemus, qui neminem dubitare ſcribit, quin M. Aufidius eum cuderit, ac notæ numerales *XVI*, quæ illum pro XVI aſſibus permutari nos docent, quum bello ſecundo Punico pecuniæ penuria ad eam monetæ auctionem egiſſet Rempublicam Romanam, illo durante ſignatum eſſe demonſtrant: ea autem cœpit A. V. C. 535, & pax cum Carthaginienſibus inita eſt A. 552, ſicque annos XVI duravit, ita ut paullo poſt moneta ad pretium ſolitum videatur reducta. Quartus erit gentis Carviliæ æreus, ex Theſauro Regio a Vaillantio depromtus, qui caput Jani bifrontis barbatum, in averſa vero parte Navem cum verbis *CAR. OGVL. VER* habet. Numus ille eſt, de quo loquitur Clar. Perizonius, cum ſimplice & vulgari antiquiſſimorum ſymbolo Jani bifrontis, quem ad alterutrum Cn. vel Q. Ogulnios Tribunos plebis, anno $45\frac{4}{5}$ cum Sp. Carvilio Q. F. Triumviros monetales revocat: ſed putat Vaillantius, Perizonium forſan non vidiſſe numum, qui uncialis eſt, & pro ſemi ſextantario mutabatur, quum ſit percuſſus primo bello Punico ab anno $48\frac{5}{6}$ incœpto, poſtquam impenſis Reipublicæ non ſufficientibus, aſſes librales imminui cœpere, & ſextantario pondere cudi, quod convenit Sp. Carvilio Sp. F. Q. Ogulnio, & L. Vergilio, Triumviris monetalibus hoc tempore inſtitutis, nempe ab anno $51\frac{0}{1}$ ad $51\frac{5}{6}$ vel paullo plus aut minus. Quintus gentis Fabriciæ, qui in tabella per medium numi poſita *L. FABRICI* & in vertice *PR.* ex poſtico autem latere ſerpentem in gyrum circumvolutum, erecto capite, cum verbo *PATERNUS* oſtendit. Æreus hic numus eſt, a Vaillantio primum adductus, a L. Fabricio Prætore, non Romæ, ſed in Achaia, (quod ſerpens Epi-

fol. 157. TAB. VI. Fig. 3.

fol. 237. Fig. 4.

fol. 431. Fig. 5.

 daurius

TAB. VI. Fig. 6. daurius Achaiæ symbolum indigitat) cusus. Sexto loco ponimus Hateriæ gentis numum æreum, ex Goltzio desumtum, & a Vaillantio adpictum quidem fol. 480, sed in explicatione reliquorum, nescio quo casu, plane omissum atque neglectum. Septimum inter rariores locum habeat ille, qui inter Liviæ familiæ octo numos apud Vaillantium secundus est. Fig. 7. Tom. II. fol. 50. Ibi caput Romæ galeatum cum verbo *ROMA* & signo X ex una parte, ex altera vero Castor & Pollux equites cum hastis decurrentes, astris insigniti, ac subscriptione *C. DRUSI. C. F.* pinguntur. Æreus iste denarius a Cajo Livio Druso, qui e Claudia Pulchrorum familia in Liviam gentem adoptatus est, cusus fuisse videtur A. V. C. $62\frac{3}{4}$ quo Quæsturam Provincialem iniit, cum solito eorum typo, nempe Castoris & Pollucis fratrum, ad designandam suam cum fratre M. Livio concordiam. Octavo, nono ac decimo nominamus tres posteriores gentis Pupiæ æreos, ab Aulo Pupio Fig. 8. 9. 10. fol. 316. 322. Rufo Bithyniæ Provinciæ Quæstore cusos, & Græcis inscriptionibus insignes, quorum prior caput Lysimachi Regis diadematum cum cornu arietino (quod divinitatis in Regibus signum esse volluerunt veteres) alter caput Jovis Ammonis itidem cornutum, uterque in aversa facie Sellam Curulem inter fasces cum securibus; Fig. 11. fol. 523. tertius vero arietem & duo fulmenta ligni, pro igne cum clathro ferreo transverso, nobis sistunt. Undecima inter icones nostras ad gentem Variam spectat, quem numum æreum Patinus in Quintilia gente minus recte inseruisse scribitur a Vaillantio, qui eum Variæ familiæ restituit, licet illa haudquaquam illustris fuerit. Videmus in eo expressum caput Augusti cum verbis *AVGVSTVS DIVI F.* in altero latere instrumenta Pontificalia, simpulum, aspergillum, secespitam & apicem, cum inscriptione *C. VAR. RUF. SEX. IUL. POL. II VIR.* Q. qui Duumviri Quinquennales in memoriam Sacerdotii, quod Augustus post M. Lepidi Triumviri & Pontificis Maximi obitum susceperat, cudi fecerunt. Duodecimus Fig. 12. fol. 526. numus est Ventidianus, cujus cælatura exhibet caput M. Antonii, cum lituo & verbis *M. ANT. IMP.* ex aversa parte figuram nudam stantem, quæ dextra hastam, sinistra pateram tenet, additis verbis *P. VENTID. PON. IMP.* Observat in explicatione argentei hujus numi Vaillantius, P. Ventidium, e Piceno ortum, cum matre

matre captiva olim in triumpho a Pompejo ductum, deinde equis meritoriis & vehiculis conducendis victum quæsivisse, & in ea arte cognitum Cæsari Dictatori, cum eo in Gallias profectum. Ibi ob res satis gnaviter ac strenue gestas, in amicitiam Cæsaris, & hujus ope ad Magistratus ac Senatoriam dignitatem pervenisse; post cædem Cæsaris, quum Antonii partibus faveret, Pontificem ab eo, & tandem Consulem Romæ factum, populo illud ita intoleranter ferente, ut Gellio teste (Lib. 15. cap. 4.) vulgo per vias urbis versiculi proscriberentur:

Concurrite omnes augures, aruspices,
Portentum inusitatum conflatum est recens,
Nam mulos qui fricabat, Consul factus est.

Tandem vero cum Antonii Triumviri Legatus esset constitutus, & in bello Parthico T. Labienum ad Taurum montem cum Parthis delevisset, Imperatorem adpellatum, hunc denarium cudisse, in cujus anteriore parte M. Antonii caput expresserit cum lituo, quod nimirum Augur hic esset, hujus autem Sacerdotii symbolum lituus haberetur. Figura nuda ipse M. Antonius videtur esse, sub Jovis imagine, dextra gerens hastam, velut insigne divinitatis, & pateram læva, quasi huic Deo sacra essent peragenda. Agmen claudit numus Volusianus æreus primæ magnitudinis, in quo caput Jovis laureatum, ex postica vero facie Genius Antiochiæ turritus & velatus, rupibus insidens, dextra palmæ ramum gestans, pro pedibus autem ejus Orontes fluvius emergens, brachiis extensis natantium more exprimitur, cum Græca inscriptione: ΕΠΙ ΣΑΤΟΥΡΝΕΙΝΟΥ ΟΥΟΛΟ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Variæ hoc de numo Antiquariorum sunt sententiæ, quæ qua ratione inter se conciliari possint, ex Vaillantio ipso cognosci malumus: sicut etiam sphalma, seu a chalcographo in numo ipso, seu in explicatione ejus a typotheta, hic admissum emendare, nobis integrum non est.

TAB. VI. Fig. 13. fol. 575.

Atque hi quidem numi sunt, quos in lectione doctissimi operis speciminis loco observatu dignos existimavimus. Restat eorum, qui æque rari sunt, maxima adhuc seges, & potuissemus Sextianos duos, ex Goltzio depromtos, a Vaillantio autem egregie illustratos, vel ideo adducere, quod *gentis Sextiæ plebejæ nullam esse in denariis mentionem* Patinus operis sui fol. 262 satis auda-

audacter, sed, uti jam videmus, falso scribat: verum brevitatis habenda est ratio, & merentur hæc volumina, quæ vel ob numorum adparatum amplissimum, & selectum ordinis, atque diligentiam in iis explicandis exercitam, curiosis antiquitatum Romanarum scrutatoribus sint commendatissima.

DISSERTATIONS SUR DIVERS SUJETS &c.

i. e.

DISSERTATIONES DE VARIIS MATERIIS Moralibus & Theologicis, Autore JOANNE LA PLACETTE, Pastore Ecclesiæ Gallicæ Hafniensis.

Amstelodami, apud Petr. Brunel, 1704. 8.
Constant 17 plag.

NOn vulgarem editis hactenus moralis argumenti libris famam commeritus est Clarissimus Auctor, quibus ea, quæ tractare suscepit, ex ultimis plerumque recessibus peraccurate exposuit. Præsens libellus tres sistit Dissertationes, quarum *prima* de amore Dei & nostri ipsius, occasione controversiæ Fenelonianæ agit, ubi Auctor ea, quæ Tomo II Tentam. Moralium hac de re disseruerat, emendatius aliquantum ex posterioribus curis tradere allaborat. Ejus mentem fere hanc esse intelleximus:

Omnis amor vel est benevolentiæ, quando ea, quæ personæ amatæ bona sunt, volumus atque optamus, adeoque versus personam tendimus; vel concupiscentiæ, quando rem aliquam desideramus, adeoque versus eandem ferimur. Duæ hæ amoris species affines conjunctæque sunt, prior tamen fons atque causa posterioris est; neque enim res ulla amatur, nisi quia nobis, aut aliis, quibus bene volumus, bona est. Inter ea, quæ amamus, honestum potissimo loco esse debet; quo nomine id intelligitur, quod fundamentum laudis ac approbationis est, quippe quod præter commodum delectationemque, quibus nos afficit, interna bonitate ac nobilitate gaudet, reliquisque bonis omnibus merito est præferendum. Benevolentia, quam versus nos ipsos gerimus, quamque amorem nostri vocamus, naturalis & necessaria est, perpetuoque motu gaudet, similis gravitati, corpora versus centrum

trum ſine intermiſſione moventi. Revera enim omnium actionum, etiam amoris verſus alios, principium eſt. Hic vero amor, ſi recte ſe habet, non ſolum in bonum utile & jucundum, verum etiam in honeſtum fertur, & cum inter honeſta præcipuum ſit, Deum amore benevolentiæ proſequi, in illud etiam, quando a S. Spiritu regitur, fideque illuſtratur, tendit. Licet igitur Deum utroque amore & concupiſcentiæ & benevolentiæ proſequi; hujus vero fundamenta præcipua non ſunt perfectiones Dei abſolutæ, quod Scholaſticis & Fenelonio eſt viſum, ſed relativæ potius, nempe benignitas ejus & miſericordia, attamen abſolute potius, quam reſpectu noſtri conſideratæ. Amor concupiſcentiæ verſus Deum, quo deſideramus frui illo, ita comparatus eſſe debet, ne conſectaria fruitionis divinæ, nempe gloriam & gaudium æternum, ſine Deo amemus. Uterque amor in ſuo genere dominari debet, ita ut per amorem benevolentiæ Dei gloriam omnibus rebus anteponamus, per amorem concupiſcentiæ vero ejus poſſeſſionem ſupremo loco habeamus. Reipſa tamen prior nobilior poſteriori eſt, quod Auctor Apologiæ Amoris contra Fenelonium negatum ivit. Qui vero amorem concupiſcentiæ amori benevolentiæ prorſus ſubordinatum volunt, perfectionemque interpretantur, ſi quis Deum poſſeſſionis fruitionisque & vitæ æternæ gratia plane non amet, quod Fenelonius docuit, & impoſſibilia ſuadent, quia amor noſtri naturæ inſcriptus eſt, & vana, cum in ipſo innocentiæ ſtatu metus pœnæ, adeoque deſiderium poſſeſſionis divinæ habeat locum, imo Chriſtus, infinitis modis Sanctos Myſticos ſuperans, indifferentia tali, qualem illi jactant, præditus non fuerit. Danda vero opera eſt, ne per concupiſcentiæ amorem Deum ut merum medium felicitatis noſtræ, nos vero ipſos tanquam ultimum finem conſideremus, quod eſſet inſignem idololatriam committere; quin potius & hoc intuitu Deus ultimus *finis qui*, ſive *realis* eſſe debet, homo ipſe vero ultimus *finis cui*, ſive *perſonalis;* diligenterque elaborandum eſt, ut cum amore benevolentiæ amor iſte ſemper ſit conjunctiſſimus. Non audiendi igitur Myſtici ſunt, qui talem ſibi ſtatum fingunt, quo pii a Deo ipſo in ſententiam eam perducti, ut æternum ſe damnandos credant, neceſſum habent, ſalutem ſuam repudiare,

damnationemque desiderare; quippe cum in errorem istum Deus neminem inducere queat, aut id a nobis poscere, ut vel æternum ipsius odium, vel pœnas immeritas appetamus, quæ sunt damnationis æternæ partes. Moses vero, cum e libro vitæ deleri, Paulus, cum anathema a Christo esse optaret, non æternum exitium, sed ille quidem mortem corporis, hic excommunicationis gradum supremum intelligebat. Hæc XVI capitibus tradita sunt.

Secunda Dissertatio controversiam de *Attritione*, quæ inter Romanæ Ecclesiæ Doctores agitatur, XXIII capitibus expendit, ea quidem occasione, quod Bossuetus aliique nostros, qui Romanam Ecclesiam ista de attritione doctrina amorem divinum enervare affirmant, convitiatorum loco habeant. Noster id se quidem molestius urgere nolle fatetur, quod Azorius, Vasquez, Tamburinus docuerint, non peccare eos, qui Deum prorsus non ament, ipsamque obligationem amandi Deum tollant, cum error iste, etsi post diuturnam dissimulationem, tandem A. 1690 ab Alexandro VIII sit condemnatus. Id vero pro certo habet, plerosque Romanæ Ecclesiæ Doctores, dum attritionem ad salutem æternam sine amore Dei sufficere docent, amori huic *necessitatem præsentiæ* denegare, etsi *necessitatem præcepti* forsan concedant: dissentire quidem, & attritionem insufficientem existimare Jansenium, Morinum, Contensonium, Lupum, Episcopum Castoriensem & Bossuetum; sed exiguum horum esse numerum, & si cum adversariis contendantur, ferme nullum. Hos non solum tolerare Romanam Ecclesiam, etsi periculosissime errantes, sed Alexandrum VII etiam decreto solenni prohibuisse, ne quis eos erroris insimularet, Alexandrum VIII iisdem favisse & contrariæ partis fulcra præcipua decreto alio sustulisse, Concilium denique Tridentinum ad eosdem proxime accedere; quo loco Jansenianorum artes invertendi sancita Concilii & enervandi expendit. Refellit etiam eorum subtilitates, qui admissa etiam doctrina de attritionis sufficientia, tamen necessitati amoris divini adhuc consultum putant, si dicant, habitum ejusdem, non actum a salvandis requiri. Bossuetum vero cumprimis carpit, quod sophistica confusione necessitatis præcepti & præsentiæ, sive medii, Romanam Ecclesiam excusare, nostrisque imputare calumniam non sit veritus;

ritus;

ritus; quod in Evangelicos Lutheranos criminationem istam retorqueat, eos, dum fide sola justificari hominem doceant, necessitatem amoris omnino evertere. Auctor injuriam fieri nostris ait, eosque, etsi durius loquantur, & a *necessarii* voce abhorreant, re ipsa tamen rectius sentire, & amorem divinum ab omni salvando requirere, adducta etiam *Jo. Brunsmanni, Theologi Hafniensis, Apologia Ecclesiæ Lutheranæ contra Bossueti de amore Dei in salvandis non necessario calumnias*, Hafniæ A. 1694 edita. Tandem, re omni abundantius exaggerata, & Papæ, & Episcopis tolerantiam attritionis graviter exprobrat, consensum Romanensium & fidei, quam vocant, unitatem nullam ipsis esse, nec solvi ex ipsorum principiis hanc litem posse, pronunciat.

Dissertatio *tertia* de *Sabbatho* disquirit, eo quidem modo, ut Auctor præceptum de Sabbatho ex morali & ceremoniali mixtum putet, naturam legis moralis peculiariter exponat, consecrationem septimæ partis nostri temporis ad cultum divinum, atque cessationem a laboribus, quatenus sacra publica privataque impediunt, pro moralibus habeat. Hic inter alia p. 327. observat, leges forenses ac ceremoniales peculiari Dei consilio in librum, Decalogum vero in lapidem fuisse inscriptum, ut appareret, istas caducas esse & mutabiles, hunc constantem & mutationi non obnoxium. Addit, diei Dominicæ determinationem ab Apostolis factam, dum quilibet eorum iis, quas instituebat, Ecclesiis formam cultus præscriberet; Ecclesiam immutare hoc institutum non posse; non sufficere paucas istas, quas publico cultui divino per diem Dominicam impendimus, horas, sed omne, quicquid a somno, cibo & necessaria mentis recreatione superest temporis, privatæ Numinis venerationi esse impendendum; ludos vero, maxime scenicos, & convivia die ista omnino intermittenda esse. Hæc XIV capitibus Vir diligentissimus explicavit.

SAMUELIS STRYKII IC. CONTINUATIO Usus moderni Pandectarum, a Libro VI usque ad XII, in Academia Fridericiana publicis disputationibus proposita.

Halæ

Halæ Magdeburgicæ in Bibliopolio Orphanotrophii, 1704. in 4to.
Conſtat 2 Alph. 19 plag.

CUm vaſtum nimis ſit Juris ſtudium, utilisſima eorum merito cenſeri debet opera, qui, quid in tanto legum variarum apparatu, uſus probet vel repudiet, ſolerti cura indagant. Tendit eo Illuſtris Strykii labor, eo magis æſtimandus, quo magis, in hoc literarum genere, Virum Summum exquiſito judicio uti, longaque ſuffultum eſſe experientia, conſtat. Primum utiliſſimi laboris ſpecimen anno *1690* lucem aſpexit, ac a nobis *Supplement. Tomo II. Sect. 5. p. 252.* recenſitum eſt, cujus Continuatio dubio procul ſtatim ſecuta eſſet, ſi ſolis Lectorum votis res iſta potuiſſet confici. Verum Celeberrimi Autoris variæ viciſſitudines locorumque mutationes, quæ Dei nutu, Regisque ſui longe Clementiſſimi arbitrio, ei ſubeundæ fuerunt, nec non concatenati labores, quibus ex functionis ſuæ ratione, humeros ſubmittere tenetur, aliter voluerunt. Nam uti hæc moram ſatis longam hactenus peperere, ita nondum etiam permittunt, ut vel de cæteris partibus, vel totius operis complemento, ſpes ratæ eſſe queant. Cum autem hujus Continuationis tam intentio, quam ſeries, vel ex ſola rubrica ſatis intelligatur, ideo noſtrarum partium ſolum eſſe videtur, ut ex novo hoc ſpecimine nonnulla ſpecimina, operis tamen præſtantiam haut aſſecutura, Lectoribus exhibeamus. In *Lib. VI. tit. 2.* de uſu actionis Publicianæ ſollicitus Autor Conſultiſſimus, putat actionis frequentiorem eſſe in foro uſum, quam ipſius vocis, cum ubivis fere invaluerit, ut, ſi quis rei vindicatione experiri velit, non ſimpliciter ſe in dominio fundet, ſed eidem particulam *quaſi* adjiciat, e. gr. weil nun Klägern dieſes Hauß jure dominii vel quaſi zuſtehet / quæ formula tamen uti ex jure Canonico originem habere, ita ad demonſtrandam actionem Publicianam, Noſtro vix ſufficere videtur, cum eadem utile etiam dominium deſignetur, ac e. gr. Vaſallus, in vindicatione feudi, recte etiam dicat, weil mir nun dieſes Guth jure dominii vel quaſi zuſtehet. Advocatum igitur conſultius acturum exiſtimat Vir ſummus, ſi factum in libello ita proponat, ut & hoc Publicianæ actioni applicari poſſit: tum enim, ſubjecta conſueta illa formula, de cumulatione rei vindicationis & Publicianæ,

næ, amplius dubitandum non esse. Quod si porro Publiciana separatim quis in foro experiri velit, tum eadem requisita, quæ jure civili præscripta sunt, nempe traditionem & bonam fidem, hodie quoque in libello exprimenda esse, ulterius Noster docet, adjiciens, in foro etiam Saxonico, in quo ad transferendum rerum immobilium dominium, resignatio judicialis necessaria esse creditur, ad fundandam Publicianam, sufficere traditionem, maxime si supponas, quod ex nullo Juris Saxonici communis textu resignationis memoratæ necessitas demonstrari queat; quod contra Carpzovium prolixe Franskius probasse Nostro videtur. Trita Juris Romani doctrina est, quod servitutum indoles in eo posita sit, ut dominus prædii servientis aliquid pati vel non facere teneatur, adeoque servitus in faciendo consistere non possit. Moribus tamen nostris servitutem in faciendo constitui, ac v. gr. a vicino promitti posse, quod in usum alterius prædii, lignum quotannis equis suis advehere velit, Manzius existimavit, sed Nostro *l. 8. tit. 1.* ista sententia non simpliciter probatur, rato, valere quidem tale pactum, ratione stipulantis & successorum, cum hodie etiam tertio stipulari liceat, non vero ratione promissoris, eo scilicet effectu, ut ejus vis in quemvis successorem singularem porrigatur; pactum enim non rem, sed personam afficere, adeoque promissorem sua promissione tertium obstringere non posse. Alia ratio, ex doctrina Viri Illustris, est jurium illorum bannariorum, quibus vicini compelli possunt, ad faciendum aliquid in mei prædii utilitatem, e. gr. si habeam molendinum, furnum aut cauponam bannariam, tum in vicinis nascitur obligatio ad faciendum, scilicet ad molendum in molendino, ad panem coquendum in furno meo, & ad petendam ex caupona mea cerevisiam. Horum enim jurium intuitu cum pacta non cum personis singularibus, sed integra universitate ineantur, daß sie die gantze Dorffschafft zu einer gewissen Mühle verbinden / istiusmodi vero conventiones etiam futura universitatis membra stringant, cum universitas non moriatur, sed semper per novos successores redintegretur, ideo, quin in effectu jura illa bannaria cum servitutibus conveniant, dubitandum non esse censet. Nec dissimilis ratio est, ceu amplius idem docet, operarum rusticarum, quæ no-

ſtro prædio a vicinis debentur; licet enim & hæ facti præſtationem contineant, revera tamen hic prædium prædio ſervit, hinc quisque poſſeſſor illius prædii, mihi ad has operas obligatur; et ſi ego prædium meum tertio vendiderim, ille jus exigendi easdem operas conſequitur: operæ enim ruſticorum prædio debentur ex prædio, non perſonæ a perſona; unde vulgatum illud, das Guth iſt dienſtpflichtig / oder es hafften viel dienſte auf dem Guthe. Ut adeo multum interſit, an quis ad operas ſimpliciter ſe obliget, ubi perſonalis promiſſio eſt; an vero operæ rebus inhæreant, quo caſu poſteriori, moribus Germaniæ, in effectu ad ſervitutes reales referri poſſunt. Jus Viæ, ex Romanorum doctrina, etiam involvit jus ferendi haſtam erectam; quid vero hoc nomine intelligatur, non ſatis expeditum eſt. Celeberrimo Autori *l.* 8. *tit.* 3. proceſſiones Catholicorum, in quibus erectis vexillis incedere ſolent, non recte a Manzio huc referri videntur; quemadmodum etiam jus ducendi exercitum, oder piqueniret durch ſolchen Weg zuführen / illuſtrando dogmati Romano, minus appoſite allegaveris. Hinc ſententia Gotofredi propius ad veritatem videtur accedere, exiſtimantis, viæ modum non tantum in rectum & flexum, ſed & verſus cœlum, æſtimandum eſſe, ita ut non tantum ad latus nullum obſit obſtaculum, ſed & adverſus cœlum pateat: id quod ita Noſtro efferendum videtur, daß er piquen hoch raum habe / ita ut, ſi pretium operæ fuerit, vel haſtam erectam ferre, vel ad haſtæ altitudinem onerare vehicula, per illam viam ducenda, & remotis ramis ſibi obſtantibus, impedimenta tollere poſſit, modo arboribus frugiferis parcatur, daß er daſelbſt mit Heu / Korn oder Wolle hochbeladenen Wagen ohne Hindernis fahren könne. In *lib. XI. tit.* 5. de ludis eorumque moralitate ſatagit Illuſtis Autor. Notato maximo ludorum abuſu, ſanctionem juris Romani, contra aleam, adducit laudatque, ac remiſſiora jura Germanica, quæ pecuniæ in ludo perditæ exactionem quidem haut admittunt, ſolutæ tamen repetitionem quoque inhibere videntur, adjungit, eademque ex jure Romano commode ſuppleri poſſe, contendit. Hinc, licet hodie pravi mores bonas leges in ſuam poteſtatem traxiſſe videantur, attamen cum illi mores nondum univerſales, ac inſuper aulici ma-

magis, quam forenses sint, judicem, si rigori juris civilis, donec consuetudo contraria legitime probetur, insistat, ac secundum illud pronunciet, juste esse facturum, amplius existimat. Quod si lusores ea utantur cautela, ut in creditum eant, & instrumentum obligationis, quasi tantam pecuniam alteri mutuo dedissent, sibi dari curent, tum, ex doctrina Nostri, iis ex instrumento hoc guarentigiato agentibus, exceptio non numeratæ, sed ludo perditæ pecuniæ, in Saxonia opponi non potest, nisi hæc pariter sit liquida; bene vero in Ducatu Magdeburgico, in quo, etiam contra instrumentum liquidum, delatio juramenti admittitur. Si vero literæ cambiales accesserint, tum exceptio memorata plane cessat; id quod recenti quodam Facultatis Juridicæ Hallensis responso confirmatur, salva nihilominus reo reconventione. Si denique de pecunia ludo perdita transactum sit, tum illa valide, vel processu executivo, vel ordinario, prout indoles instrumenti, eo nomine confecti, admiserit, exigi potest, cessante & exceptione & reconventione: cujus sententiæ, alio præjudicio illustratæ, ea præcipue est ratio, quod, cum super dolo commisso, aliisque delictis, tam publicis quam privatis, transigere liceat, debitum ex ludo ortum transactione quoque confirmari possit. Uti autem pecunia lusori credita, collusori non est restituenda, ita nec cauponem aut lusorum receptatorem, nec tertium pecuniam datum repetere posse, amplius docet Consultissimus Autor, adjiciens contra Wissenbachium, παράδοξον & παράνομον non esse, quod Jure Romano lusorum receptatori, ob injuriam vel damnum a lusoribus illatum, actio non detur, cum Magistratus ludentium petulantiam ex officio punire possit. Cæterum hactenus dicta ad ludos fortunæ & mixtos, qui aleæ nomine comprehenduntur, pertinent. Alia ratio est ludorum virtutis, quibus ad utilitatem Reipublicæ arte vel Marte conferendam, juvenes præparantur. Hos uti licitos laudandosque censet Illustris Autor, ita ad eos ludum Schachorum & saltandi exercitium non recte referri arbitratur, cum illi, velut rei inutili, pessime tempus impendatur, hoc vero lascivos & effœminatos, non fortes reddat juvenes. Postea explicat ludos in *l. 1. & fin. C. de aleator.* relatos. Ex hoc genere est μονόβολον i. e. exercitium saxa seu lapides jactan-

ctandi, cum eoque habet aliquam convenientiam exercitium illud, die Handgranaten zu werffen / nec non jactatio lapidum funda, mit der Schleuder / facta. Succedit κοντομονόβολον, sive ludus conti jaciendi, seu hastæ jaculandæ. Hunc excipit ludus Quintanæ, quo contus seu pertica, a currente equite, in hominem ligneum figitur, sic dictus a Quintana via, quæ in castris Romanis in quintanam portam exibat, ubi milites, arte feriendi sudem exercebantur, quamvis Imperator ipse ab homine quodam Quinto, hunc lusum denominatum dicat. Quartus ludus est περιχύτης sive Colluctatio, eoque referri potest das Ringen oder das Lantzen-Brechen und Fuß-Turnieren / nec non ars pugillatoria, a cujus tamen favore excludendos censet Autor Celeberrimus opifices, palæstram gladiatoriam exercentes, die Marcks-Brüder / qui Francofurti, & Federfechter / qui Pragæ creantur, cum cruenta sæpius edant spectacula, præcipuaque ars in variis corporum gestibus, quos Aufhebels vocant, tantum consistat. Ultimus denique ludus, a Justiniano permissus, est ἱππική, cum duo equi, docente Pancirollo, birotæ adjuncti currunt, & uni insidens, in alium, cum opus est, transit. Hodie eo non male referas das Wette- und Ringelrennen zu Pferde. His generale monitum, quod ea, quæ de permissis fortunæ ludis, ac retentione lucri naturaliter licita, dicta sint, ad forum exterius tantum, non autem ad conscientiam pertineant, cum nunquam ad ludum se conferant lusores sine animo lucrandi, hoc autem appetitu, omnino contra Decalogum peccent, Vir Illustris subjungit, ac sponsiones & ollam fortunæ, magis rejiciendas, quam probandas esse existimat.

GUL. FORBESII CONSIDERATIONES MODESTÆ & Pacificæ Controversiarum de Justificatione, Purgatorio, Invocatione sanctorum, Christo mediatore, & Eucharistia. Cum Compendio Regulæ fidei Catholicæ VERONIANÆ, ad ostendendum, quæ sint, quæque non sint de fide catholica. Altera editio, prioribus multo emendatior.

Helm

Helmſtad. A. 1704. in 8. Alphab. 2. cum dimidio.
Proſtat Lipſiæ apud Joh. Frid. Gleditſch.

Bina hæc ſcripta edidit multa cura & ſtudio *Joh. Fabricius*, S. Theol. D. ejusque in Acad. Julia Prof. primarius, Abbas Regiæ Luteræ, & Sereniſſ. Duc. Brunſvic. & Luneb. Conſiliarius Eccleſiaſticus, iisque *notas* addidit ac tres *Indices*. Præmiſit etiam *præfationem*, in qua docet, obligatum eſſe Theologum Academicum, ut judicet, quænam ſint genuinæ adverſæ partis ſententiæ, ne *quid* forte *alieni* ei tribuatur, neve confundatur *doctrina Eccleſiæ alicujus* cum particularium placitis Doctorum, aut *credenda* cum quæſtionibus problematicis, neque etiam *ex cenſuris & approbationibus librorum* concludendum eſſe, omne id, quod illi proponunt, eſſe de fide. Hinc celebrat Forbeſium, quod in hoc tractatu prudentem & gravem diſputatorem, & fideliter ac candide adverſariorum ſententias propoſuerit, ac modeſte de iis judicarit, etiam ſuorum errores, ſi qui ſunt, non præteriens. Denique ait, plurimas & graviſſimas *mendas*, quæ in priori erant editione, ut tolleret, nulli ſe labori, nulli operæ peperciſſe, atque hunc in finem dicta S. Scripturæ, Patrum Eccleſiæ, & aliorum auctorum, quorum potuit habere copiam, evolviſſe, &, num recte ſe haberent citationes, inquiſiviſſe. Neque melius cognoſci poteſt, quid in nova hac editione præſtitum ſit, & quantum illa antecellat priorem, niſi hæc cum nova conferatur. In eo quoque lectori commodum exhibere voluit, quod numeros paginarum veteris editionis retinuerit, ne illi, qui ex veteri editione vel allegaſſent, vel in locos ſuos communes retuliſſent, operam ſuam perderent. Juvat autem ex Elencho vitæ Forbeſii, itidem præmiſſo, cognoſcere, quis ille vir fuerit. Nimirum natus Aberdoniæ ex illuſtri familia, patre Thoma Forbeſio, & matre Janeta Cargilla, medicinæ Doctoris celeberrimi filia, poſt comparatam linguæ Latinæ & Græcæ magnam notitiam, philoſophicis ſtudiis operam dedit, & ad *Magiſtri* gradum evectus, *Profeſſionem Logicæ* in collegio Mareſchallano, in quo didicerat, ſumma cum laude adminiſtravit. Deinde vero *peregre abivit*, ſeque contulit in Pruſſiam & Poloniam, atque in Germania & Belgio Fœderato in Academias celebriores, Juliam, Heidelbergenſem & Lugdunenſem, & ex quin-

quennali itinere in Angliam reversus, a Præsulibus Academiæ Oxoniensis ad *Professionem linguæ Hebrææ*, in qua plane excellens erat, liberali pretio invitatus est, sed ob adversam valetudinem, non diu ibi potuit subsistere. Reduci in patriam Consul & Senatus Aberdoniensis, honoris ergo, jus municipale contulerunt. Inde constitutus fuit *Minister Ecclesiæ Alfordensis*, mox Aberdoniensis Ecclesiæ. Porro, impetratis *Theologiæ Doctoris* ornamentis ac privilegiis, *Professione Theologiæ*, nec non *Collegii Mareschallani Præfectura*, item *Decanatu* Facultatis Theologicæ, & dignitate *Rectoris Magnifici* functus est, & literarum studiis partam famam ædificiorum structura reddidit illustriorem: nam & *Collegii ædificium*, quod olim Franciscani tenuerant, & *fanum Francisci* pristino nitori restituit, atque illud insigni bibliotheca, cui sedem suam ædificaverat, exornavit. Certabant inter se illustres Scotiæ civitates, Aberdonia & Edenburgum, utra Forbesium sibi retineret: nam sicut *Edenburgenses* non destiterunt, donec eum ad se traherent, & provinciam ei Pastoralem imponerent, ita gratulati sibi sunt *Aberdonienses* de lætissimo ejusdem reditu, & iterata apud se officii sacri sparta. Sed non diu duravit hæc eorum felicitas. Nam cum Jacobus VI Rex, Edenburgum delatus, insignem desideraret audire concionatorem, & commendatum sibi audivisset Forbesium, tanto ejus captus fuit amore, ut primum eum benignissime juberet esse *Edenburgensium Episcopum*; sed quam inconstans sit mortalium conditio, suo Episcopus exemplo commonstravit; quandoquidem dignitatem istam non tenuit ultra tres menses, animam exhalans A. 1634. cum vixisset annos 49. Pauca scripsit, (scire enim malebat, quam scribere, & scripturienti cuidam, magnosque, ut putabat, labores ostentanti, lepide vereque dixit: *lege plura, & scribe pauciora*. Sicut & hoc dicterium ei frequens erat: *si plures fuissent Cassandri & Wicelii, non opus fuisset Luthero & Calvino*) imo hunc unicum controversiarum libellum: nam annotationes ejus ad Bellarmini tomos, & schedæ aliæ eruditissimæ, quibus Theologicæ controversiæ haud parum possent illustrari, hactenus nescio ubi delitescunt. Fuit episcopus Forbesius, ut ait auctor ejus vitæ, vir vere apostolicus, antiquitatis catholicæ callentissimus, qui nulli priorum ab ævo apostolico doctrina, sanctitate, humilitate, temperan-

perantia, modestia, gravitate, orationis & jejunii publici & privati frequentia, bonorum operum praxi, industria pauperum cura, clinicorum crebra visitatione & consolatione, & omni varia virtute Christiana, erat secundus. Scopus auctoris & primi editoris unus plane idemque fuit, nempe ut veritas in controversiis, de quibus hic agitur, viris doctis & præjudicio liberis clarius patefieret; deinde ut via hinc ad reconciliandos Christianos facilior se aperiret. Dum autem moderatum de nonnullis Pontificiorum controversiis ferebat judicium, & dignitatem episcopalem tuebatur, factum est, ut quidam eum Pontificiis favere, & ad eorum partes transire calumniarentur: quam tamen injuriam doctrina, statio, & mors auctoris abunde confutavit. Sed ut constet, quidnam in libro tractetur, capita ejus breviter recensebimus. Nimirum in eo agitur de communi fidei distinctione in 4 species: de natura fidei *justificantis:* an fides sola justificet? de causa formali justificationis: de imputatione justitiæ Christi: de justitia Dei nobis infusa: de certitudine gratiæ & justitiæ: de certitudine prædestinationis & finalis perseverantiæ, nec non amissione fidei & justitiæ: de inæqualitate justitiæ fidelium: de *bonorum operum* necessitate: De Christo legislatore: de possibilitate observandi legem: an omnia justorum opera, quantumvis bona, sint peccati labe aliqua maculata? de justificatione secunda, ex loco Jacobi cap. 2, 24: de *merito* bonorum operum: de fiducia in meritis, & intuitu mercedis æternæ in bene operando: de conditionibus meriti vitæ æternæ: de merito bonorum operum ex condigno: de *purgatorii* probatione ex sacra Scriptura, & ex Patribus: de orationibus pro demortuis: de *Angelorum & Sanctorum intercessione:* de Angelis custodibus: de Sanctorum intercessione: de Angelorum & Sanctorum invocatione: de religiosa invocatione Sanctorum: de compellatione Sanctorum: de abusibus invocationis Sanctorum: de *Christo mediatore:* an Christus sibi ipsi aliquid meruerit? de reali Christi præsentia in S. *Cœna:* de *transsubstantiationis* possibilitate: transsubstantiationem de fide non esse, imo cum Scripturis & Patribus vetustioribus pugnare: nec transsubstantiationem, nec consubstantiationem (sic falso appellat sententiam nostram de præsentia corporis Christi) hæresin esse: de orali man-

manducatione, etiam indignorum: de communione sub una, vel utraque: de consecratione, reserratione, & adoratione eucharistiæ: de circumgestatione panis eucharistici, & festo corporis Domini: de sacrificio missæ: an missa sit propitiatorium & impetratorium sacrificium, & quibus prosit? Quamvis autem non omnia, quæ Auctor affert, probari queant, magnam tamen ille multis controversiis lucem fœneratur, atque ad insigniores scriptores lectorem ducit. Cumprimis memorabilis est ejus sententia de S. Cœna, quam p. 374 hisce verbis exprimit: *Tutissima & rectissima videtur illorum Protestantium aliorumque sententia, qui corpus & sanguinem Christi* vere, realiter & substantialiter *in eucharistia adesse & sumi existimant, imo firmissime credunt, sed modo humano ingenio incomprehensibili, ac multo magis ineffabili, soli Deo noto, & in Scripturis nobis non revelato, non quidem corporali, & per oralem sumtionem*, (vide pag. eandem, ut & 376. 377. 378. 420.) sed neque etiam solo intellectu ac pura puta fide, sed alia ratione, *soli Deo, ut dictum est, cognita, illiusque omnipotentiæ relinquenda.* Ac præterea docet, male doceri a multis Protestantibus, *præsentiam & communicationem hanc Christi, per fidem effici; haud aliter communicantes in eucharistia comedere, quam Patres V. T. qui crediderunt in Christum; non aliter in sacramento esse Christi corpus, quam in verbi explicatione & auditu, atque res easdem esse, Christum in baptismo induere, & ipsius carnem ac sanguinem in cœna sumere; & Christum non esse realiter in eucharistia, quia sit in cœlo, loco circumscriptus &c.* Huic libro adjunxit Editor Reverendissimus Compendium Regulæ fidei catholicæ Veronianæ, propterea, quia in eo ostendatur, quæ sint, quæque non sint de fide Catholico-Romana; quo observato, multæ controversiæ cessare possint: quicquid enim non proponitur credendum, e. g. *bona opera esse meritoria de condigno*, id in utramque partem disputari, adeoque vel affirmari, vel negari posse. Concinnavit autem hoc Compendium Præsul quidam Ecclesiæ Romanæ, ex Regula fidei Catholicæ Francisci Veronii, non Constantini, qui fuit regicidii defensor, sed Parisiensis, ordinis Jesuitici, approbata a toto Clero Gallicano, imo & tacite a tota Ecclesia Romana, quia auctor non sui cerebri placita affert, sed Con-

Concilium Tridentinum pro norma habet, idque presse sequitur, atque adeo non agnoscit pro articulo fidei, quod ab illo pro tali non proponitur. Quod ipsa libelli contenta spectat, agitur in eo, post regulam fidei generalem, de meritis gratiæ & gloriæ, justificatione, satisfactione, indulgentiis, purgatorio & suffragiis pro defunctis, legum ecclesiasticarum obligatione in conscientia, invocatione sanctorum, imaginibus, reliquiis Sanctorum & earum veneratione, cultu & honore Sanctorum, Christi præsentia in eucharistia, transsubstantiatione, adoratione eucharistiæ, sacrificio missæ, communione sub una vel utraque specie, Papa ejusque primatu & auctoritate, & judice controversiarum. Hisce Epitomator addidit quædam, appendicis instar, ex Walenburchiis, de verbo Dei, verbo Dei scripto, consequentiis ex Scriptura deductis, verbo Dei non scripto, Ecclesia verbum Dei proponente, fide fidelium ante & post Concilium Tridentinum, propositione Ecclesiæ, articulis morum ab Ecclesia Catholica propositis, articulis credendorum necessariis, numero præceptorum fidei, assensu catholico & resolutione fidei, requisitis ad probandum articulum fidei, & fide implicita. Inprimis notabile est, quod p. 11 & 44 disseritur de immaculata conceptione B. Mariæ virginis, & lectione Bibliorum in vulgari idiomate; illam nempe non esse articulum fidei, & hujus prohibitionem non obstringere nisi eos, qui regulam Pontificis, in qua de lectione illa sermo est, receperunt.

IOANNIS BROEN MED. DOCT. & IN ACAD. Lugd. Prælectoris Publici Opera Medica.

Roterodami apud Bernard. Bos, 1703. 4. Constat Alphab. 2. plag. 6.

SUb Authoris hujus nomine duo hactenus circumlati sunt Tractatus, *de duplici Bile Veterum*, puta, atque *Animadversiones Theoretico-Practicæ in Henrici Regii Praxin Medicam.* Cujus post mortem tria adhuc scripta propria manu nitidissime consignata repererunt hæredes, *Medicinam* scilicet *Theoreticam*, *seu Oeconomiam Hominis*, *Exercitationes Theoretico-Practicas de Operationibus medicamentorum*, & *Compendium Chymicum*,

eum, eaque in præsens congesserunt opus, laborem ejus, quem in vivis susceperat, post mortem forsan profuturum sperantes.

In *Medicina* igitur *Theoretica* postquam Author Medicinam definiverat, quod sit scientia eorum, quæ in homine sano sunt aut fiunt, nec non ægroto esse aut fieri possunt; atque uberius dilucidaverat, cur eandem contra commune Doctorum dogma non artem, sed scientiam, imo non conjecturalem opinionem, sed certitudine evidenti subnixam esse statuerit, quatuor Medicinæ partes in definitione exhauriri docet, 1) scilicet Anatomiam sensualem, seu crassiorem, 2) Anatomiam Philosophicam seu insensualem, 3) Chirurgiam, & 4) Praxin, sub qua Chymia & Pharmacia comprehenditur. Dum itaque œconomiam hominis in specie tradit, docet insimul p. 16, dari omnino tubulos ventriculi lacteos, & p. 25 vasa lactea non omnia ad receptaculum commune tendere, sed alias plures in omnem dimensionem habere exspatiationes. Sanguinem vero cum chylo & lympha in corde rarefieri, saltemque non effervescere, p. 27 adstruit. Glandulam pinealem sensorium commune vocare, p. 52 nullus dubitat. Dum visionem p. 63 explicat, primarias colorum differentias a duplici generali motus globulorum cœlestium determinatione, nempe motu per lineam rectam & curvam derivat, ab illo colorem album, ab hoc rubrum exoriri putans. Copiosam denique urinam intra breve temporis spatium secerni, tam propter poros vesicæ vapores recipientes, quam propter glandulas vesicæ, urinam itidem scernentes, imo propter canaliculos ex ventriculo immediate ad renes & vesicam abeuntes, p. 98 credit; qua occasione pariter quædam de urinæ inspectionis certitudine, & incertitudine ac fallacia commemorat.

In *Exercitationibus Theoretico-Practicis de operationibus Medicamentorum* primum de alimento, medicamento, veneno & alimento medicamentoso in genere dum agit, omnia & alimenta & medicamenta & venena, non tantum ad hoc illudve animantium genus, verum etiam ad hanc illamve personam in specie, semper esse consideranda ut talia, id est, non generaliter, sed relative ad hæc esse respiciendum docet. Effectuum enim diversitas, quos simplicia præstant, deducenda est partim a diversitate constitutionis partium fluidarum & solidarum, in diversis homi-

minibus, vel a primordiis generationis, vel a consuetudine producta, partim a varia motus particularum determinatione, ex quibus simplicia constant. Per alimentum igitur omne illud intelligendum est, quod motum sanguinis & humorum, certis hominibus consuetum seu naturalem, notabiliter nec auget, nec minuit, sed idoneum est, quod staminibus partium solidarum apponatur, humoresque excretos sufficienti quantitate restauret. Medicamentum vero illud omne est vocandum, quod motum sanguinis & humorum, certis hominibus inconsuetum seu p. n. & morbosum, ad pristinum statum reducit, & impedimenta tollit, propter quæ vel distributiones sanguinis & humorum vel secretiones & excretiones male peragebantur. Veneni nomine indigitatur omne illud, quod vel motum sanguinis humorumque consuetum, secundum varios gradus, admodum auget vel imminuit, obstructionesque multas & pertinaces in partibus solidis gignit, vel fibrillas, vasaque partium erodit, inflammat, & gangræna vel sphacelo afficit, unde circulatio fluidorum vehementer impeditur, aut prorsus tollitur. Denique medicamentum alimentosum illud est, quod certo tempore motum sanguinis humorumque inconsuetum seu p. n. pristino restituit statui, & quod simul alia occasione staminibus appropriari, sufficientemque humorum copiam in locum deperditorum suppeditare potest. Ex quibus patet, nullam dari Panacæam, sed specifica omnino admittenda esse medicamenta, quæ quidem non ita accipienda sunt, quasi aliis partibus vel prodesse vel nocere non possint eadem, quam quibus sanandis commoda esse censentur, sed potius quatenus nonnullæ eorum particulæ præ cæteris huic vel alteri parti magis vel minus conducunt vel nocent. Quod autem specifica sic dicta in pauca dosi stupendos edant effectus, dependet partim a particularum subtilitate, earumque motus vivacitate & determinatione, partim a constantia & rigiditate particularum integrantium, vehementer æthere circumfluente pressarum & motarum. Adeoque monendi sunt Medici, ne tam facile deflectant a compositione specificorum, veteribus usitatorum, etiamsi videantur sæpenumero ingredientia sibi contraria, cum tamen inde resultet tertium quid, cujus usus est incomparabilis, secundum tritum illud:

Et quæ non possunt singula, juncta valent.

Ad rerum interiora & medicamentorum vires perscrutandas, non opus est ad principia sive Aristotelis, sive Galeni, sive Paracelsi, sive Helmontii refugere, quin observare potius deceat diversas particularum (ex quibus omnia sunt composita) magnitudines, figuras, rigiditates, flexibilitates, irregularitates, cohæsiones, adeoque varias determinationes motus: hinc enim facile explicabitur, quomodo peragatur vel divisio, seu attenuatio, vel condensatio, seu incrassatio, vel emollitio, dilutio, dilatatio &c. Qua similiter methodo singulas medicamentorum facultates seorsim examinat Noster, & explicat, materiam medicam insimul suppeditando, atque animadversiones in usum remediorum una cum formulis adjungendo. Denique in *Compendio Chymico* præcipua Chymiæ capita enucleat, & elegantiores simul ac utiliores processus communicat.

LUCÆ ANTONII PORTII OPUSCULA ET FRAgmenta varia. Excellentissimo viro CAROLO CARAFÆO Belvederii Principi &c. dicata.

Neapoli, ex officina Bulisoniana, 1701. in 12. plag. 19.

CUjus præclara in Philosophicis juxta & Medicis studiis apud Neapolitanos florent ac vigent merita, Viri Clarissimi, *Lucæ Antonii Portii*, opuscula & fragmenta optimo instituto typis jam evulgare, operæ duxit pretium *Antonius Bulifonius*. Fragmenta sunt, ut titulus indicat, ex lucubrationibus cathedræ publicæ dicatis, maximam partem nata. Unde etiam nullum in editione eorundem ordinem observare voluit, sed ea, qua publicata sunt serie, eadem nobiscum communicavit laudatus jam *Bulifonius*. Auspicium facit a dissertatione *de Tumoribus*: ubi diversitatem eorum non solum a variis corporis nostri humoribus, sed partibus solidis etiam, non exceptis minimis fibrillis, imo & aëris corpora nostra ambientis vitio, dependere existimat. In specie autem, quomodo fibrillarum vitio tumor generari queat, cancri occulti exemplo eleganter explicat: cujus initium parvam aliquam in fibris glandulosarum partium regionem, non tumidam,

dam, ſed depreſſam potius atque induratam, cutique tenaciter adhærentem fuiſſe, obſervavit ipſe, quale leve quidem initium, longo tempore poſt, circumpoſitarum partium excipere ſolet tumor atque corruptio. Non minus ab ejusmodi nodis in fibris partium p. n ortis tumores, quos Cyſticos appellare conſuevimus, naſci perſuaſus eſt, ita quidem, ut niſi nodi & radices ſolvantur, vel quocunque modo corrumpantur, iterum ac brevi quidem repullulare, atque in majorem ſuccreſcere molem ejusmodi tumores, ferro licet exciſi, ſoleant. Et cum aëris ætherisque non minus, atque humorum & partium ſolidarum vitio, tumores generari docuerit, exempli loco eryſipelas atque ambuſta proponit. Scilicet, cum in eryſipelate partis affectæ robur utplurimum extinguatur ad tempus, a mali vehementia, talem fere machinam, uti loquitur, ab aëre in hoc affectu induci. Partibus læſis exiſtimat, qualem in ellychnio flamma, qua mediante, quicquid olei in lucerna eſt, diſſipatur tandem atque abſumitur. Paradoxum autem videbitur Practicis noſtratibus, commendari hac occaſione pro remedio experto vitrioli ſolutionem, utpote quam in eryſipelate non minus, atque in ambuſtis, egregie convenire, expertus aſſerit Cl. Auctor. De cætero in cura tumorum, vias expedire; ampliata reſtringere, adſtricta ampliare; vitia quæcunque per ſpecifica corrigere, hæc ſi non ſufficiant, ferro & igne malum extirpare; nodos ſolvere; ubi aëris vitium faceſſat negotium, mutatione facta, novam particularum organizationem inducere, neceſſum eſſe exiſtimat. Alterum hujus libri opuſculum, cui *Ægritudinum ſpecimina quædam* titulus, diſcurſus pathologicus eſt ad hypotheſin Auctoris concinnatus. Occurrunt in hoc non pauca notatu digna, præſertim, ubi de morbis animi vel mentis, corruptaque phantaſia diſſerit, e. g. de muliere quadam valetudinaria, quæ poſt feliciter enixum puerulum, alterum adhuc in utero ſe geſtare credidit, perſuaſa hoc ex ventre tenſo ac duro, in quo rotundum quid, infantis capiti ſimile, percipiebat etiam. Cum hac animi ſui ſententia vixit 14 menſes, tandem fato ceſſit; diſſecto cadavere repertum eſt hepar tumidum ac durum usque ad ſiniſtrum latus excreviſſe; lien erat etiam immanis magnitudinis, rotundus, & parte quadam hepatis lobo coalitus.

litus. Alius graphice locum designavit in ventre, ubi viventem ranam se habere constanter affirmavit, cujus vocem aliquando sentiret, quamve in aquis, si quas potasset, natare, allio debilitari & conquiescere, atque in vomendi conatu ad gulam fere ascendere perciperet: post duos annos, mortuo homine tabe confecto, pro rana repertus est scirrhus varicibus insignitus pyloro adnatus, quam regionem vivens ostendebat, cum de hospite rana philosophabatur querulus. Quæ sequuntur fragmenta *Lectionum in concursu ad cathedram*, duæque *ad D. Didacum Vincentium a Vidania Epistolæ*, sunt commentationes atque interpretationes in Galeni textus, ubi e. g. ventilatur, *quid Putredo, quid Pestis Galeno sit*; *qui principes, qui minores Calores eidem &c.* quorum contenta prolixius huc referre non attinet. Sufficiat Cl. Auctoris de Galeno judicium compendiose hic annotasse: *ejus voluminibus bibliothecam contineri omnigena eruditione refertam, in qua tamen multa sint inania prorsus atque inutilia: de cetero ejus industria nos habere fere omnia, quæ ab antiquioribus de re Medica cognita fuerunt.*

De Confectione ciborum in ventriculo, eorundemque ulteriori in intestinis elaboratione, magis libere, missis veterum interpretationibus, philosophatur Cl. Auctor, ita ut clara ratione demonstret, cibos in ventriculo non calore, aliave nuda qualitate comminui, neque acido duntaxat succo dissolvi, sed plura ac varia in diversis officinis, maximo naturæ studio elaborata, concurrere quæ ciborum confectioni prodesse possint: salivam fermento similem, æthereamque respiratione admissam substantiam, primo loco in hac functione ponit, deinde ad ipsam ventriculi constructionem, eique proxima viscera, quorum compressione & fotu ciborum confectionem juvari egregie certum est, provocat. Et ad hunc modum comminui, subigi, attenuari, solvi, atque in pultem substantiasque functionibus vitæ utiles converti alimenta stomacho ingesta, docet. Elapsum a ventriculo chylum in duodeno non solum bile & succo pancreatico dilui, & liquidiorem fieri; verum etiam, modo hæc nullo laborent vitio, leni effervescentia attenuari, utileque ab inutili separari, novique aliquid concipi, asserit. Præterea verisimile ipsi videtur, a glandulis mesenterii

ſenterii ac ventris inferioris alios ductus ad inteſtina derivari, liquorem quendam in cavitatem eorum eructantes. Et mucoſitas illa, qua intrinſecus inteſtina lævia ſunt & lubrica, ad mentem *Noſtri*, ab ipſa inteſtinorum ſubſtantia, per poros & meatus hucusque incognitos, effunditur. Cumque cutis vapores & ſudores ſæpe fundat copioſiſſimos, ab inteſtinis etiam vapores & ſudori ſimile quid in eorundem cavitatem inſtillari non dubitat. *De Cauſis, quibus cibus & potus male conficiuntur, iisque cognoſcendis ac diſtinguendis* agens, in generalibus ſolum ſubſiſtit Cl. Auctor. Agit poſthæc *de iis, quæ cibi & potus abſtinentiam*, item, *quæ immodicam ex cibo potuque repletionem conſequuntur: quæ conveniant ebriis, & illis, qui malis fungis, vel pingui cænoſa anguilla, aut mugili e lacubus paſti ſunt.* Ex fragmentis illis *de Abſceſſu & mala ciborum confectione ſalivæ vitio*, quæ ultimo Libri loco inveniuntur, nihil attinet huc referre, cum ab his, quæ ſupra de Tumoribus & ciborum confectione dicta ſunt, parum differant.

IL CORPO-UMANO &c.

i. e.

CORPUS HUMANUM, VEL BREVIS HISTORIA, in qua, nova & ſuccincta methodo, omnia ejus organa & functiones principales deſcribuntur. Auctore ALEXANDRO PASCOLI, Peruſino, in Univerſitate patria Medicinæ Profeſſore & Lectore Publico.

Peruſiæ, typis Conſtantini, anno Jubilæo 1700, in 4. Conſtat alph. 2, & 20 tab. æneis.

HUmani corporis Anatomen qui alias tradere ſolent Auctores, tali fere procedunt methodo, ut cultri Anatomici veſtigia legentes, a peripheria corporis ad interiora usque penetrantes, ſigillatim explicent partes illas omnes, quæ ſucceſſive inter ſecandum ſe manifeſtare ſolent. Cum autem, obſervato ejusmodi ordine, non parum difficultatis emergat tyroni, qui hac ratione, ab ignotis ad notiora ducitur, dum e. g. in deſcriptione cutis, nervorum, arteriarum, venarum, in aliis partibus, tendinis, mem-

membranæ, ligamenti &c. offendit nomina: maxime laudabili instituto Clarissimus præsentis systematis Anatomici Auctor, *Dn. Alexander Pascoli*, eo ordine corporis nostri describit organa, ut abstrusioribus & magis compositis notionibus præmittat simpliciores & in vulgum notas.

Totum igitur tractatum in duos dispescit libros, quorum primus succincte proponit ipsa organa, alter vero omnes eorum functiones.

Explicando in priori, ut dictum, machinæ hujus animatæ organa, notitiam eorundem præmittit generalem; quo facto in specie Osteologiam proponit, atque hinc progreditur ad singulorum viscerum corporis humani descriptionem, cordis, cerebri, stomachi cæterorumque, usque dum ultimo loco organa generationi & sensibus dicata examinat. In explicatione functionum, quod secundi libri objectum est, de motu fluidorum primo tractat, hinc pergit ad explicationem sensuum, atque alterationum ab objectis sensibilibus in organis sensitivis excitatarum; hanc excipit de generatione viviparorum historia, atque in fine adjectæ sunt annotationes antecedentia de functionibus organorum illustrantes. Et cum Myologiæ studium utplurimum valde tædiosum esse soleat incipientibus, sufficienti organorum & functionum notitia haud instructis, appendicis & ultimo loco hanc Anatomes partem ponere ratus est, nihil in ea prætermittens, quod ad perfectam musculorum notitiam requiritur. In toto autem opere hoc Anatomico præstantissimorum Auctorum legit vestigia, atque in specie, uti ipse in præfatione fatetur, *Th. Bartholini*, *Isbrandi Diemerbroeck*, *Stephani Blancardi*, *Raymundi Vieussens* &c. ex quibus etiam figuras, pro majori illustratione operi huic adjectas, maximam partem mutuatus est. Quas de functionibus partium, sensibus & generationis negotio fovet hypotheses, ad mentem excellentissimorum Philosophorum, *Borelli* puta, *Redi*, *Marci Malpighii* & *Bellini* concinnatæ sunt.

* * * * * * * * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Octobris, Anno M DCCIV.

REPONSE AUX QUESTIONS, D' UN PROVINCIAL.

h. e.

RESPONSIO AD QUÆSITA CUJUSDAM PROVINCIALIS.

Roterodami apud Reinerium Leers, 1704. in 12.
Conſtat Alphab. 1. plag. 5.

HAud facilius ex ungue leonem agnoveris, quam ex hoc elegantiſſimo libello Autorem ejus πολυμαθέςατον Celeberrimum Belgii Varronem Bælium. Sive enim jucundam optimarum rerum varietatem, ſive ſolidiſſimarum probationum delectum, ſive denique ingenuam ratiocinandi artem & interſperſos liberaliter ſales paululum reſpicias, idem certe ſe prodiderit opifex, qui Dictionarium Hiſtorico-Criticum, adplaudente univerſo literatorum orbe, in lucem emiſit. Manipulus autem hicce reſponſionum, quas ad amici cujusdam procul ab urbano ſtrepitu degentis quæſita & dubia ſe maturaſſe fingit, ſexaginta ſeptem capitibus abſolvitur. Ex iis dum notabiliora quædam excerpere ſtatuimus, idem nobis evenit, quod in Magnorum Principum Cimeliarchia admiſſis accidere ſolet, ut circumfuſi nimio præcellentium rerum agmine hæreant, quid primo, quidve ſecundo aut tertio contemplari oporteat. Jacienda tamen erit alea, & B. L. deſiderium quali quali opella noſtra vel leniendum, vel incitandum. Poſtquam igitur in duobus capitibus urbanæ vitæ pretium ſuum adjudicavit Nobiliſſ. Autor, Pſeudony- Cap. III.

donymum ſcriptorem Cornelium Callidium Chryſopolitanum inducit, qui inclinante ſeculo XVI vixit, verumque nomen Cornelii Loos, patriam vero Goudam, (quod *aurum* lingua Belgica ſonat, uti *Loos* vafrum atque callidum denotat,) Hollandiæ urbem præcipuam habuit, Canonicatu ibidem fruens, cujus ingruente bello jacturam facere, ſolumque mutare coactus fuit. De ingenio ejus ſcriptisque obiter ſolum, atque ad Gesneri Bibliothecam ſubinde ſe referens loquitur; amplior eſt circa librum, de vera & falſa Magia inſcriptum, quem Looſius irriſor incantationum, pactorum Diabolicorum, & quæ de choreis ſagarum nocturnis vulgo circumferuntur, congeſſerat, & jam Colonienſi Bibliopolæ ejus imprimendi curam demandaverat. Reſciviſſe ſcilicet iſtud Nuncium Apoſtolicum, qui Looſium in Monaſterio S. Maximini prope Treviros prehenſum, in cuſtodia tam diu detinuit, donec d. 15 Mart. A. 1592 errores ſuos ſolenniter ac diris ſub imprecationibus recantaret. Inſtrumentum hujus palinodiæ conſervavit Martini del Rio ſollicitudo, qui veritus, ne tandem cacodæmon aliquis Looſii librum in publicam protraheret auram, illud Disquiſitionum Magicarum Tomo II inſeruit, ut antidoti loco eſſet. Pulſus ſic miſer Treviris, Bruxellas pervenit, ubi Vicarii munus in Eccleſia B. Virginis ſuſtinuit; at ſuperioris denuo hæreſis poſtulatus, in diuturnos carceris incidit ſqualores, quos equidem evaſit, tertiam tamen accuſationem ſibi imminere ſenſit, cum circa A. 1597 vitæ ſtationem relinqueret. In Cap. V prædictiones a Joh. Carione in Chronico ſuo L. III adductas, tum ipſius quoque Carionis epilogum, de proxime inſtante mundi interitu, temeritatis redarguit, ſimulque recentiores nonnullas hujus farinæ impoſturas allegat. De fide Hæreticis non ſervanda, num ullum Concilium quicquam definiverit, ambiguum eſſe ait. Inter Pontificios quidem Doctores plures, maximam partem Jureconſultos, eam foviſſe ſententiam, Theologos e contra illam repudiaſſe, ceu ex Roſweido & Schulteſio peculiaribus libris hanc quæſtionem ventilantibus pateſceret. Cæterum advertere jubet eos, qui Principi aut Magiſtratui fas non eſſe contendunt, ut Hæreticis liberum Religionis uſum indulgeat, eundemque ſecus facientem maledictionem atque iram Dei ſibi ſuisque accelerare volunt, ne indi-

C. VIII. & IX.

indirecto monstrosam opinionem adstructum eant, quam directis verbis amplecti reformidabant. Sub nomine Fabricii Campolini, C. XIV.
Autoris discursus Gallici, de animorum dissensione inter quasdam nationes, præsertim Gallicam & Hispanicam, Mothæum Vayerium latitare innuit, qui tamen scrinia compilaverit Caroli Garsiæ Hispani, cujus libellus ejusdem fere argumenti, tempore matrimonii, inter Ludovicum XIII atque Infantem Hispanicam contracti apparuit, quem sane æquiorem deprehendas erga Gallos, quam Vayerium erga Hispanos. Porro amicum suum in- G. XVI.
struit Noster de genuino sensu verborum Bailleti, qui Martinum del Rio, post plurima scripta vulgata, post summos magistratus honores obitos, Jesuitarum scholas frequentasse, ac rudimenta scientiarum inaudito humilitatis exemplo didicisse affirmavit. Nimirum non existimandum fore, ac si incunabula literarum demum imbiberit, sed quod Superiorum jussu, Cursum Philosophicum denuo inchoare, ejusque absolvendi causa, triennium integrum, una cum aliis adolescentibus, in publico ludo versari debuerit, quo Jesuitarum scholis majore cum successu præfici posset. Explevisse quoque eum Doctoris partes Duaci, Leodii, Lovanii, Salmanticæ, Gracii, ex Alegambio & Valerio Andrea testatur, animam vero exhalasse d. 19 Oct. 1608, vitæque suæ scriptorem sortitum Nicolaum Surium Flandrum. Inde tractatus ejus duos posthumos & pseudonymos indicat, quorum alter titulo gaudet: *Peniculus foriarum elenchi Scaligeriani pro Societate Jesu, Maldonato, Delrio. Auctore Liberio Sanga Verino Cantabro ad Carolum Bonarscium Belgam.* Alter vero inscriptionem præ se fert: *Commentarius rerum in Belgio gestarum a Petro Henriquez Comite Fontano,* addito *Tractatu de Tumultibus Belgicis, auctore Rolando Miriteo Onatino.* E tot vero Delrii operibus, hederam tantum suspendit Adversariis ejus in Senecæ Tragœdias, quæ anno ætatis XIX concinnavit, idque propter eruditionem inibi collectam; Disquisitiones autem Magicas commendat ob multifarias narrationes, quæ de fascino & strigarum præstigiis unquam innotuerunt. Ridet imprudentiam cujusdam Anonymi, qui C. XIX.
Montes Hannoniæ A. 1691 ideo a Rege Galliarum obsessos atque expugnatos, edito scripto asseveravit, quod Novum Testamen-

tum, lingua vulgari donatum, ibidem ſub prelo maduerit, cum tamen ſatis conſtet, Pariſienſium typis illud fuiſſe deſcriptum. Au-
C. XXVI. torem libri: *Meditations ſur la Metaphyſique, par Guillaume Wander*, Pariſiis A. 1678 impreſſi, venditat Abbatem de Lanion,
C. XXIX Academiæ Regiæ Scientiarum Socium. Lectu non ingrata ſunt, quæ de Abbate Cotino, fœminis primi ordinis in Aula Gallica olim charo affert, quem ingenioſa Molierii ſatyra de ſumma exi-
C. XXX. ſtimatione ad ſibilos ludibriaque omnium relegavit. Hinc Philippum II Galliæ Regem Auguſti cognomen, non in vita ſua, nec a Paulo Æmylio, ſed poſt obitum demum, a Rigordo tamen ac Gulielmo de Nangis, Hiſtoricis perquam celebribus, jam tuliſſe
C. XXXI. declarat. Franciſco Ramos del Manſano, Juriſconſulto Hiſpaniæ excellentiſſimo, plurimas tribuit laudes, eumque anno ætatis XVIII in Salmanticenſi Academia Profeſſionem Juridicam non modo obtinuiſſe, verum etiam ad ſplendidiſſima Conſiliorum Regiorum munia brevi adſcendiſſe perhibet. Illum ipſum quoque eſſe, qui tractatibus Pacis Pyreneæ ante Batevillium ſubſcripſerit, & Prætenſionem Mariæ Thereſiæ Galliarum Reginæ in Brabantiam calamo fortiter retuderit. Filium habuit Johannem Franciſcum, quem nonnemo *paternæ eruditionis ſpi-*
C. XXXIII. *rantem* appellat *imaginem*. Longius jam immorari videas Noſtrum argumento de Magia, quippe quod duodecim capitibus eleganter pertexit. Primo autem loco exempla nonnulla fœminarum in medium profert, quæ a Cacodæmone ſe obſeſſas aliquandiu mentitæ, pœnas tandem detecta fraude luerunt; ubi Bodini ſupinam credulitatem reprehendit, qui in Dæmonomania pag. 164 non verecundatus eſt, pro vera obtrudere hiſtoriam Romanam, cujus tamen falſitas diu ante librum ejus excuſum omni-
C. XXXIV. bus innotuit. Interea non promiſcue fidem narrationibus hujusmodi derogandam monet, cum Sacra pagina Diabolicam obſeſſionem in dubium amplius vocare haud ſinat. Ipſemet vero perſuaſiſſimus eſt, ſolius depravatæ imaginationis morbo effici poſſe imaginarios obſeſſos, ita ut ſubornatione aliqua aut malitia minime ſit opus. Sic contingere ſane poſſe, ut fœminæ timidioris forte pectoris, vel præjudicio laborantes, de ſagarum atque incantatorum poteſtate, ſtatim ut viderunt, illos in conſpectu ſuo neſcio

ſcio quid verborum murmuraſſe, aliaque glaucomata adhibuiſſe, ſe malo Spiritu occupari ſerio credant, prorumpant in varias actiones & geſtus familiares ejusmodi perſonis, ululent, ſaltent, & ſic porro. Myſticis etiam contemplationibus nimis affixas, & Moniales, quæ libris de tentationibus atque apparitionibus conſcriptis multum temporis impendunt, obnoxias fieri poſſe huic malo, ceu exemplo Angelæ de Foligno, cujus mentio apud Martinum del Rio l. 2. Diſquiſ. Magic. planiſſime commonſtrat. Fac autem, ſupervenire aliquem autoritate præſtantem, qui facundia ſua imaginationem domare ſciat, videbis profecto, eas ad ſanam mentem ſenſim reduci. Quod ut clarius pateat, maritos aliquot in ſcenam producit, qui faſcino impotentes ſe redditos perſuaſi, non valuerunt diu debitum conjugale exſolvere, donec ejusdem imaginationis virtute, nulloque alio remedio intercedente, maſculum receperunt vigorem. Amico vero ſciſcitanti, quanam pœna mulctare oporteat, qui incantationibus ita dictis in perniciem aliorum utantur, diſtinctius reſpondet, ita ut ſceleratos ejusmodi in tres claſſes compingat. Eſſe videlicet alios veros magos, alios imaginarios ſolum, alios nihil fidei præſtigiis iſtis adjicere. Quod veros magos attinet, quique expreſſo ſe pacto Satanæ tradiderunt, ut ejus auxilio peſſimi deſiderii ſui fiant compotes, illos ipſo facto ultimum incurriſſe ſupplicium pronunciat, cum omnes malitiæ numeros excedant, qui abnegato Deo, cui tanquam Creatori rerum omnium & corpus & animam ſe debere ſciunt, Satanam ejus & generis humani hoſtem veſano impetu ſectantur. Illos vero, qui nullum contractum cum Diabolo iniere, cum eo tamen paciſci, inque militiam ejus tranſire conati ſunt, ut licet deluſi a quodam panurgo, falſa alantur opinione, ſe adſtitiſſe ſacris nocturnis, jam ſibi integrum eſſe nocere hominibus, beſtiis &c. nihilominus pœnam mereri capitalem, cum furia agitentur nefanda, ac deteſtabili operi proxime ſe accingant. Si regeras, hujusmodi farinæ homines, qui lamiarum tripudiis ſe interfuiſſe garriunt, dementium cenſu habendos, atque ad Medicorum ſudatoria potius, quam ad tribunalia ablegandos eſſe: tum ita ſentit Noſter, ut judicio ægrotantes, maniaci aut viſionarii carcere includantur, donec reſipiſcant; qui vero recto rationis uſu nequicquam abſimiles ſunt aliis mor- C. XXXV.

mortalibus, creduntque firmiter, ſe commercium cum Satana exercere, quin & in votis habent illud longius continuare, vel ut deſertores & blaſphematores divini Numinis puniantur. Accedere enim, quod tales ad demerendam Orci gratiam nibil melius ſibi proficere autument, quam ſi veneno paſcua inficiant, amicis toxica propinent, infantum abortus procurent, morbos ac contagia immittant, milleque alia hujus generis atrocia perpetrent. Cum ergo publico vivant terrori, referre ſane tranquillitatis civilis, ut carcinomata illa quantocyus extirpentur. Urgenti forte: ineptias communiter adhiberi in veneficiis iſtis, resque nullius efficaciæ; replicat Noſter: ſufficere utique, ſi imaginarii iſti præſtigiatores opinentur, poſſe taliusmodi quisquiliis mortem vel damnum inferri, quin & e quotidiana ſciant experientia, qualia ſecum mala imbecillitas atque error popularis ferre ſoleat. Quod denique illos concernit, qui magiam quidem fabulis accenſent, carminibus autem & faſcinis aliorum interitum moliuntur, neque eos a crimine vacare oſtendit. Nihil enim intereſſe, ſive ferro aut veneno alterum perimas, ſive rebus caſſis te armes, ea ſub intentione, ut alteri vitam extorqueas. Quodſi ergo ſceleſtum propoſitum triſtem poſt ſe trahat operationem, homicidii reatum nullo ſubterfugio declinaveris. Aliud dicendum putat, ſi quis jocandi animo alteri, quem confidentiorem exiſtimavit, quam ut verbis ſe moveri patiatur, faſcinum minatus ſit; ubi ſi præter ſpem adverſi quid eveniret, inconſiderantiæ ſolummodo nota tali impingi poſſet. Quare verbis tantopere ſe jam olim adſtrinxerint venefici, in Cap. XXXVI explicat, cauſam accerſens a ſolemnibus cærimoniis, ad ſacrificia peragenda apud Gentiles excogitatis, ſiquidem teſtante Plinio Lib. XXVIII C. 2. Hiſtor. Nat. in hoſtiis feriendis ſcrupuloſe iis ſatis advertere moris erat, ne in precationibus quid verborum præteriretur, aut præpoſterum diceretur; ſecus nihil plane actum eſſe arbitrabantur. Cum itaque Magi infernalium Deorum auxilio opus quam maxime haberent, verbis etiam ſtatis & conceptis eos ſibi propitiare ſtudebant.

C. XXXVII & XXXVIII. Multus eſt in enarranda antiquitate & progreſſu Magiæ, quem in finem innumera fere exempla e probatis Autoribus conquirit, unde patere queat, Magiam non fuiſſe prohibitam, aut a fece po-

puli

puli solum deamatam, sed Magistratuum, Principum ac Philosophorum suffragio & cultura munitam. Quin nec succedente Christianismo, qui tamen Oraculis silentium imposuit, Magiam detrimenti quicquam sensisse, sed profundiores radices egisse; alias ignorarentur tot legum plaustra incantatores stringentium, ignorarentur choreæ illæ nocturnæ Ethnicis incognitæ, in quibus abominandum spurcitiei genus committi passim creditur. Nullibi autem augustiorem sedem stabilivisse Magiam, quam in Norvagia, Lapponia, Islandia, aliisque regionibus Borealibus. Si verum, quod Autor vitæ Doctoris Fausti refert, Cracovia Poloniæ insignem olim scholam Magicam aluit, haud secus ac Saraceni suo ævo Hispali, Toleti ac Salmanticæ Dardanias artes publice docuerunt. Circa processum contra sagas formandum, Malebranchii sententiam amplecti videtur, qui illas non indistinctim pœna affici, sed contemtu excipi debere monet, quandoquidem ista methodus omnium sit commodissima, ad restituendum sanæ menti tot imaginarias veneficas, dum commenta sua explodi cernent, ac meticulosorum numerum decrescere. Provocat hac occasione ad Hollandiam, in qua neminem incantationibus fidem præbere, neminem quoque magiæ suspicione onerari invenias, cum e contra in iis provinciis, ubi lamiarum supplicia frequentantur, & rogi crebrius fumant, strigarum examen multiplicetur. Ad minimum perquam caute in inquisitione progrediendum esse suadet, probationes fallaces eliminandas, abrogandas insimul confiscationes bonorum, quibus interdum tum delatores tum judices inhiare solent. Hujus rei intuitu, Congregationem de propaganda incredulitate perutilem fore jocatur in Germania, ut Missionariis probis & sagacibus judiciorum defectus corrigerentur. Porro Magiam apud Ethnicos nulla pœna coercitam fuisse, nisi quatenus noxam intulisset hominibus aut bestiis, pluribus demonstrat. Difficillime etiam tunc temporis actum magicum ab actu religioso prima fronte discreveris, uti e sacrificio Deæ Tacitæ apud Ovid. Lib. 2. Fastor. conjicere licet. E scopo tantum solemnia illa dijudicari debuisse, cumque detexerint magistratus, celebrari nonnulla sacra, quæ animalibus, plantis, imo & hominibus exitium accelerarent, quæ ad nefarias impellerent libidines, aut

C. XXXIX.

C. XL.

aut mentem plane averterent, supplicio illa expianda sanxerunt. Quæ vero terras fertilitate, milites animo ac robore, aerem salubritate, Remque publicam alio emolumento donare potuerunt, illa sine dubio permissa, nullique pœnæ subjecta fuisse dixeris. Testis vicem præstet L. 4. C. de Malef. & Mathemat. in qua Imper. Constantinus quantumvis Christianus diserte edicit: *nullis criminationibus implicanda esse remedia humanis quæsita corporibus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis grandinisque agitatione quaterentur, quibus non cujusquam salus aut æstimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne divina munera & labores hominum sternerentur.* Sagæ proinde nomen licet Romani in opprobrio habuerint, mulierculas tamen sagarum charactere insignes idcirco non punire, nisi quousque a malis inferendis sibi non temperarent. Hinc Martinam, quæ a Tacito Annal. l. 3. c. 7 ut veneficiis famosa notatur, propter venenum Germanico propinatum & susurris magicis infectum, supplicio destinatam fuisse legimus; quemadmodum jam A. U. 422 centum & septuaginta fœminæ ob magicam scientiam & venena mixta, narrante Livio L. VIII, capitalem sententiam subierunt.

C. XLI. Pergit deinde ad objectiones aliquot formandas ab amico, quasi apud Ægyptios & Græcos magia equidem crimini fuerit habita, neutiquam vero apud Romanos, dubiaque ita resolvit, ut discrimen statuat inter magiam vulgarem seu pernitiosam, & sublimem illam quæ futura rimatur, hominumque utilitatem promovet; hanc nullo modo impietati apud prædictas gentes cessisse, bene tamen alteram.

C. XLII. De cætero Poëtarum licentiam increpat, qui Deos Deasque ad magicos actus atque incantationes confugisse, & Lucinam crurum ac digitorum junctione Alcmenæ partum septem dies continuos impedivisse, Meleagri fata e stipite in ignem conjecto pependisse, Junonem mutuato Veneris cingulo sui amorem in marito Jove resuscitasse, aliaque hujus generis indecora fabulari non erubuerunt. De imagunculis cereis, quarum mentio extat apud Ovidium in Epistola Hypsipyles ad Jasonem, dum incidenter agit Celeberrimus Autor, audacissimum Ligistarum facinus in Gallia tempore Heinrici III R. susceptum simul comme-

memorat, qui simulacra Regem referentia e cera effinxerunt, eademque inter XL Missarum solemnia, quæ per totidem horas Lutetiæ in Ecclesiis parochialibus cantari fecerant, altaribus imponentes, acu pupugerunt, & quidem in quadragesima Missa in regione cordis, sperantes Regem sic enecari posse.

Ad alia jam conversus Noster, ex indicio amici cujusdam, Apotheosin Octaviæ Melchiorri viduæ Recinetensis describit, quam Dominicani istius urbis Monachi A. 1700 d. 17 Oct. propter legatum septem mille thalerorum sibi relictum, ritu plane singulari consecrarunt, imaginem ejus ante altare magnum in mensa collocantes, & suffitu thuribuli, cereisque accensis honorantes. C. XLV.

Minime vulgaria æstimanda sunt, quæ occasione Mercurii Gallici adducit. Constare scilicet hunc librum XXV tomis, & incipere A. 1605, desinere autem in A. 1644. Primum ejus compilatorem fuisse Johannem Richerium bibliopolam, cui tamen inventi tituli laudem non debeas, eo quod sub exitum seculi XVI, duo Mercurii Gallo-Belgici prodierint, quorum alter D. M. Jansonium, Doccomensem Frisium, alter Gotardum Artusium parentem habeat. Interim non inficiatur, post Richerii Mercurium plures alios, nimirum Mercurium Jesuiticum autore Jacobo Godofredo A. 1631, Mercurium Helveticum autore Friderico Spanhemio A. 1634, Mercurium Lusitanicum autore Dn. de Grenallie A. 1643, lucem adspexisse. Bailletum certe affirmare, Mercurium Gallicum triginta fere alios sibi similes peperisse. Missa hic facimus, quæ de Mercuriorum & Novellarum autoritate probandi, & num ab Historico gravi in testimonium advocari mereatur, distincte satis edisserit, concludens melius esse, ut Lectori consulatur libro ubivis obvio citato, quam vanitati Scriptoris ad libros rariores & MSta tantum provocantis. Tum paucis interjectis, panem fermentatum, quem Protestantes in pago Bernensi ad celebrationem Sacræ Cœnæ jam adhibent, primitus fuisse receptum docet A. 1606, die Nativitatis Christi, cum antea pane azymo inter duas laminas ferreas cocto uterentur. Amicum deinde, qui prava versione Sanderi Historiæ de Schismate Anglicano, a Maucroix quodam adornatâ, seductus Harpsfeldii librum *Corpus* inscriptum in tabernis librariis frustra quæsierat, in viam reducit, de origine erroris eum penitius instruens. Sanderus C. XLVI. C. XLII. C. L. C. LII.

etenim scripserat, Nicolaum Harpesfeldum in carcere egregium opus contra Magdeburgenses *Copi* nomine editum publicasse; quod Maucroix ita vertit: *Nicolas Harpesfeld etant en prison composa contre les Centuriateurs de Magdebourg un excellent livre intitule* Corpus. Jam autem satis constare, quod modo dictus Nicolaus Harpsfeld, Archi-Diaconus Cantuariensis, Suprematui Elisabethæ Reginæ subscribere nolens, carceri fuerit traditus A. 1566, ibidemque sex Dialogos contra summi Pontificatus, Monasticæ vitæ, Sanctorum, sacrarum imaginum oppugnatores & pseudomartyres &c. elaboraverit, quos ne rebus suis noceret, ad amicum suum Alanum Copum in Belgio degentem evulgandos curavit. Hic equidem nomen suum titulo adposuit, in calce vero libri majores hasce literas addidit: A. H. L. N. H. E. V. E. A. C. quarum significatio: *Auctor hujus libri Nicolaus Harpesfeldus: edidit vero eum*
C. LIII. *Alanus Copus.* Nec minus Clarissimi Dupinii hallucinationem in Biblioth. Eccles. T. IX p. 200 edit. Belg. observat, Harmenopulo Dictionarium Juris Civilis, quod Joh. Mercerus Latino ornatu donasset, attribuentis; cum tamen Prochiron seu Manuale legum nominare debuisset. Etiamsi enim tale Harmenopuli Dictionarium, teste Lambecio, in Vindobonensi Bibliotheca adhuc delitesceret, id excusare Dupinium haud posse, utpote quod nunquam excusum, multo minus in Latinam linguam translatum apparuerit. Vix etiam accuratioris Chronologiæ regulis eum satisfacere, quando Harmenopulum eo tempore, quo Bogomilorum secta innotuerit, floruisse tradit; siquidem certum sit, istam hæresin sub Alexio Comneno, A. 1080 summam rerum adepto, se exserere cœpis-
C. LIV. se. Jam magicarum narrationum filum recipit Eruditissimus Autor, & prudentiæ Catharinæ Mediceæ parum convenire autumat fabulam, quam Anonymus in libello: *L' Art d' assassiner les Rois enseignè par les Jesuites* &c. primus divulgavit, quod scilicet memorata Regina numisma æreum oblongum, chalybea inclusum arcula, Mesmio familiari suo, sub jurata silentii fide asservandum dederit, in quo ipsa supplicis habitu, mediaque inter tres filios Carolum, Heinricum atque Alensonii Ducem, Diabolo terribili specie exsculpto ac throno insidenti genubus advoluta conspiceretur, cum inscriptione Gallica: *Soit, pourveu que je regne,*
h. e.

h. e. *Sit ita, modo ego regnem.* Iſtam, inquam, recenſionem calculo ſuo adprobare renuit, non quaſi pietati Catharinæ, ſuperſtitionibus magicis effliƈtim deditæ, repugnet, aut quaſi factum ſit nimis abominandum vel plane impoſſibile, ſed quod credere nequeat, Mediceam tam ſocordis fuiſſe animi, ut poſt Meſmii exceſſum, qui A. 1569 contigit, pyxidem illam ab heredibus ejus ſibi reddi non poſtulaverit, cum tamen ipſa A. 1589 demum vivendi finem fecerit. Mezeraium in Compend. Chronol. T. V p. C. LV. 185 taxat propterea, quod Eſchellium, presbyterum magum, ad capitale ſupplicium raptum fuiſſe aſſeruit. Neque enim presbyteri dignitatem ipſi, nec nomen, quod fuit Troiſeſchelles, competere, neque etiam mortis ſententiam eum ſubiiſſe adfirmat. Bodinum pariter titubanti valde gradu in Demonomania incedere, & magi iſtius accuſationem, modo ad tempus R. Caroli IX, modo Heinrici III referre, modo tria centena millia magorum, modo centum millia ſolum, juxta effatum ejus, in Gallia admittere oſtendit. Arrepta ſic occaſione, velut in parentheſi meminit, quod licet Julii III Pontificis ætate, quadraginta millia meretricum tributum annuum pendentium, Romæ numerata fuerint, proximo tamen anno Jubilari, e 146590 incolis Urbis, meretricum numerus ad quingentas triginta duas ſolum excreverit, haud obſcuro indicio, ut lepide colligit, mundum non in omnibus, ceu in proverbio eſt, in deteriora mutari. Sub finem horum diſcurſuum varia adhuc, Cap. LVIII. quæ Antonius de la Sale, Vigenerius, del Rio, Leander Alberti, Palingenius, Æneasque Sylvius, de Sibylla famoſa, ſpecum infinitæ altitudinis in Nurſinis montibus inhabitante, advenasque Magiam docente conſignarunt, curioſe anneƈtit. Ad alia rurſus de- C. LX. lapſus, cauſam Gebhardi Truchſeſſii Archi-Epiſcopi Colonienſis, qui utut Reformatæ Religioni addictus atque uxoratus, Archi-Epiſcopale faſtigium, contra pacem Religioſam, & reluctante Capitulo, tueri modis omnibus voluit, perinjuſtam cenſet, ſuamque opinionem pluribus defendit. Errorem autem Mezeraii ſimul configit, cui Gebhardus, præ intolerabili animi mœrore, Hagæ Comitis exſpiraſſe dicitur, refragante Meterano, qui eum A. 1589 in Germaniam, ad res ſuas reparandas, reverſum eſſe perhibet. Au- C. LXII. torem libri Gallici, cui lemma: *Apparitions Angloiſes*, hariolatur

esse Paulianum, qui tempore Revocationis Edicti Nannetensis, Nemausi Ministrum verbi Divini egit, postquam vero avita sacra ejuravit, Censuram Epistolarum Pastoralium, quæ Dn. Jurio de-

C. LXLII. bentur, A. 1689 publicæ luci exposuit. Epilogum hujus libri impendit quibusdam Anonymis & Pseudonymis indagandis, ita ut beneficio Nostri exploratum habeamus, Fedéo vindicari oportere Meditationes Metaphysicas de origine animæ, ejus natura, beatitudine &c. Gallice & Latine A. 1683 & 1686 excusas; Radulpho Bathursto partem Vitæ Hobbesianæ; Klifforto Nobili Anglo Tractatum de Ratione humana, qui A. 1682 Gallica versione magis inclaruit; Souveraino Gallo, Anglicæ Ecclesiæ dein aggregato, Platonismum Develatum, seu Diatribam de Verbo Platonico; Simoni autori Historiæ Criticæ V. & N. T. Epistolam Rabbinorum utriusque Synagogæ Amstelodamensis ad Jurium, idiomate Gallico A. 5446 æræ Judaicæ vulgatam; Pithoisio, quondam Monacho Franciscano ex Ordine Minimorum, tum Advocato ac Professori in Academia Sedanensi, Apocalypsin Melitonis, seu Revelationem Mysteriorum Cœnobiticorum a Melitone factam, quæ A. 1662 Gallice itidem prodiit; Silhonio præfationem ad Perfectum belli Ducem Rohanæi Principis; Abbati Tersonio Dilucidationem epistolæ, Bataviæ in India Orientali scriptæ, sub titulo, *Nova ex Insula Borneo*, impressam Monte Pessulo, A. 1687; Sourio, Religioso Ordinis Fontis Ebraldi, Dissertationem Apologeticam pro B. Roberto d' Arbrisselles Fundatore prædicti Ordinis, A. 1701 editam; Abb. Chevremontio, conditori Testamenti Politici Ducis Lotharingiæ, Caroli V Christianismum explanatum circa controversias hujus ævi Quietismum concernentes &c. qui A. 1700 lucem vidit; Guettio de Citri Historiam primi & secundi Triumviratus, nec non versionem Gallicam devictæ Floridæ & regni Mexicani; Johnsonio denique, qui A. 1702 mense Decembris morti succubuit, Julianum Apostatam. Plura adhuc superessent notabilia de Ducissa Mazarini, de duobus Mareschallis Galliæ Lorgio & Catenatio, aliaque Philosophica, de animæ immortalitate, de materiæ extensione, de bello & pace, de Despotismo &c. quæ singula consulto ac nimiæ prolixitatis vitandæ causa præterimus, rati B. L. sitim jam satis nos accendisse, ut librum ipsum a capite ad calcem perlegere anhelet.

M. PAULI MARTINI ALBERTI, V. D. Ministri Norimberg. שער לשון הקדש *sive Porta Linguæ Sanctæ, hoc est, Lexicon Novum Hebræo-Latino-Biblicum.*

Budissæ, apud Frid. Arnstium, 1704. in 4. Alphab. 8.

CUm tam rari inter Christianos antehac vel leviter tantum Hebraicarum literarum periti, omni fere ætate reperirentur, ut uni, quod ajunt, annulo inscribi possent, nunc se vicissim ubique gentium præclara produnt ingenia, & istis sese studiis cum cura mancipant, inque id quam enixissime incumbunt, ut aliis pariter eorum dulcedinem ac necessitatem persuadeant, & ad operæ pretium in his faciendum adjumenta suppeditent. Quod dum in epistola huic operi præfixa miratur exercitatissimus in hac palæstra Wagenseilius, haud vanis forte conjecturis illum niti autumat, qui cœlestem providentiam peculiare aliquid circa gentem Judaicam moliri, inde collegerit. Nos id ipsum in medio relinquimus, & Reverendi interea Autoris merito celebramus industriam, quam in novum hoc Lexicon Hebræo-Latino-Biblicum impendit. Multa siquidem in istud confluere animadvertimus, quæ in aliis ejusmodi scriptis frustra quæsiveris. Et ut universa methodi ab ipso adhibitæ ratio paulo constet penitius, ea, quæ sparsim is & ubique præstitit, summatim indicamus. Videlicet ad formam Lexici Schreveliani Græci, justam servavit *literarum initialium* seriem, singulasque secundum illas voces, quælibet sub litera initiali, in qua textus eas Biblicus exhibet, disposuit. *Difficultates* ubi emergunt, ut passim emergere sentias quam plurimas, rationes illas superandi ex Grammaticis præstantissimis, Schickardo, Wasmutho, Danzio, fideliter commonstravit. *Etymologiam radicum*, ad ductum celeberrimi Neumanni, servatis, ubi fieri commode potuit, ipsismet Autoris eruditissimi verbis investigavit. *Nomina propria*, eorumque significationes, ex Onomastico maxime, quod Briani Waltoni Bibliis Polyglottis annexum est, subjecit. Ex tractatu Cl. Hilleri *de keri & ketbit* peculiarem Indicem huc facientem, ordine Alphabetico dispositum, interseruit. *Loca parallela*, &, ubiubi vocabulum aliquod plus vi-

ce simplici in sacris paginis occurrit, una in medium protulit. Quin & *particulas*, earumque varios significatus, ex Noldii Concordantiis, Glassii Philologia, Danzii Interprete, & Philologorum aliorum, sed & e Geieri imprimis ac Sebastiani Schmidii scriptis exegeticis, solicite excussit. Insuper dilucidam explicationem *animalium*, tam mundorum quam immundorum, *gemmarum* item & *lapidum* evolutionem, *idolorum* descriptionem, & alia ad *personas resque sacras*, ad *tempora & festa*, ad *mensuras, pondera* & *monetas*, & ad *universam antiquitatem Hebraeorum* spectantia, pro instituti ratione paucis verbis insinuavit, atque ad Auctores, plura de his talibus differentes, Lectores curiosos remisit. Hæc ergo quibus placuerint, vires Nostro otiumque nobiscum procul dubio apprecabuntur, ut, quam insuper extruere meditatur, *Linguæ Chaldææ Portam*, eadem mox felicitate Eruditi Orbis oculis subjicere valeat.

JOHANNIS FABRICII, S. THEOL. D. EJUSQUE in Academia Julia Professoris primarii, Abbatis Regiæ Lutera, & Ser. Ducis Brunsvic. ac Luneb. Consiliarii Ecclesi. Consideratio Variarum Controversiarum.

Helmstadii, apud Georg. Wolfg. Hammium, 1704. in 4. Alphab. 3. plag. 13.

QUi anno 1699 publicavit *Amœnitates Theologicas*, in Actis nostris eodem anno pag. 285 sqq. memoratas, & nuper admodum novam & politam, ut proxime innuimus, *Gulielmi Forbesii* & *Compendii Veroniani* editionem curavit, Reverendissimus Abbas, nunc Considerationem exhibet variarum controversiarum. Controvertit autem modesto stylo cum Atheis, Gentilibus, Judæis, Mahommedanis, Socinianis, Anabaptistis, Pontificiis & Reformatis, operique interserit quædam hactenus inedita Christiani *Dreieri*, Herm. *Conringii*, Joh. Conr. *Dürrii*, & cognominis *Parentis sui*, Theologi primum Altorfini, deinde Noribergensis, quæ suis locis facile possunt reperiri, modo indices adjecti consulantur, sive materiarum, sive auctorum, sive rerum. In controversiis cum *Atheis*, præmittit distinctionem Atheorum, ac deinde

argu-

argumentis eorum respondet. Cum *Gentilibus* agens, tradit descriptionem religionis ethnicæ, differit de multitudine gentilium, nec non de modo eos convertendi, & ea, quæ nobis objiciunt, solvere nititur. Contra *Judæos* disputans, ante omnia exponit, quinam hic per Judæos intelligantur, & cum multis viris eruditis, spem de notabili & insigni eorum conversione fovens, ostendit, præcipuam controversiam esse de Messia, atque ad demonstrandum, Jesum esse Christum, præsupponendam divinitatem librorum N. T. veritatemque historiæ illis contentæ. Inde prædictiones de Messia, quarum aliæ negative, aliæ affirmative concludunt, considerat atque enucleat, & tandem ad argumenta Judæorum respondet, quædamque in processu cum Judæis observanda subministrat. In controversiis cum *Mahommedanis* commonstrat, inter capita Theologiæ seu potius matæologiæ eorum, præcipua esse hæc duo, de Mahommede & de Alcorano. Mox autem, evoluta Saracenorum, Agarenorum, Turcarum, & Muselmannorum appellatione, adversariorum istorum paralogismos, & media eorundem conversionis, nec non cautelas in disputatione hac observandas, fideliter suppeditat. Contra *Socinianos* facit Animadversiones in Catechesin Racoviensem, & omnia illius dogmata ordine examinat, exceptis iis, quæ tradit de Sacramentis, quoniam hæc in controversiis Anabaptistarum & Reformatorum tractanda sunt. Præmittit autem huic examini denominationem, dogmata, & antecessores Socinianorum, item discrimen eorundem & Arianorum, & quo modo contra illos disputandum sit, indicat, atque sub finem, Ecclesiarum & doctorum de iis judicia promit. Cum *Anabaptistis* controvertens, potiores eorum errores refellere studet, videlicet, 1. de pædobaptismo, 2. de carne Christi, 3. de juramentis, 4. de Magistratu politico, ubi in specie agit de judiciis forensibus, bellis, & suppliciis facinorosorum, melioremque Anabaptistarum de Magistratus officio, bellis & juramentis declarationem aperit. Inquirit etiam, an doceant somnium animarum piorum defunctorum, & explicata orthodoxorum de suppliciis sententia, modum cum Anabaptistis procedendi, itemque eruditorum de iis judicia tradit. Disquisitioni controversiarum *Pontificiarum* præmittit explicationem vocis *Pon-*

tifi-

tificii, quo ſenſu illa in præſenti adhibeatur, atque oſtendit, cum quibus ſit diſputandum, quidque contra Pontificios ſcripturo obſervandum viſum ſit Hoornbeeckio. Ipſæ autem controverſiæ, quæ hic ventilantur, concernunt doctrinam de neceſſitate Scripturæ ſacræ, mandato ſcribendi Apoſtolis dato, norma & judice controverſiarum ac Pontificis infallibilitate, authentia vulgatæ Latinæ verſionis, lectione Scripturæ ſacræ, libris apocryphis veteris Teſtamenti, perſpicuitate & perfectione Scripturæ ſacræ, traditionibus, concupiſcentia poſt baptiſmum in renatis reliqua, baptiſmi effectu quoad peccatum, immaculata conceptione B. Mariæ virginis, operibus non renatorum, libero arbitrio, fidei ſpeciebus, fidei juſtificantis objecto, ſubjecto, & notitiane an aſſenſus illa ſit, item an fides ſola juſtificet? de cauſa formali juſtificationis, juſtitiæ incremento & conſervatione, diſpoſitionibus ad juſtificationem, certitudine gratiæ & remiſſionis peccatorum, bonorum operum neceſſitate, legum humanarum obligatione, bonorum operum efficientia, Chriſto legislatore, poſſibilitate obſervandi mandata Dei & implendi legem, merito bonorum operum, intuitu mercedis æternæ in bonorum operum exercitio, fiducia in meritis, numero ſacramentorum V. T. differentia ſacramentorum V. & N. T, ſacramentorum N. T. efficientia ex opere operato, charactere, intentione Miniſtri, diſcrimine baptiſmi Johannis & Chriſti, fide infantum, tranſſubſtantiatione, hoſtiæ conſecratæ repoſitione & aſſervatione, adoratione euchariſtiæ, communione ſub utraque, pœnitentia ſecunda poſt naufragium tabula, partibus pœnitentiæ, contritione, perfectione contritionis, attritione, confeſſione auriculari, ſatisfactione, indulgentiis, purgatorio, oratione pro defunctis, ſacrificio miſſæ, ſacrificio miſſæ propitiatorio, miſſis ſolitariis, canone miſſæ, invocatione Sanctorum, cultu imaginum, veneratione reliquiarum, conjugio clericorum, conſiliis perfectionis, & primatu Pontificis Romani, atque hanc tractationem claudit communicatione judiciorum, quæ eruditi tenent de Pontificiis, mitiusque etiam de nobis judicium competere Pontificiis, infert. Erasmi autem, Wicelii, Caſſandri, ſimiliumque ſcriptorum auctoritate quando utitur, non id facit, quod neſciat, eos Papalibus invisos eſſe, ſed quia ab Eccleſia Romana, quæ a Curia Romana diligen-

ter est distinguenda, non sunt improbati, immo nec potuerunt improbari, quum ejus doctrinam constanter amplexi sint, atque ad obitum usque retinuerint, & a summis inter Pontificios viris maximi fuerint æstimati, æstimenturque. De quo legi potest Procemium Confess. Cathol. J. Gerhardi p. 10. & seqq. Denique controversias cum *Reformatis*, seu, ut alii appellant, Calvinianis, ad tres potissimas reduci posse statuit, videlicet de cœna Domini, persona Christi, & prædestinatione. Hisque ordine & alicubi κατ' ἄνθρωπον excussis, subjungit alias de causa peccati, baptismi efficacia, ritibus ac ceremoniis, baptismo a laico vel muliere administrato, exorcismo, oblatis seu hostiis & fractione panis, confessione & absolutione privata, imaginibus, & distributione præceptorum decalogi, atque hanc etiam diatriben obsignat eruditorum de Reformatis judiciis, & scriptorum seu librorum Reformatis oppositorum recensione, quales recensiones & singulis prioribus tractationibus subjecerat. Sed & de *Præfatione* Auctoris adhuc aliquid dicendum restat. Enim vero in ea ostendit, qualis esse, & quomodo rem suam agere debeat, qui controversias theologicas recte & utiliter velit tractare: videlicet eum oportere esse Dei timentem, probum, humanum, mitem, justum, æquum, solide eruditum, industrium, accuratum, judicio valentem, & pacis æque ac veritatis amantem, & negotium agere positis præjudiciis & pravis affectibus atque suspicionibus, nec statim in malam partem debere interpretari, quod meliorem sensum admittit. Discrimen etiam faciendum esse, inter sententias integrarum Ecclesiarum & particularium Doctorum, inter scripta symbolica & certorum auctorum, inter dogmata fundamentalia & quæstiones annatas, inter incommodas nonnullorum scriptorum locutiones & dexteriorem earum sensum, inter dogmata expressa & consequentias quæ inde formantur, inter personas integrasque sectas & earum errores seu vitia. Aliorum sententias petendas esse potius ex ipsorum, & potissimum symbolicis, quam dissentientium scriptis, & cavendum, ne disputator sit mancipium magistrorum; utile autem esse, si cum adversariis crebrius sit conversatus, eorumque explicationes in colloquiis & disputationibus ipse audiverit, studiumque esse ponendum non in augendis & foven-

LII dis,

dis, sed minuendis & componendis controversiis, quantum quidem salva veritate fieri potest, & singulas controversias ad usum salutarem transferendas, ignorantiamque propriam, sicubi aqua hæret, & revelatione caremus, ingenue profitendam. Ita vero Auctor in omnibus hisce controversiarum partibus se gerit, ut suas sententias, quanquam doctorum virorum suffragiis munitas, nemini obtrudat, sed cuique suam sentiendi libertatem relinquat, idem jus ab aliis sibi pollicitus.

MEMOIRES POUR SERVIR A L' HISTOIRE Ecclesiastique &c.

i. e.

COMMENTARII COMPONENDÆ HISTORIÆ Ecclesiasticæ inservituri. Auctore NANO TILLEMONTIO. Tomus VIII.

Parisiis, apud Car. Robustel, 1702, 4. Alph. 4. plag. 18.

PRimum inter Ecclesiæ Doctores, quos in hoc Volumine, quod nunc exhibemus (septimo, cum ad nos nondum pervenerit, in aliud tempus seposito) Tillemontius sistit (namque ἄνευ πϱοοιμίȣ καὶ παθῶν, ad rem ipsam statim accedimus, cum operis hujus ratio satis jam omnibus constet) locum suo merito occupat Athanasius. Multa profecto de eo hic disputantur, quæ legisse pœnitebit neminem. Sed nos selectu utemur. Celebris imprimis est controversia de Athanasio puero adhuc baptizante, & Alexandro Episcopo hunc baptismum adprobante. Ruffinus ab illis, qui cum Athanasio vixerunt, se hoc accepisse refert: quare facile Socrati ac Sozomeno, qui tamen dubitanter ea de re loquuntur, aliisque pluribus, hoc persuadere potuit. Nihilo secius non desunt, ut Tillemontius docet, qui hoc in dubium vocant. Nec profecto verosimile admodum, Alexandrum Episcopum actum ejusmodi puerilem, pro legitimo baptismo aut habuisse, aut habere potuisse. In vita insuper Athanasii, quæ operibus ejus subjungitur, innui quodammodo, jussu Alexandri pueros ab Athanasio puero per ludum baptizatos, denuo rite baptizatos esse; quod Ruffini & reliquorum narrationi prorsus repugnet: sed tamen

men hoc aperte ab auctore istius vitæ non asseri, concedit Tillemontius. Quicquid hujus sit, non omnino ætatem Athanasii cum hac sententia convenire, idem observat. Admodum enim puerum fuisse Athanasium, necesse est, dum istud perpetravit, si vera sunt, quæ dicunt: id quod equidem & Socrates diserte dicit, & Baronius, qui duodecimum ætatis annum eum excedere non potuisse conjicit; quanquam Papebrochius eum octo solum, aut ad summum decem annorum fuisse, contendat. Verum cum constet, Petrum, episcopum Alexandrinum, mortuum esse die XXX aut XXVI anni CCCXI, non potuisse, manifestum est, hoc contingere, nisi in exitu anni CCCXII. Jam si ponamus, Athanasium duodecim tum fuisse annorum puerum, sequitur, cum anno CCCXXVI ad episcopatum eveheretur, eum XXV annorum fuisse. Hoc vero sibi quis persuadeat? Præsertim si cogitemus (ita porro Tillemontius rationes subducit) Athanasium, cum Episcopus fieret, jam multis eruditionis & zeli contra Arianos, quibus & tam acriter in concilio Niceno se opposuerat, speciminibus fuisse conspicuum. Accedit, quod Ruffinus addit, eodem die, quo Athanasius pueros baptizavit, celebratum fuisse festum in honorem S. Petri Ep. Alexandrini, episcopumque Alexandrum Presbyteros atque Diaconos convivio excepisse. Id etenim factum fuisse eo tempore, quo Ethnicorum furor atque vexatio Ecclesiæ incubuit, a vero prorsus abhorret. Incubuit autem omnino adhuc mense Novembri anno CCCXII. Dubitatque etiam Tillemontius, an Christianis hoc tempore ob eandem causam sacra sua clanculum administrantibus, pueri rituum, quibus conferri baptismus solebat, adeo periti esse potuerint, ut in ludis eos imitari illis pronum esset. Atque hisce quidem rationibus, præsertim ea, quæ ex temporum circumstantia desumta est, commotum Henschenium, quæstionem proponere, sed non decidere: Benedictinos autem in Vita Athanasii hoc facinus prorsus inficiari, & inter commenta referre. Papebrochium, ut causam tueatur, eo tandem redigi, ut asserat Petrum, Alexandrinum Episcopum, A. CCCIII martyrio finiisse vitam. Sed refragari diserte Eusebium. Rectius forte alia via eum sibi consulere, dum autumet, non sub Alexandro, sed sub ipso Petro episcopo hoc contigisse. Hoc

ipso tamen pleraque jam corruere, quæ Ruffinus narrat. Nihil ergo obstare, quin plane Ruffinus deseratur, & hæc de Athanasio puero baptizante historia, reliquis ejus figmentis atque erroribus addatur. Idque eo magis, quod vel ipsius Papebrochii, Valesii, aliorumque judicio, non ubique promereatur fidem.

Utique magna ubique circumspectione in veterum monumentis evolvendis opus est; cum hinc inde in præstantissimis gravissimi etiam deprehendantur lapsus. Id quod, si alia documenta deessent, vel ex iis, quæ circa vitam Athanasii Tillemontius observat, luculenter comprobari posset. Sic Epiphani-
p. 655. us de electione Athanasii verba faciens, mortuo Alexandro, & Athanasio absente, cum diutius ecclesia Alexandrina Pastore carere non posset, Achillam electum fuisse auctor est; a Meletianis autem eodem tempore Theonam Episcopum constitutum: Achilla autem, tribus circiter mensibus elapsis, mortuo, Athanasium demum episcopalem sedem obtinuisse. Sed mirifice hic cuncta turbare Epiphanium, cui & ceteroquin in historicis non semper fidendum sit, præsertim in causa Meletianorum, aperte pronunciat Tillemontius. In eo namque omnes historicos consentire, Achillam non successorem, quod vult Epiphanius, sed antecessorem Alexandri fuisse. Ad Theonam vero quod attinet, inter episcopos hujus Ecclesiæ, nullum istius nominis commemorari, præterquam illum, qui sub finem tertii seculi ante Petrum Ecclesiæ Alexandrinæ præfuit. Quod si vero aliquid veri narrationi Epiphanii subsit, forte Theonam illum, qui cum Ario sacra dignitate exutus est, intelligi posse: quanquam hunc in episcopum electum fuisse, non constet, etsi Ariani eum eligere voluerint. Nec verosimile putat, a Meletianis Theonam potius quam Meletium ipsum electum. Ita ergo tota ista Epiphanii relatio corruit. Huic jungeremus Philostorgium, nisi is jam pridem Arianis favere deprehensus fuisset, suamque ideo apud orthodoxos jam pridē decoxisset fidem. Illustre tamen valde est, quod de eo nos docet Tillemontius. Constat quot calumniarum plaustra in Athanasium exoneraverint Ariani. Inter alia, ut minus recte ordinatum probarent, fingebant, quinquaginta quatuor episcopos Ægyptios, quorum alii Alexandri, alii Meletii partes sequebantur, jurisjurandi vinculo se invi-

invicem obstrinxisse, non nisi communi suffragio, & finita prius, quæ eos dividebat, lite, se episcopum electuros. Mox tamen sex aut septem, insuper habito jurejurando, Athanasium elegisse, & reclamantibus licet ceteris, renitente populo, in sacrum recepisse ordinem. Ita Ariani. Philostorgius, ut artis fingendi peritum se ostenderet, addit, Athanasium vespertino tempore aliquando occupasse templum S. Dionysii, clausisque per illos, qui a partibus ejus erant, foribus, duos, quos in templo isto offendebat, episcopos coëgisse, ut sacrum sibi conferrent ordinem. Anathematis fulmine hanc ob causam a ceteris perculsum Athanasium, nihilosecius omnes tandem superasse difficultates, nomineque totius civitatis electionem suam significasse Imperatori, ac confirmationem impetrasse. Magna hæc temeritate, imo impudentia Philostorgius, cum consentientibus omnium testimoniis, nulla temere ullius episcopi electio ordine magis, & ad præscriptum sacrorum canonum peracta fuerit. Existimat autem Tillemontius, hæc maximam partem post concilium demum Alexandrinum, anno CCCXXXIX habitum, excogitata fuisse, cum in eo ista commenta non refellantur. Sed Ruffino, Epiphanio, Philostorgio, adjungamus Theodoretum. Asserit is, inimicos Athanasii milites quosdam argento corrupisse, ut coram Constantino accusarent Athanasium, quod pecuniam ad quendam, qui in Imperatorem insurrexerat, misisset, & eam quidem pecuniam, quam ex tributo, Ægypto ab Athanasio imposito, collegisset. Hic primo notat Tillemontius noster, ultimum accusationis caput peculiare fuisse, & a priori separandum. Ad prius autem quod attinet, ex ipso Athanasio constare, non a militibus, sed a Meletianis accusatum fuisse Athanasium; ab his autem, ut dictis fidem facerent, milites pecunia corruptos adhibitos fuisse. Sed mittimus cetera, quæ ad idem confirmandum adduci potuissent. p. 656.

Ad celebrem nos potius convertimus quæstionem de Symbolo, ut vocatur, Athanasiano. Hoc, si Baronio credimus, ab Athanasio anno CCCXLI in concilio Romano compositum fuit, cum Romanus, ceterique Episcopi recipere eum prius nollent, quam publicam & solennem fidei professionem edidisset. Sed jam Vossium in peculiari, quæ nota est, commentatione observasse, Tille- p. 667.

montius monet, maximo ſtudio Eccleſiam nova ſymbola hoc tempore evitaſſe. Ipſe addit, magis adhuc evitaſſe Athanaſium, ſymbolo Niceno ita addictum, ut de Arianorum variis ſymbolis a Niceno diſcedentibus, ubique conquereretur. Nec veroſimile putat, exegiſſe epiſcopos ab Athanaſio fidei profeſſionem, cum non ob doctrinam, ſed ob mores accuſatus fuerit. Quis etiam crederet, inquit, omiſſurum Athanaſium fuiſſe vocem *conſubſtantialis?* Voſſius addit, in nullo fere antiquo codice manuſcripto operum Athanaſii, hoc ſymbolum reperiri: ſed in quibusdam tamen perantiquis hoc reperiri, docet Tillemontius. Ceteræ Voſſii rationes huc redeunt: neque Cyrillum, neque Theodoretum, nec reliquos Græcos; rurſus nec Cœleſtinum, nec Caſſianum, nec Leonem, nec ceteros Occidentalis eccleſiæ Doctores, hoc ſymbolum, aut adverſus Neſtorium, aut adverſus Eutychen allegare: loquendi denique rationem formulasque non ſatis cum ſtylo Athanaſii conſentire, etſi doctrina ſententiaque ejus accurate in eodem exprimatur, cum v. g. Athanaſius citra ambages Filium, etiam qua divinitatem, Patre minorem dicat, cum a Patre divinitatem habeat. Tillemontius vero & hoc ſubjungit, Neſtorii atque Eutychis errori non minus hoc ſymbolum oppoſitum eſſe, ac Arianis, unde concludit, non poſſe hoc tempore Athanaſii fuiſſe confectum. Urget ulterius Voſſius, Symbolum hoc Latina lingua ab ipſo auctore editum, Athanaſium vero Græcum fuiſſe. Aſt cum quatuor annos Treviris atque Romæ vixerit Athanaſius, Latinæ linguæ non prorſus rudis cenſeri debet, judice Tillemontio. An vero genium indolemque Latinæ linguæ tam accurate edoctus fuerit, ut tam accommodate ad eum ſcripſerit, uti auctorem ſymboli ſcripſiſſe conſtat, merito dubitatur. Quod ſi quis contenderit, Græcum, quod hodie extat, Symboli hujus exemplum, ipſum Athanaſium agnoſcere autorem, ei obſtare putat Tillemontius vocem *ὑπόστασις* pro *perſona*, quæ Latinis per *ὑπόστασιν ſubſtantiam* intelligentibus diſplicuerit, & Athanaſio iſto ſenſu tribui nequeat. Ceterum quod idem Voſſius autumat, ante Abbonem Floriacenſem, qui ſeculo decimo vixit, neminem hujus Symboli mentionem facere, quanquam nec Abbo diſerte faciat, poſtea vero itidem altum de eo eſſe ſilentium, & ne in controver-

ſiis

sis quidem cum Græcis, quibus tamen in quæstione de processione Spiritus S. omnino opponi potuisset, ad illud provocari, usque ad Gregorii IX tempora, in eo neutiquam usquequaque secum consentientem habet Tillemontium. Namque ante Abbonem, seculo IX allegasse hoc symbolum Hincmarum, præterea Ahitonem Episcopum Basileensem, Ratramnum Monachum Corbeiensem, aliosque. Immo in concilio Augustodunensi, quod accuratiores ad annum DCLXX referunt, sub pœna constitutum esse, ut clerici memoria teneant symbolum Apostolicum, & fidem S. Athanasii. Immo legi hoc ipsum symbolum, aut integrum, aut qua partem, in tribus manu exaratis codicibus, qui circa finem seculi VI scripti videantur. In illorum uno, symbolum hoc titulo *Fidei Catholicæ* insigniri, in reliquis inscriptione carere; unum quoque ex iis significare, ex Trevirensi exemplo, eoque lacero, hoc descriptum esse. Denique & ab Augustino super Psalmum CXX hoc symbolum citari, & quidem sub nomine Athanasii, sed observasse Doctores Lovanienses pariter ac Benedictinos, hoc in antiquis codicibus non legi, adeoque ab aliena manu adscriptum, haud dubie in textum ipsum irrepsisse. Ex hisce ergo tandem colligit Tillemontius, symbolum esse omnino perantiquum, sed Athanasium tamen neutiquam agnoscere auctorem; qua in re eruditi hodie fere consentiant. Fuerunt autem, qui suas de vero symboli hujus auctore proferrent conjecturas. Quos inter Quesnellius existimat, forte a Vigilio Tapsensi, circa finem seculi V, sub Athanasii nomine hoc symbolum compositum fuisse, quod peculiari comprobare dissertatione voluit, qua Bollandum, aliosque in suam protraxit sententiam. Eam vero Chiffletius atque Labbeus rejecerunt opinionem, Antelmius vero aperte & ex instituto itidem peculiari dissertatione impugnavit. Rationes Quesnellii sunt: primo, quod symbolum hoc post S. Leonis tempora, quippe qui ejus testimonio contra Eutychianos usus non sit, conditum sit, idem tamen longe antiquius sit concilio Augustodunensi, ejusque adeo origo in tempora Vigilii Tapsensis cadat. Deinde, quod hocce symbolum semper Athanasii nomen tulerit: Vigilio autem in more positum fuerit, scripta sua antiquis Patribus, præsertim Athanasio attribuere. Denique, quod sym-

ſymbolum hocce ſimile ſit admodum ſcripto Vigilii contra Marivadum aut Varimadum. Ad hæc autem reſpondet Antelmius: ſcriptum contra Marivadum non agnoſcere auctorem Vigilium; ſymbolum iſtud ſtatim ſine auctoris nomine comparuiſſe, uti ex duobus antiquiſſimis manuſcriptis comprobari queat: Leo autem quod ſymboli hujus teſtimonio contra Eutychianos uſus non ſit, id inde provenire, quod iſtius ſymboli, utpote incerti auctoris, nulla eo tempore eſſet auctoritas. In eam itaque Antelmius ingreditur ſententiam: Galliæ ſuos hoc ſymbolum debere natales, cum maxime ibi concelebratum fuerit, et ex antiquiſſimo codice Trevirenſi primum deſcriptum. Exiſtimat autem, exemplum illud Trevirenſe circa annum CCCCL circiter ſcriptum eſſe, ante Vigilii Tapſenſis tempora. Cumque Vincentius Lerinenſis alicubi teſtetur, ſibi in animo fuiſſe de fide ſcriptum aliquod componere, concludit Antelmius, hoc ipſum illud Vincentii ſcriptum eſſe. Adjungit rationes varias: Vincentium ſcilicet Treviris, aut in hoc ſaltem tractu natum, unde facile ejus monumenta in hanc urbem pervenire, & ibi conſervari potuerint; eidem in more poſitum, nomen ſuum occultare: in ſcriptis ejus varia deprehendi, quæ ad hoc ſymbolum proxime accedere videantur. Nec tamen hæc, judice Tillemontio, Queſnellii ſententiam evertunt, aut rem conficiunt. Etenim, quod ad convenientiam ſymboli & reliquorum Vincentii ſcriptorum attinet, ſymbolum quidem brevius eſſe, quam ut ſtylus ejus auctorem prodat, aut ex hoc capite comparatio cum illis ſcriptis inſtitui queat. Vincentium quidem ſubinde latitare, ſed ſub nomine Peregrini: aſt hoc non multum prodeſſe Antelmio, qui aſſerat, ſymbolum initio ſine auctoris nomine prodiiſſe. Præterea, ut Vincentium Treviris verſatum oſtendat, ſupponere Antelmium, Vincentium Lerinenſem fratrem fuiſſe Lupi epiſcopi Tricaſſini, nati in tractu Trevirenſi. At iſtud incertum adhuc eſſe, valdeque dubium. Et ſi vel maxime admittatur, nondum ex eo ſequitur, Treviris verſatum Vincentium fuiſſe Dubitat quoque Tillemontius, an promiſſio Vincentii, ſe de fide aliquando commentaturum, de hoc ſymbolo intelligi queat. Præſertim cum hæc verba: *alias, ſi Deo placuerit, uberius tractanda & explicanda* obſtent. In ſymbolo namque iſto *uberius*

hæc

hæc tractasse dici nequit, cum vel Antelmio fatente, pressius potius in eo tractaverit hoc argumentum, quam eo ipso in loco, ubi uberioris tractationis spem facit. Sed nec hoc extra dubitationem positum putat, quod idem Antelmius asserit, primum in Gallia celebrari cœptum hoc symbolum. Cum enim jamin conciliis Toletanis, A. DCXXX & DCXXXIII habitis, ejus injecta mentio a quibusdam censeatur, certe in Hispania prius notum hoc fuisse oportet, quam in Gallia. Etenim ad concilium Augustodunense quod attinet, de ætate ejus res nondum evicta est; & Trevirensi manuscripto quo minus antiquius in Hispania extiterit, nihil obstat. Hæc & alia Tillemontius pro Quesnellii sententia contra Antelmium disputat, nec tamen ideo eam suo prorsus calculo adprobat. Imo fatetur, utriusque sententiam niti verosimilibus rationibus, quibus varia adhuc opponi dubia queant. Quare tandem concludit, de auctore hujus symboli nihil quidem certi pronunciari posse: hoc vero certum esse, ab Athanasio hoc non esse profectum, ast antiquum tamen esse, ac sexto seculo circiter ortum. Addit, ex eo, quod pars ejus in manuscripto Trevirensi tantum extiterit, colligi forte posse, non uno eodemque tempore integrum confectum, sed sensim crevisse (quod & viri quidam docti de symbolo Apostolico sibi persuadent) Athanasianum autem dictum, aut per incertam conjecturam, aut quod pars præcipua ejus illam contineat doctrinam, quam Athanasius tam acriter propugnavit, tamque solide & accurate explicavit. Unicum adhuc, in tanta eruditissimarum observationum copia, priusquam ab Athanasio discedamus, prætermittere non possumus. De conciliis, quænam œcumenica sint, quam graves inter se lites Theologi habeant, constat. Speciatim quoque de Sardicensi disputatur. Baronius illud inter œcumenica referre non dubitat, quod ex omnibus ecclesiis sit convocatum, quod ab Athanasio vocetur magnum concilium, & denique, quod sententia Pontificis in eo denuo sub examen revocata sit. Ultimas rationes nullius ponderis esse, Tillemontius judicat, cum ex iisdem probari possit, etiam concilium Arelatense inter œcumenica referendum esse, cui tamen locus inter ea denegatur. Primum majoris momenti esse. Interim Petrus de Marca ex eo, quod Orientales Episcopi ab Occidentalibus in hoc concilio dis-

p. 689. seqq

cesserint, colligit, autoritatem œcumenici concilii illud amisisse. Natalis Alexander equidem respondet, Orientales hoc ipso schismatis reos fuisse, eosque aut Arianos fuisse, aut Arianorum fautores. Id vero est, de quo dubitat Tillemontius. Nec enim concedit, omnes hæresi Ariana fuisse infectos, multo minus ab Ecclesiæ communione semotos, si a Basilio Ancyrano, & quibusdam aliis discesseris. Hinc & dubitat, an pro concilio œcumenico haberi debeat, in quo ad decreta formanda, septuaginta episcoporum, præcipuarumque adeo Asiæ ecclesiarum defuerint suffragia, immo qui aperte istis decretis se opposuerint. Saltem paucos admodum ex Oriente decretis accessisse, manifestum esse. Posse equidem dici, per secutam Ecclesiæ adprobationem, hoc concilium autoritatem œcumenici accepisse. Sed respondet Tillemontius, istam Episcoporum orientalium adprobationem pertinuisse ad eos, qui in hoc concilio damnati erant, non autem ad canones. Et idem quoque regerit, quando ad concilium Chalcedonense provocant, quod honorifice mentionem faciat sententiæ in hoc concilio contra Arianos latæ. Salvam ergo manere sententiam Petri de Marca asserentis, istos canones tantum pro decretis Ecclesiæ Occidentalis esse habendos. Quanquam, judice Tillemontio, adhuc dubitari possit, an ab omnibus occidentalibus isti canones fuerint recepti.* Tempore namque Augustini, in Africa non adeo notum istud concilium Sardicense fuisse videri. Cum enim Cresconius & Fortunius, Donatistæ, Augustino objicerent, concilium Sardicense ad Donatum Carthaginiensem scripsisse, (quod de concilio Eusebianorum verum erat) Augustinus nihil aliud respondit, quam, istud concilium, a quo istæ literæ perscriptæ sint, fuisse Arianorum, quod in eodem Athanasius & Julius Pontifex damnati essent: haud dubio responsurus, duo fuisse concilia Sardicensia, Arianorum alterum, alterum Orthodoxorum, & huic interfuisse Episcopum Catholicum Carthaginiensium, si quidem hoc illi notum fuisset. Imo, quod magis mirere, nec Romæ satis notum hoc concilium fuit, cum ab Episcopis Romanis, sub nomine concilii Niceni, Sardicense illud semper allegetur. Ex quo facile colligas, Leonem & reliquos Pontifices usos fuisse codice, in quo post Nicenos, statim collocati fuerint Sardicenses

censes

censes canones, nulla concilii istius prius injecta mentione. Quam conjecturam comprobat prorsus codex ille Ecclesiæ Romanæ, a Quesnellio tandem repertus, & cum Leonis operibus editus. Addit & alias rationes Tillemontius, quas brevitatis causa, silentio prætcrimus. Id potius ex eo porro observamus, seculo demum sexto Dionysium Exiguum hosce canones sub titulo concilii Sardicensis codici suo inseruisse, quem deinceps alii canonum collectores secuti sunt. Et ita in Occidentali ecclesia, immo & in Orientali per secundum canonem concilii in Trullo habiti, recepta tandem sunt Sardicensis concilii decreta. Hoc modo superest dubii, utrum ecclesia concilium Sardicense receperit, per modum concilii œcumenici, an vero ea solum ratione, qua particularium conciliorum canones subinde ab universa ecclesia adprobati sunt. Tillemontius nihil definit, hoc tamen certum esse putat, concilium Sardicense ad autoritatem concilii œcumenici proxime accedere. Sed mittimus cætera. Athanasium excipit Ephræm Syrus, de quo varia hic lectu dignissima congesta videas. Nos duo saltem memoramus capita, quorum alterum ad vitam, alterum ad scripta Ephræmi pertinet. Gregorius Nyssenus auctor est, Ephræmum, cum intellexisset, Apollinarium hæreticum libros, pro erroris sui defensione scriptos, apud feminam quandam deposuisse, accessisse ad eandem feminam, & Apollinarii mentitum sectatorem facile impetrasse, ut libros istos ad perlegendum sibi concederet. Tum foliis libri conglutinatis, librum bene clausum reddidisse mulieri, mox vero aliquem ex suis incitasse, qui ad disputationem Apollinarium provocaret. Adfuit Apollinarius, sed senectute jam confectus, ab adversario impetravit, ut ex libro, quæ ad sententiam suam confirmandam facere putaret, legere sibi liceret. Allatum ergo librum cum nequicquam aperire conaretur, foliis inter se connexis, pudore suffusus abiit, istaque ignominia excruciatus mox vivendi finem fecit. Hæc Nyssenus ille Gregorius, & alii post illum. Recte vero pronunciat Tillemontius, hocce facinus nec cum gravitate, nec cum sinceritate Christianorum convenire satis, indignumque & illo esse, qui hoc perpetrasse dicitur, & illo, qui literis velut actionem pulchram consignavit. Nec excusari ulla ratione posse, nisi quis dice-

p. 742

re forte velit, sanctum hoc esse facinus, ideo, quod a sancto sit profectum. Ideoque addit, ingressos nonnullos in eam sententiam esse, istam de Ephræmo narrationem non agnoscere Gregorium Nyssenum auctorem. Quibus tamen non suffragatur Tillemontius. Enimvero is multis Græcorum non infrequentia aut insolita esse ejusmodi commenta, pronunciat: præterea & alia in Gregorio reperiri ait, quæ non facile queant excusari. Ad scripta vero Ephræmi quod attinet, Ambrosius quidem Camaldulensis monachus, sermones ejus non paucos in Latinum conversos emisit: postea vero, jussu Gregorii XIII Pontificis Romani, Gerhardus Vossius, Tungrensis Præpositus, undique conquisitas Ephræmi lucubrationes, Græce extantes in variis bibliothecis, Latinitate & luce donavit, & scholiis illustravit, quas primo Romæ, deinde Coloniæ A. M DC III edidit. Hæc opera Ephræmi ceu spuria rejicit Andreas Rivetus in Critico sacro, his inductus rationibus, primo, quod interpretibus tum Græcis, tum Latinis, parum sit fidendum: deinde, quod in plerisque *acumen sublimis ingenii*, quod in scriptis Ephræmi admiratur Hieronymus, non reperiatur; porro, quod maxima diversitas, tum inter diversas versiones, tum inter ipsa scripta deprehendatur; & denique, quod quædam Græca lingua ab Ephræmo edita perhibeantur, cum tamen is Græcæ linguæ rudis, Syriace tantum scripserit. Fatetur vero Tillemontius, tantum hodie extare versiones operum Ephræmi, nec Græca ejus, quæ circumferuntur, alio loco habenda: imo nec Græca in eruditorum versari manibus; adeoque non magni hæc scripta momenti esse, in iis saltem capitibus, super quibus hodie inter Romanenses & Protestantes concertatur. Fatetur etiam, Ambrosii Camaldulensis & Vossii versionem in multis discrepare, Vossiumque excusari non posse, quod partes in codice, quo usus sit, conjunctas discerpserit, optatque cum Bollando, ut Græcum textum potius edidisset. Quanquam & graves obstare potuerint rationes judice Tillemontio, qui & hac occasione narrat, abbatem quendam monasterii *de la Chaise Dieu*, *Bourgeois*, virum pium & fide dignum, asseruisse, sibi Romæ exemplum Græcum scriptorum Ephræmi denegatum fuisse, etiamsi nomine Episcoporum Galliæ, qui illud edere voluerint, hoc petierit. Interim addit,

ddit, etiamsi hæc omnia ita se habeant, non tamen prorsus posse cripta Ephræmi rejici. Etenim, inquit, si Protestantes, quicquid a Romano-Catholicis profectum, statim rejicere velint, & hi rursus, uod ab illis editum, quod forte utrinque, aut per inscitiam, aut er dolum, quædam admissa sint, utrique magno se commodo & dminiculis necessariis privabunt. Ceterum in hocce tomo eruite & prolixe etiam disseritur de Eusebio Samosateno Episcopo, e Meletio Antiocheno, de Damaso Papa, de Cyrillo Hierosolyitano, de S. Monica, aliisque, item de Hæresi Priscillianistarum : Messalianorum, porro de Macario utroque, Ægyptio atque lexandrino: de quibus omnibus more suo, hoc est erudite, lire & ingenue disserit Tillemontius, curiosissimas subinde inergens observationes. Sed nobis, ne limites transiliamus, hic bsistendum est.

OUVELLES ADDITIONS AUX ELOGES DES Hommes Savans &c.

i. e.

OVA SUPPLEMENTA AD ELOGIA DOCTOim Virorum e Thuani Historiis excerpta, auctore ANTONIO TEISSSERIO, Consiliario & Historiographo Regis Prussiæ. Tomus III. Accessere Pithœana.

Berolini, apud A. Duserrat, 1704, in 12.
Constant Alphab. 1. pl. 9.

artes primam & secundam Elogiorum Thuaneorum, Gallice a Clarissimo *Teisserio* translatorum, & collectis undique obserionibus illustratorum, primum A. 1686 Genevæ, iterumque 6 Ultrajecti prodiisse, indicavimus in Actis his A. 1697, p. 90. tertiam horum Elogiorum partem, quam multo, quam illas, jore studio elucubratam, Auctor ipse haud diffitetur, quod satis ad eam scribendam nactus esset, cum priores illas paulo festiitius & veluti stans in altero pede, quod abitum e Gallia maturaprotruderit. Itaque nec negat, errores in priores illas partes passim psisse, quorum aliquos celeberrimus Bælius correxerit in vasto illo tionario Critico, cui, raro inter doctos exemplo, grates eam rem habet maximas, &, si quæ præter causam a Bælio reprehensa

mus, ſed Veneri deditus, tenuibus uſus eſt initiis, quandoquidem in typographia Stephanorum Correctoris vices ſubiit, auctorque perhibetur Dictionarii, quod proſtat ſub nomine Caroli Stephani, quo ipſo innuitur haud dubie *Dictionarium Latino-Gallicum* Pariſiis A. 1552 in fol. excuſum. Hunc Ranconetum carceri mancipatum fuiſſe, notum ſatis eſt, ejusque rei cauſam plerique in inceſtum cum filia commiſſum conjiciunt. At Pithœus veram cauſam eam fuiſſe ait, quod, cum Cardinalis Lotharingicus Parliamentum Pariſiis convocaſſet, ut, quæ eſſet congregatorum de perſequendis hæreticis ſententia, intelligeret, Ranconetus ex Sulpitii Severi operibus (Dialogo III de virtutibus B. Martini n. 15) ea prælegiſſet in conventu, quæ ſub Maximo Cæſare fuere decreta, ut tribuni ſumma poteſtate armati in Hiſpaniam mitterentur, qui hæreticos inquirerent, deprehenſis vitam & bona adimerent. Præterquam vero quod ipſe Ranconetus inſueto quodam *ἀυτοχειρίας* genere in carcere periiſſe fertur Pithœo, tanta quoque fuit ejus familiæ calamitas, ut uxor ejus fulmine tacta, filia miſero mortis genere in fimeto obierit, & filius criminali pœna fuerit affectus. Cæterum Jacobum Fabrum Stapulenſem nothum, eoque inter Sorbonæ Doctores nequaquam receptum fuiſſe teſtatur, qui & ejus Commentarium in Evangelia damnaverint. Vulcanium quoque vulgo dictum fuiſſe ait Volcanium, alluſione ad Germanica vocabula, voll & Kanne facta, quaſi *plenum cantharum* dixeris, quod eſſet ebrietati obnoxius. De Bodino, quem magiæ deditum fuiſſe, ſpecioſo ſatis argumento probatum it Pithœus, aliisque pluribus, quorum mentionem injicit, nihil addimus.

FUNDAMENTUM THEOLOGIÆ MORALIS, seu de Conſcientia Probabili. Auctore P. JOSEPHO RICCIO Societatis Jeſu, in Collegio Neapolitano ejusdem Societatis Theologiæ Profeſſore.

Neapoli, ex typographia Mutii, 1702. 8. Plag. 22.

QUi Scriptores Societatis Jeſu accuſarunt, indulgentiori quadam probabilitate moralem diſciplinam relaxaſſe, id inde etiam voluerunt oſtendere, quod quidam eorum, paucul[illegible]

abh[illegible]

abhinc annis, Generalem Societatis suæ, Thyrsum Gonzalez secuti, aliam viderentur, eamque severiorem in delectu opinionum Moralium inire viam. Hinc hos vocarunt Probabilioristas, sive severioris disciplinæ sectatores, reliquos Probabilistas recentiores appellarunt, indicaturi Moralis Theologiæ corruptores. Ad hanc dissensionem intelligendam, nosse oportet, opinionem probabilem dici, quæ innititur motivo momenti magni: hinc probabilitatem nasci duplicem, alteram intrinsecam, quæ ratione, alteram extrinsecam, quæ auctoritate magni momenti nititur. In rebus igitur ad conscientiam pertinentibus, quodnam sit hoc motivum, sive intrinsecum, sive extrinsecum? quæritur. Probabilioristæ dicuntur nullum motivum magnum agnoscere, utut acute conclusum videatur, quod non ex sacris Canonibus, ex Conciliis & Patribus, ex antiquioribus Theologis deducatur. Probabilistas recentiores ajunt ex subtilibus rationibus probabilitatem deducere, nec sacrorum Canonum, & Conciliorum auctoritate confirmare, sed longo aliorum sibi similium Auctorum assensu. Ad quas accusationes refutandas, Auctorem nostrum, in gratiam auditorum suorum, opusculum hoc suum confecisse, ac amicorum precibus tandem victum evulgasse, testis est J. C. Hannibal de Philippis in Parænesi ad Lectorem. Dedicavit id ipse Auctor Admodum Reverendo Patri suo, Thyrso Gonzalez, Præposito Generali Societatis Jesu. Summa eorum, quæ in duabus dissertationibus, quibus liber constat, continentur, hæc est.

In *Dissertatione priore*, de Principiis Probabilitatis directæ, tam intrinsecæ, quam extrinsecæ agens, ostendit *Cap. I.* Probabilistas recentiorum placita sanctorum Patrum doctrinæ non anteponere, vindicans Valerium Reginaldum, & Nicolaum Badellum, qui criminis hujus rei aguntur. *Cap. II.* Recentiores Probabilistas a veterum Theologorum doctrina non deflectere. Etenim illos tantum deferre antiquorum Theologorum doctrinæ, quantum Thomas de Aquino defert antiquis legibus. Et recte quidem eandem omnino habendam esse rationem. Nam ex mutatione opinionum circa agibilia, necessario mores hominum commutari. Mutatis hominum moribus, necessario leges ipsas commutari, quarum vis omnis & firmitas in consuetudine sita sit. Hocque posito,

nullam inter Probabiliſtas & Probabilioriſtas diſſenſionem eſſe poſſe. Adhæc totam controverſiam inter ipſos eſſe de dubio, ſeu probabili legis in caſu particulari, num pro libertate ſtandum ſit, an pro lege diſputata? At ſi de recentiorum Probabiliſtarum ſententia, non ſit recedendum ab antiquiorum opinione, niſi aut adducatur ratio evidens in contrarium ab antiquis non prævila, & inſuper evidenter ſolvantur illorum argumenta, aut adducatur aliqua lex nova, ut jam antiquorum opinio nullam omnino probabilitatem retineat; clare patere, cauſam finitam eſſe. Jam principium, ſive fundamentum Probabilioriſtarum Catholicorum hoc eſſe: Ad licite operandum requiritur, ut quis formet judicium certum, & non fluctuans, citra paſſionem, & culpam, quod ſententia benigna, ſeu favens libertati in dubio legis, ſit vera, & ſic illam ſequatur, atque formet quidem judicium prudens, & irreprehenſibile, non tamen evidens & infallibile. Hinc docere conſequenter, ſequendam eſſe partem probabiliorem, quia nemo poſſit ſibi perſuadere, eſſe verum, quod poſt omnia, judicat minus veriſimile; ſicuti neque poſſit credere, eſſe falſum, quod judicat eſſe veriſimilius, poſt omnia conſiderata. Hoc ſecundum ita ſe habere, expreſſe docere recentiores Probabiliſtas. Primum illud Probabilioriſtarum principium, verbis quidem, re tamen negari non poſſe. Nam qui ſibi innocenter perſuadet, ſententiam benignam, quam ſequitur, eſſe ex ſacris Canonibus, tanquam ex fontibus, deductam, non poſſe non ſibi innocenter pariter perſuadere, illam eſſe veram; quia ſacri Canones, Scriptura, Concilia, & SS. Patres fons ſunt omnis, & ſalutaris veritatis, & morum diſciplinæ. Et tamen hanc rectam deductionem ex ſacris Canonibus debere ſibi quemque innocenter perſuadere, ex prima conditione a recentioribus Probabiliſtis requiſita, ut innocenter credat, Doctorem, quem ſequitur, eſſe Doctorem Catholicum. Hinc docere Probabiliſtas bene, ad licite operandum ſatis eſſe, ſequi ſententiam minus tutam, minusque probabilem, modo probabilem, neque teneri nos ad ſequendam probabiliorem. Addere, urgeri homines ad impoſſibile, ſi teneantur ad probabiliora, nec ſatis ſit minus probabile, modo ſit probabile, ad licite operandum, & ad conſcientiæ ſecuritatem. Addere denique, pro hac ſententia ſtare omnes fere Theologos

gos recentiores. Hinc docere consequenter, esse moraliter certum, licere sequi opinionem minus tutam, minusque probabilem, saltem ex tanta tot Doctorum auctoritate. Immo non moraliter solum, sed omnino certum esse, hoc esse licitum, & hanc ipsos vocare reflexam evidentiam de licito, licet non de vero. Hæc omnia recentiorum Probabilistarum asserta, Riccius noster putat a nullo posse negari, modo non fiat æquivocatio in his verbis: *minus tutum*, seu *minus probabile*. Etenim minus tutum & minus probabile, sicut minus rectum, dupliciter dici posse. Minus rectum dici aliquid, vel per defectum majoris rectitudinis, vel per defectum rectitudinis, seu principii rectitudinis. Sic scandalum dici esse dictum, vel factum minus rectum, præbens occasionem ruinæ. Non dici minus rectum, per defectum rectitudinis majoris; alias omne dictum, vel factum non rectissimum, esset scandalum, & sic illicitum. Sed dici minus rectum, per defectum rectitudinis, & conformitatis cum lege Dei, & recta ratione. Sic minus tutum dici, vel per defectum majoris securitatis, & sic omne non securissimum esse minus securum seu tutum: vel per defectum securitatis, seu principii facientis securitatem. Eodem modo dupliciter aliquid dici minus probabile, vel per defectum majoris probabilitatis: vel per defectum conditionis requisitæ ad probabilitatem. Per omnes Probabilioristas Catholicos, licitum esse sequi minus tutum, minusque probabile, primo modo sumtum, & solum hoc negare Novatores. Negare Probabilioristas Catholicos, licitum esse sequi partem minus tutam, minusque probabilem, sumendo probabile secundo modo, per defectum conditionum requisitarum ad practicam probabilitatem. Sed sumendo minus probabile hoc secundo modo, neque juxta recentiores Probabilistas sufficere ad licitam operationem. Hucusque igitur, ex doctrina recentiorum Probabilistarum, duo requiri ad practicam probabilitatem: unum, ut ex sacris Canonibus tanquam ex fontibus deducatur; alterum, ne discordet a doctrina veterum Theologorum, nisi evidenter solvat eorum argumenta, & adducat novam rationem illis non præcognitam, puta novam legem, ut vetus opinio non sit amplius probabilis. His limitationibus positis, neque laxitatis notam, neque discordiam a Probabilioristis, unquam recentioribus Probabilistis posse objici.

Cap. III. Probabilistas non plus nimio tribuere huma-

 na

næ auctoritati, præsertim recentiorum. Etenim ab iis inter Scriptores Catholicos non reponi, qui suas decisiones omnes a Sacris Literis, Conciliis & Patribus, tanquam a fonte non hauriunt, ipsosque docere, eousque insistendum esse antiquorum Theologorum doctrinæ, quousque evidenter pateat, eam non esse amplius probabilem. Discrimen unicum inter Probabilistas & Probabilioristas in eo consistere, an opinio benigna probabilis retineat suam probabilitatem, si opposita, quæ stat pro lege, sit probabilior? Concedunt Probabilistæ, negant Probabilioristæ. Utram libet sententiam sequaris, juxta Riccium nostrum, bene nosse debes, quid & quotuplex sit probabilitas? unane an multiplex, & valde diversa? & quas habere debeat unaquæque conditiones? Dein vide, an opinio benigna habeat conditiones illas, quas recentiores Probabilistæ requirunt ad practicam probabilitatem, & consequenter, an sit ex Probabilistarum doctrina practice probabilis? Tandem expende, an opinio benigna has habens conditiones, possit habere oppositam æque probabilem, aut etiam probabiliorem? & tunc demum in hac controversia recte procedes, ad Probabilioristarum doctrinam & vota.

Cap. IV. Recentiores Probabilistas plus nimio non indulgere humanis speculationibus. Nam conspirare omnes, tum demum aliquem licite sequi sententiam benignam, & licite stare pro libertate contra legem addubitatam, quando non potest prudenter dubitare de objectiva veritate sententiæ benignæ, quam sequitur.

Cap. V. Recentiores Probabilistas distinguere probabilitatem practicam a probabilitate mere speculativa: quia ad unum omnes requirant, vel in Doctoribus, ut faciant opinionem probabilem extrinsece, vel in rationibus intrinsecam probabilitatem: quæ certe non requirantur ad mere speculativam probabilitatem, ad quam satis sit, si sententia illa defendi commode possit. Fateri ergo ipsos, non ex eo, quod aliqua sententia defendi facile possit, esse practice probabilem. Inter ipsos autem & Probabilioristas magnam fuisse contentionem ortam, ex ipsa opinionis probabilis definitione, qua dicitur opinio probabilis, quæ innititur motivo magni momenti. Hinc, qui illam sequitur, prudenter operatur. Sed non definivisse, unde

cit:

esset mensuranda hæc motivi magnitudo: hinc locum factum laxitati; quia motivum potest esse magnum, ut concludas, ut aliquam sententiam commode defendas in scholis, non ut eam in praxi sequaris. Potest videri magnum uni, sed parvum alteri. Ergo rem fuisse valde incertam, & arbitrariam: & tamen mensuram debere esse certam. At nunc Probabilistas recentiores bene determinare, rationem eam & auctoritatem dicendam esse gravem, ex qua ita solvuntur argumenta contraria, ut non possis prudenter dubitare, veram esse sententiam benignam, quam sequeris, & falsam sententiam, quæ stat pro lege. Hoc posito, Novatoribus non superesse causam, ob quam Probabilistas laxitatis accusent, in formanda conscientia in materia opinativa.

Cap. VI. Probabilistas recentiores bene distinguere opinionem probabilem mere per accidens, & ex circumstantiis, ab opinione probabili per se, & libera electione. Quod lemma multis probat; quia nisi distinguatur licitum per se a licito per accidens, & consequenter probabile per se a probabili per accidens, Christiana disciplina morumque integritas stare non possit, sed funditus corruat.

Postquam ita in *priori Dissertatione* ostendit concordiam Probabilistas inter & Probabilioristas, in principiis probabilitatis directæ, tam intrinsecæ, quam extrinsecæ; nunc in *posteriore* disquirit, *an in probabilitate reflexa, seu reflexo dictamine sit dissensus*? Reflexam probabilitatem dicit non esse eandem, ac extrinsecam directam, fundatam in Doctorum auctoritate; neque eandem, ac directam intrinsecam, fundatam in intrinseca ratione; sed ex supposito Doctorum dissidio, in aliqua particulari quæstione de licito (quod dissidium tam in ratione, quam in auctoritate fundari potest) resultare novas rationes, quæ & legis prohibentis invincibilem ignorantiam, seu non sufficientem promulgationem, & libertatem in operante, ad utramque partem eligendam, dicuntur evidenter concludere; quam evidentiam reflexam, neque rationes directæ, neque directa Doctorum auctoritas evicerant. Et esse quidem multos, qui putant, recentiores Probabilistas relaxare disciplinam, & a Probabilioristis toto cœlo discordare. Nam apud omnes Probabilistas recentiores hanc propositionem, licitum esse cuique sequi opinio-

nem minus tutam, minusque probabilem, relicta tutiori, & probabiliori, esse verissimam, a qua omnes Probabilioristæ abhorreant: pariter omnes Probabilistas velle sibi victoriam vindicare, partim ex maxima auctoritate, partim ex evidenti ratione; at illis utramque partem inficiari Probabilioristas. Sed nec hic dissentire eos ut ostendat, probat Probabilistas recentiores omnes, in dubio suspensivo, v. g. circa obligationem confitendi peccata dubia, non agnoscere hæc extrinseca, seu reflexa principia, *cap. 1:* nec in dubio opinativo, cum agitur de damno tertii, seu in materia justitiæ, v. g. Judici licere sequi in judicando partem minus probabilem, relicta probabiliori, *cap. 2:* nec in dubio opinativo, cum agitur de sola actus honestate, *cap. 3.* Sequente *cap. 4.* expenditur principium, legem divinam aut humanam, sufficienter intimatam, non ignorare viros pios, prudentes ac doctos, post longas & diuturnas discussiones. *Cap. 5.* expenditur adhuc aliud principium: qui sequitur viros pios, prudentes & doctos, prudenter ac licite operatur. Verum illud nonnisi limitate a recentioribus Probabilistis admitti docet, limitationesque ejus adponit. *Cap. 6.* fatetur asseritque, omnes recentiores Probabilistas debere nefat re hæc extrinseca principia, nisi omnia reducantur ad intrinseca. *Cap. 7.* ex communi recentiorum Probabilistarum doctrina ostendit porro, quam falsa sint & fallacia hæc extrinseca & reflexa principia. *Cap. 8.* probat, a Doctoribus Probabilistis non Probabilioristas, sed Novatores tantum impugnari. Consentiunt enim illi utrique *primo:* qui existimat, opinionem esse probabilem, juxta eam operans, nec temeritatis, nec imprudentiæ notam incurrit. *Secundo:* sicut opinio probabilis in speculativis est, quam absque deceptionis & erroris periculo amplecti licet; ita in moralibus opinio probabilis est, quam absque peccandi periculo sequi licet. *Tertio:* quia omnimoda de rebus certitudo haberi nequit, ad eam Deus nos non obligavit, sed ad operandum cum morali certitudine, qualis in opinione probabili reperitur. Addit: Probabilioristas non solum ad licite operandum non exigere omnimodam certitudinem de rebus, sed contentos esse infimo gradu moralis certitudinis, qui tunc habetur, quando non possumus prudenter dubitare de opposito, seu falsitate; cum Novato-

res

res ad licite operandum exigant omnimodam certitudinem de rebus: immo Probabilioristas insuper contentos esse infimo gradu moralis certitudinis, de probabilitate opinionis benignæ. *Quarto:* qui sequitur opinionem minus probabilem, non agit contra conscientiam, sed is solum qui cum conscientia omnino dubia, aut certo dictante aliquid esse peccatum, id agit. Quæ in sequentibus magis dilucidare allaborat.

JOACHIMI LANGII MEDICINA MENTIS, qua ægra Mentis Sanatio ac sanatæ Usus in veri rectique investigatione ac communicatione traditur.

Berolini, impensis Officinæ Librariæ Orphan. Hallensis, 1704. in 8. Constat 2. Alphab.

CONquestus in Præfatione Clarissimus Auctor, Verbi Divini Minister Berolinensis Reverendus, de perversa docendi Philosophiam ratione, existimat, meliorem se viam ingressum esse, qua ad sapientiam itur, veramque Logicam proponere nititur, neque dissimulat, plurima post Deum se debere *Petro Poireto,* quem summum & meritissimum laudat, aliqua *Christiano Thomasio*, Domino autem de *Tschirnhaus*, qui Medicinam Mentis & Corporis jam pridem vulgaverat, non nisi communem, quem cum suo libro habeat, titulum. Arbitratus est, rectam Philosophandi methodum esse, qua mentis humanæ ægritudinem agnoscens, ad sanitatem contendit, & restaurata mentis integritate, veritatem investigat, deinceps eandem cum aliis communicat, & veræ sapientiæ possessione lætatur. Hinc *quinque* libris opus absolvitur, quorum *primus* de mentis humanæ ægritudine, ejus natura, ortu, progressu, ægritudinisque effectibus agit; quo doctrina de præjudiciis ignorantiæ, nimiæ confidentiæ & diffidentiæ, uti & de pravis affectibus pertinet. Liber *secundus* sanationem mentis complectitur, proinde de principiis sanationis, de usu luminis naturalis & supernaturalis, de institutione, exercitatione, veri bonique desiderio, atque de specialibus adminiculis ad mentem a præjudiciis purgandam tractat; quo doctrina de solida scientia, sobria diffidentia & confidentia, & pravorum motuum correctione refertur. Hinc sanatæ mentis effectus persequitur, qualis ipsi est pro-

promovenda Dei gloria, cujus fundamentum, modus, & cautiones circa hanc rem explicantur. Quomodo in veritate investiganda menti sanatæ agendum sit, exponitur *tertio* libro, agiturque de veritate, ejus speciebus, & opposito Scepticismo, de meditatione in veri investigatione, & investigatæ veritatis interpretatione. *Quartus* liber communicationem veri in genere, tum in specie in institutione scholastica, eandemque in conversatione expendit. Sapientia seu eruditio libro *quinto* sic explicatur, ut ejusdem historia ab Adamo ad Noachum, a Noacho ad Mosen, ab hoc ad Christum, a Christo ad nostra tempora, strictim recenseatur. Succedit tractatio de natura veræ eruditionis, deque ejus comparatione, & sapientis characteribus. Notæ sapientis traduntur lux, status animi rectus, pax, a Deo dependentia, gratitudo, amor ordinatus. Adjunguntur capita de eruditione superficiaria, de linguis, & de stultitia sive de falsa eruditione, quæ definitur, quod sit *variarum scientiarum in se vel utilium vel inutilium farrago, inordinato corruptæ rationis usu, ad ostentationem præpostere congesta, qua mentis ruditas ac ægritudo mirum in modũ augetur.* Quo referuntur *Pseudo-Theologi, Pseudo-Philosophi, Pseudo-Philologi, Pseudo-Rhetores*, quorum studia sigillatim notantur, utpote quæ tandem, Auctoris sententia, in Pedantismum desinunt. Appendix de necessariis exhibet *Erasmi* Paraclesin ad Christianæ Philosophiæ studium, *Mackenzei* Dissertationem de humanæ rationis imbecillitate, & *Combachii* excerpta de Philosophiæ impuritate. In supervacuis recensetur doctrina Syllogistica & Ontologica, adeoque annectitur brevis quædam Logica vulgaris & doctrina de Ente.

CIVIL POLITY, &c.
sive
TRACTATUS DE NATURA REGIMINIS, IN quo causæ diversitatis summæ, quæ in Gentium moribus & consuetudinibus conspici solet, historice explicantur, &c.

Londini, apud R. Wilkin, 1703. in 8.
Constat Alphab. 1. pl. 18.

SI quis communes mortalium cunctorum parentes, parem naturam, eandemque nascendi rationem diligentius expendat, miretur merito, qui fiat, ut tanta morum, consuetudinum, legum, aliarumque rerum inter se varietate gaudeant. Cujus causa cum neque in climatis aut soli conditione, neque in stellarum motu cursuque, neque in fatali necessitate quadam, neque in rebus naturalibus quibusvis aliis, sed in sola societate ac generis humani communitate Autori hujus libri anonymo quærenda esse videatur, operæ pretium se facturum existimavit, si hanc in rem inquireret ulterius, quidque homines in eadem societate conjungat, quid respublicas aut conservet, aut turbet, aut evertat, quid aliis denique mutationibus in civitate ansam præbeat, prolixius exponeret. Præsentem igitur tractatum conscripsit, in quo ea, quæ ad politiam spectant, non modo ex ipsa hominum natura deducit, sed etiam exemplis clarissimis illustrat, rem omnem octo capitibus complexus, quorum summam Lectori jam exhibere placet.

Primum scilicet ostenditur, inter homines, qui propter rerum omnium in omni ætate indigentiam, extra societatem vivere non possint, observari semper ordinem quendam atque regiminis cujusdam speciem, unde non possit non diversa fieri ipsorum conditio: quemvis ob cogitandi deliberandique facultatem, nec non doloris ac voluptatis sensum, ob finem quendam agere, illudque sectari, quod vel animi tranquillitatem vel corporis voluptatem promovere, quodque sive ad præsentem, sive ad subsecuturam felicitatem pertinere videatur: hominem, utpote perpetuis mutationibus expositum, plurimis rebus indigere, indeque non paucis adfici incommodis, variisque cupiditatibus jactari, quæ ab ipsius natura separari possint nunquam: aliarum præterea difficultatum turbarumque circumfundi eum multitudine, non alia de causa, nisi quod in societate vivat: ejus vero felicitatem in eo præcipue versari, ut votorum suorum compos fiat, suasque cupiditates expleat, quarum tamen sitis quo minus satiari queat, obstet sæpius externa vis, legumque severitas: hinc fieri, ut omnes, naturæ quodam quasi impetu, talem adpetere statum soleant, in quo libere cupidi-

tatibus suis possint indulgere, ut quilibet potentiæ sit studiosissimus, legesque dare malit, quam accipere. Quæ singula quamvis Autor tam perspicua esse autumet, ut quisque vel in se, vel in aliis facile ea observare queat, tamen tum hominis natura, tum legum ratione, tum exemplis evidentissimis ulterius confirmantur.

Hinc adseritur, hominum quandam inter se diversitatem summe in republica esse necessariam, quæ cum civium numero crescat, notasque certas requirat atque characteres, sive interni, sive externi illi sint, quibus unus ab altero possit discerni; unde commercia, artes, scientiæ, & quicquid in pretio haberi solet, originem trahant. Homines, utpote natura æquales, non facile in civitate obtemperaturos esse aliis, nisi pœnarum metu eo impellantur, nisique ditiores eos, qui inopia laborant, beneficiis opibusque suis ad obsequium obstringant. Cum vero plurimorum indigentia maximas quoque opes facile possit consumere, ad conservandas eas prospiciendum esse, ut in circulum quasi eant, redeantque ad eos, qui primum eas possederunt; quod qua ratione fieri soleat, exponitur. Præterea quemcunque hominum ea, quæ hanc vitam subsequuntur, cogitare, & metu futuræ infelicitatis nunquam finiendæ deterreri, quo minus cupiditatibus suis libere indulgeat, hincque fieri, ut religio certa quoque ratione ad politiam pertineat. Summum discrimen inter divinas & humanas leges inveniri, quarum illæ omnes in universum homines obligent, eorumq; æternæ felicitati prospiciant, hæ vero ad certas solum communitates spectent, & earundem commodum promoveant, quatenus illud cum legislatorum commodo maxime conjunctum sit. Ad explicandas leges, eandem requiri auctoritatem, quæ ad sanciendas sit necessaria; quod ipsum si diligentius perpenderent homines, fore Autor judicat, ut tum in exponendis legibus Divinis, tum in examinandis earum expositionibus, ab aliis conscriptis, cautius agant. Sanctas nimirum leges a viris Divino Spiritu agitatis consignatas, vix posse ab iis recte explanari, qui ejusdem Spiritus adflatu destituuntur, ea imprimis ex ratione adserere non dubitat, quod nemo de salute sua cer-

certus esse possit, si quidem dicatur, aliquem absque Divino lumine sacras litteras posse interpretari, & adeo quodcunque debeat pro voluntate Dei venditare. Imo cum juxta Ecclesiæ consensum, Deus ea, quæ ad salutem scitu sunt necessaria, in Scriptura revelaverit hominibus, miratur Autor, cur interpretes sæpe expositionibus suis longius ab ea recedant. Quod si objiciatur, ea, quæ ad salutem spectant, sacris in litteris quidem contineri, sed a quovis non intelligi; ea intelligi & posse, & debere respondet, cum alias Scriptura regulæ nomen tueri nequeat. Eam enim aut verborum, aut sensus, aut utriusque explicatione opus habere urget. Si verborum, cur alia in eorum locum haut substituta sint, quærit; sin vero sensus, imperfectam videri Scripturam pronunciat, quod asserere impium sit atque profanum. Neque non supervacaneum esse putat, in verbis explicandis authentica loca respicere, quippe quæ, si nota sint, ulteriori explicatione non indigeant; sin vero dubia atque obscura esse videantur, nihil certi de iis determinari posse ait, cum autoritas ad res ejusmodi dijudicandas necessaria deficiat. Easdem difficultates circa sensum recurrere dicit, experientiamque testari monet, quædam, quæ in Scriptura satis clara videbantur, aliorum commentationibus obscurata magis fuisse, quam illustrata. Igitur ita Noster existimat, quemvis interpretem, sive sacra, sive profana scripta exponat, posse quidem sententiam suam proponere, illiusque rationes addere, ita tamen, ut lectorem certum reddere nequeat, suam opinionem cum autoris mente accurate convenire. Hinc tot ac tam varias Scripturæ existere interpretationes, quæ in multis sibi invicem contradicant. Credit etiam, neminem lectorum certo adfirmare posse, exempli causa, revelationem Joannis Theologi melius a Grotio aut Hammondo, quam a Meado, Brightmanno aliisque expositam fuisse, cum de libri illius, utpote in se obscurioris, expositione, non nisi juxta probabiliorem sententiam aliorumque autoritatem judicium ferri possit, quod tamen plerumque aut primam institutionem, aut sectæ studium sapiat. Istud ergo, quod Deus in divinis litteris revelaverit, aut ad mysteria referendum esse, aut non ad ea pertinere, arguit. Si iis

adnumerandum ſit, per ſe quidem evidens eſſe putat, propter ea Deum id nobis revelaſſe, ut in ſola ipſius autoritate recumbentes id credamus; ſin ex myſteriorum numero excludatur, ſenſum illius ex verbis, quibus proponitur, hauriendum eſſe, non dubitat. Porro cum ea, quæ ſacris litteris continentur, vel ad fidem, vel ad obſequium pertineant, iſta quidem ob ſolam Dei revelationem, citra reſpectum ad rei probabilitatem, credenda, hæc vero ob ſolum mandatum Dei, facienda eſſe dicit. Uti vero credenda explicare non deceat, quandoquidem fidei natura ita quaſi infringeretur: ita facienda clariora eſſe autumat, quam ut expoſitione quadam opus habeant. Quod autem res ad fidem non ſpectantes, hiſtoricas, chronologicas & id genus alias attinet, liberum cuivis eſſe exiſtimat, in iis explicandis operam inſumere, modo nec fides confundatur, nec obſequium Chriſtianorum Deo debitum deſtruatur.

His aliisque pluribus in *primo* & *ſecundo* capite latius expoſitis, in *tertio* Auctor agit de bellis religionis cauſa ſuſceptis, eorumque origine, quæ in mala reipublicæ cujusdam conſtitutione quærenda eſſe dicitur: de religione tum naturali, tum revelata, quæ vel ob verborum multiplicem ſenſum, vel ob antiquitatis ignorationém, vel ob hominum diverſa partium ſtudia ſectantium ingenia, vel ob alias ejusmodi cauſas, diverſis interpretationibus ſit obnoxia: de ſectis ex variis religionis revelatæ expoſitionibus ortis, quarum propagatio aut variis hominum, in variis rebuspublicis, ſeculis & regionibus viventium ingeniis, juxta morum, conſuetudinum legumque diverſitatem diſpoſitis, aut callidis quorundam conſiliis, aut diverſis litterarum ſtudiis adſcribitur: de religione denique revelata iterum, quæ quamvis aliquando turbis in republica & mutationibus anſam præbere ſoleat, tamen nec baſis civitatis, nec vinculum ſocietatis dicenda ſit, quoniam & hodie reſpublica Chinenſium aliæque politiæ floreant, in quibus iſta tamen publica auctoritate nequaquam ſit recepta.

In *quarto* capite, præmiſſis hactenus iis, quæ realia incommoda ſive corporis ſive animi reſpiciunt, de iis Auctor diſſerit, quæ ex imaginatione ſola dependere videntur, de gloria nimirum,

rum, honore atque existimatione, quæ doctrina, fortitudine, sapientia aliisque virtutibus acquiritur, eandemque extra societatem locum non habere, nulliusque fere in politia momenti esse, nisi cum opibus atque potentia conjuncta sint, probat. Attingit etiam músicos concentus, ludos scenicos atque spectacula; ubi tum eos ridet, qui in poesi pariter & dramaticis fabulis omnia ad veterum regulas componenda esse dicunt, quasi ista, quæ antiquis moribus apta fuerunt, nostris etiam temporibus semper conveniant, nec recentioribus scriptoribus eadem, quæ antiquis, ingenii facultas suppetat; tum ostendit, ludos scenicos corrigi non posse, nisi hominum mores prius emendentur, ut pote qui in theatris repræsentari debeant.

Porro distinctione inter Regem *de facto* & *de jure*, ea inprimis ex ratione rejecta, quod suprema auctoritas semper eadem esse videatur, aliisque, quæ ad politiam spectant expositis, ea, quæ hactenus generatim dicta, atque ex rerum natura deducta sunt, exemplis ex Anglica aliorumque regnorum Historia cap. V. VI. VII. VIII & IX ita illustrat, ut prætermissis iis, quæ dubia atque incerta sunt, ea solum sectetur, de quorum veritate nemo dubitat. Causas scilicet mutationum maximarum, quæ in Anglia subinde evenere, recenset, & qualis priscis temporibus regiminis forma fuerit? quibus mediis id stabilitum sit? quomodo potestas in populum fuerit devoluta? unde revolutio Henrici VII tempore facta originem traxerit? quid variis successionibus ansam dederit? cur demum sub Henrici VIII imperio, clericorum auctoritas detrimentum acceperit? disquirit. Quid tantam præterea inter Europæa regna diversitatem efficiat? cur tot in Gallia mutationes evenerint? qua ratione populi eo in regno potestas suppressa fuerit? cur Hispania pristina potentia destituta, internam tamen pacem conservaverit? erudite explicat; quæ singula licet rerum politicarum studiosis lectu non possint esse non jucundissima, prolixiora tamen sunt, quam ut a nobis jam breviter memorari queant. Id saltim addimus, Auctorem in adducendis istis omnibus, sæpe elegantes de rebus variis observationes inspergere, quales illæ sunt, quando de nimia Principum veneratione Divinoque cultu, de Regum jure, quod immediate a Deo provenire

negatur; de causis, ob quas Caroli V Imperatoris tempore, in variis Europæ partibus, religio aliam induerit faciem, eleganter disserit.

Cæterum, cum Noster non modo, quæ ad religionem pertinent, methodo suæ inhærens, ex naturalibus principiis causisque politicis deduxerit, Divinamque adeo providentiam exclusisse videri possit, sed & nullius fere sectæ parcens, aliquando ostenderit, unamquamque earum, simul atque auctoritatem obtinuerit, eadem commisisse, quæ in aliis damnaverat; hoc quidem factum fuisse ait, ut humanæ naturæ pravitatem demonstraret, istud vero non solum præstantissimorum Theologorum exemplis defendit, qui in religionis mutatione atque propagatione exponenda, pariter ad naturales causas sæpe provocaverint, verum etiam existimat, post Apostolorum tempora, Deum in religione non immediate egisse, sed mediis quibusdam causis fuisse usum, quarum indagatio libera omnino cuivis esse videatur.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI Μοσχοκαρυογραφία, seu Nucis Moschatæ curiosa Descriptio Historico-Physico-Medica.

Francofurti & Lipsiæ, impensis Joh. Christophori Stösselii Bibliopolæ Erffurtensis, 1704. 8. Constat Alphab. 2 & 14 plag.

Qui *Labore & Candore* suum vitæ tempus traducere a primis statim unguiculis sibi laudabiliter non modo proposuit, sed & hactenus feliciter sustinuit Clarissimus Paullinus, indefessi specimen laboris edit post alia, eaque non pauca, quæ hactenus divulgavit scripta, in præsenti Μοσχοκαρυογραφίᾳ curiosa, in qua pro more suo, id est candide, quæ vel propria experientia addidicit, vel ex Autorum lectione hausit, cum orbe literato communicat. Quatuor videlicet hic liber continet *sectiones*, in quarum *I.* quæ *Philologico-Historico-Physica* est, post nominis atque definitionis explicationem, locus natalis, nascendique modus nucis moschatæ investigatur, differentia & delectus adumbratur, temperamentum & vires examinantur, & medicamenta tam sicca, quam liqui-

da, & mediæ confiſtentiæ ex ea paranda deſcribuntur, ita tamen, ut nec noxæ, quas inferre poteſt, fuerint omiſſæ. *Sectio II & III Medica* eſt, in quarum illa morbi, partes in tribus corporis regionibus contentas affligentes, in hac vero febres & affectus externi evolvuntur, qualemque in ſingulis hisce uſum præſtet nux moſchata, fuſius explanatur. *Ultima ſectio uſum* ipſius *domeſticum* commemorat, quem modo ſtrenæ loco, modo in roſa taciturnitatis ſymbolo, modo in ſertis, coronisve funebribus, modo in potu quotidiano, & conditura cadaverum præſtat. Mittimus Obſervationes curioſas, quibus integer tractatus eſt refertiſſimus, nec poſſumus tamen ſilentio præterire, calci tractatus hujus adnexam eſſe *Vitam, Studia & Gloriam Paullinianam, ſida crena deſcriptam ab Eſaia Dahlborn Ph. & Med. D. Anno 1703.*

THE LIVES OF THE ANCIENT PHILOSOphers, &c.

i. e.

VITÆ VETERUM PHILOSOPHORUM, IN QUIbus de variis illorum ſectis, dogmatibus item, factis dictisque agitur, in compendium redactis iis, quæ DIOGENES LAERTIUS, CASAUBONUS, MENAGIUS, STANLEIUS, GASSENDUS, CHARLETONUS aliique reliquerunt. Acceſſit Appendix, vitas quorundam Philoſophorum ex Eunapio & Fœminarum philoſophantium ex Ægidio Menagio complexa.

Londini apud Joh. Nicholſon & Th. Newborough, 1702. in 8.
Conſtant Alph. 1. pl. 18.

Cum integra, quæ de vitis veterum Philoſophorum proſtant, volumina perlegere omnes haud poſſint, laudanda eſt Epitomatoris hujus opera, qui ea imprimis, quæ Stanlejus reliquit, in compendium redegit, citatis iisdem, quibus ille utitur, teſtimoniis, & paſſim nonnullis e Diogene Laertio ejusque commentatoribus Caſaubono & Menagio, tum & Gaſſendo & Charletono, qui Epicuri vitam deſcripſere, additis.

Quo

Quo vero ordinatius procederet, quæ Stanlejus in ultimis ser libri sui partibus, de Chaldæorum, Persarum & Sabæorum Philosophia habet, ea Noster per modum Introductionis brevis Philosophiæ, qualis in Orientalibus orbis partibus fuit, antequam ad Græcos perveniret, faciem repræsentantis præmisit. Accessere & appendicis loco duæ sectiones, quarum altera vitas Philosophorum paulo recentiorum, quas Eunapius descripsit, altera fœminarum Philosopharum vitas ab Ægidio Menagio seorsim editas continet.

Lectori Benevolo Salutem!

Supervacaneum hactenus existimaveramus, generalem secundi etiam Actorum Eruditorum decennii & secundi tertiique Supplementorum tomi Indicem edi, quod singulis decennii istius annis tomisque istis, non auctorum solum, ut in primo quoque decennio primoque Supplementorum tomo factum fuerat, sed rerum insuper indices satis luculenti subjuncti jam essent. Cum vero fuerint haud pauci, qui indices illos omnes in unum compingi cuperent, ut ubi quid inquirendum est, duodecim volumina evolvendi molestia supersedere possent, in eorum tandem gratiam, generalem nunc etiam auctorum ac rerum, quæ secundo decennio ac postremis duobus Supplementorum tomis continentur, adornavimus Indicem, geminum plane illi, qui primi decennii & Supplementorum primi tomi res auctoresque complectitur. Proditurus vero novus ille Index est, adjuvante Deo, una cum proximo Actorum Novembri; id quod ejus cupidis indicandum mature duximus.

LIBRI NOVI.

Dionysii Halicarnassensis Antiquitatum Romanarum Libri, quotquot supersunt. Græce & Latine. Londini apud Thom. Bennet, 1704. fol.

L. Annæi Flori Rerum Romanarum Libri II priores, ex Criticorum observationibus correcti, cum textus ratione notisque variorum Historicis, Politicis & Antiquariis &c. Adornati & editi a Laur. Begero. Coloniæ Marchicæ, typis Ulrici Libperti, 1704. fol.

* * * * * * * * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno MDCCIV.

HISTOIRE CRITIQUE DES DOGMES ET DES Cultes &c.

h. e.

HISTORIA CRITICA DOGMATUM ET CULTUum bonorum malorumque, in Ecclesiis ab Adamo usque ad Christum receptorum. Ubi origo omnis idololatriæ veteris Paganismi, ex collatione cum idololatria Judæorum explicatur: Autore PETRO JURIEU.

Amstelæd. apud Franc. L'Honoré & Socios, 1704, 4. ch. maj. Constat Alph. 4. plag. 15.

IN quatuor partes amplissimum hoc abit opus, varia eruditione, novisque observationibus profecto refertissimum, & in quo laudando melius defungi partibus nostris vix posse videmur, quam si illustris Cuperi, Viri κριτικωτάτȣ, de eo allegaverimus judicium. Ille nempe in Epistolis, occasione hujus operis ad Autorem scriptis, quarum excerpta clarissimus Bernardus in Novis Reipublicæ Litterariæ haut ita pridem publici juris fecit, quasque integras videre cum omnibus harum litterarum amantibus avidissime cupimus, profundissimam in hoc opere eruditionem, miram in explicandis falsorum Deorum nominibus dexteritatem, & stupendam in illustrandis quamplurimis iisque obscurissimis antiqui Fœderis locis felicitatem, facunde deprædicavit. Prima pars operis agit de Dogmatibus atque Religionibus, quæ omni illo, quod ab Adamo ad Mosen usque effluxit, tempore invaluere. Theologiam igitur istorum temporum non nimis arctis limitibus esse circumscribendam ostendit, cum sapientissimus in illa magister Adamus c. I.

 diu

diu ſatis docuerit, cujus doctrina facillime fuerit propagata traditione, ob ætatem primorum hominum minime anguſtam. Sane enim ea factum eſſe ratione, ut inter Adamum Abrahamumque duo tantum interceſſerint, Mathuſala atque Noe, puriſſimamque adeo illc Adami Theologiam potuerit accipere. Hinc quæ mundi creatio, diluvium, Sodomorum excidium, promiſſio protoplaſtis facta, variæque, quæ Abrahamo, Iſaaco & Jacobo obvenere manifeſtationes, dogmata pepererint, perſequitur. Inprimis vero Jobi librum, indolem antiquisſimæ illius Theologiæ luculenter ob oculos ponere, Autor cenſet. Quem proinde veram complecti hiſtoriam, Jobum autem ante Moſen, imo etiam ante conſtitutum ab Iſraelitis in Ægypto domicilium, ſecus quam doctiſſimo Spanhemio viſum fuerat, temporibus Iſaaci floruiſſe, Abramique ex fratre Nachore pronepotem fuiſſe, demonſtrat. Imo ipſum quoque librum, hiſtoriam ejus complexum, lingua Arabica ante Moſen compoſitum, & a Salomone Hebræis litteris redditum ſuſpicatur. Ex
c. III. iſtis itaque Syſtema Theologiæ ante Legem conficit, his fere articulis abſolutum: eſſe Deum, eumque conditorem omnium, quorum curam gerat univerſim, in ſpecie vero eorum, qui confidant ipſi; peccatum ipſo permittente natum, gratiam vero ejus fide & pœnitentia acquiri, liberatoremque a peccato illum ſuis deſtinaſſe; mortem & omnes inimicos Dei per glorioſam reſurrectionem denique eſſe vincendos. An diſtincte myſterium Trinitatis ſyſtema iſtud fuerit complexum, quærit, prolatisque ex Chaldæis paraphraſibus locis nonnullis, illiusque articuli apud Platonicos aliosque gentiles λειψάνοις, quæ probabile ſit ab antiquis acceptæ doctrinæ eſſe fragmenta; ad convincendum tamen adverſarium paulo acriorem, ea haut ſufficere, fatetur. Ipſe vero diſtinguendam eſſe concludit antediluvianam a poſtdiluviana Eccleſiam. Illam diſtinctisſime id cognoviſſe; ſiquidem probabile non ſit, Adamum, quem in ſtatu integritatis perfecte id intellexiſſe neceſſe ſit, ſtatim ejus fuiſſe oblitum; barbariem vero hominum ſenſim ſenſimque iſtam ſcientiæ Theologicæ partem extinxiſſe, Deoque claram tanti myſterii perceptionem renovare, ante ultima hæc tem-
c. IV. pora, non viſum eſſe conveniens. Hanc Patrum ante Moſen Theologiam ſcriptis propagatam haut fuiſſe, conſtat. Inde vero occaſio Autori naſcitur de litterarum origine diſſerendi, quas Moſe antiquiores

eſſe

eſſe contendit. Patres vero ante Legem ſenſibili cum Deo commercio fuiſſe inſtructos docet, in quorum familia hæreditarium donum propheticum fuerit. In Prophetis iſtis inprimis conſpicuum fuiſſe Enochum, cujus librum apocryphum non Judæi, ſed Chriſtiani, qui ne intellexerit quidem linguam Ebræam, autoris eſſe, contra Scaligerum oſtendit, contra quem idem olim Iſaacus Voſſius quoque defenderat. Mirum vero, clarisſimum Autorem exiſtimare, Judam in Epiſtola ex ſpurio iſto libro arripuiſſe fabulam de angelorum quorundam cum fœminis congreſſu, ut pateat ex collatione comm. 6 & 7. Certe enim optime cauſa Judæ ſe habet, ſi relativum τȣτοις v. 7. non ad Αγγέλȣς, verum ad Σόδομα καὶ Γόμορρα referamus, ſubjectumque orationis τὰς περὶ αὐτὰς πόλεις conſtituamus. In iſta porro ſucceſſione prophetarum, poſt diluvium inter ceteras quoque gentes ſervata, ut Jobi & Melchiſedeci patet exemplo, Balaamo locum vindicat, homini quidem peſſimis moribus, nec mago tamen, nec pſeudoprophetæ. Pſeudoprophetam nempe eſſe, qui vel jactet afflatum divinum, quem tamen non habeat; vel falſorum Deorum Dæmonumve ambiat inſpirationem. Neutrum Balaamo poſſe applicari. Deum etenim æternum eum conſuluiſſe de utraque Balaci legatione, ejusque peccatum in eo conſiſtere, quod Deo permittente tantum, & quidem cum indignatione, non præcipiente, lucri ſtudio ad Balacum accurrerit. Sermones porro ejus itineri ſe accingentis ad legatos Balaci; exſtructionem VII altarium, qui ſolennis fuerit in ſacris numerus, quod pateat ex Job. XLII, 18. 1. Chron. XV, 25. 2. Chron. XXIX, 1-29. & multis Scriptorum profanorum locis; ſermones Dei cum Balaamo de facie ad faciem, ſicuti cum Moſe, loquentis; ipſa ab eo profuſa oracula, iſtamque de Dei benedictionibus maledictionibusque earumque efficacia firmam perſuaſionem, nullum pſeudopropheticæ fraudis ſuſpicioni locum relinquere. Nec obſtare infame nomen קסם ei tributum; id enim fieri ob abuſum doni prophetici, ex lucri cupiditate: neque etiam, quod Moſes *incantamentorum* ejus mentionem faciat; id enim ſpectare ad ſuperſtitioſos quosdam ritus, ipſasque preces, quibus Deum movere ſe poſſe ſperaverit, ut ſibi maledicere populo permitteret; prætereaque vocem נחש in textu Moſis adhibitam, non ſemper in malam partem accipi, quod vel Joſephi Patriarchæ hiſtoria evincat. Sed nihil hucusque Autor

c. V.

de celebratissimis illis Noæ præceptis, de quibus jam toto capite
c. VI. VI agendum sibi putavit, eaque occasione luculenter de Proselytis justitiæ & Proselytis domus, quorum isti præceptis Noæ solis obligari, atque eorum observatione salutem consequi, Judæis credebantur. Eos esse putat, qui in Actibus Apostolicis σεβόμενοι, item φοβούμενοι τὸν Θεὸν & εὐσεβεῖς passim vocantur. Ex iisdem vero Actibus constare, eis in Synagogis Judæorum peculiarem locum assignatum fuisse, maximumque gentilium numerum, providentia divina, regno Christi viam sternente, & industria Judæorum, per universum orbem dispersorum, ad Proselytismum il-
c. VII. lum fuisse adductum. Ex illis fuisse prodigiosam illam ad Christum conversorum multitudinem, quæ tot florentissimis, per totam inprimis Asiam, Ecclesiis membra suppeditaverit. Istas vero observationes, quamplurimis historiæ Ecclesiæ nascentis difficultatibus solvendis sufficere. Occasionem scilicet inde tam subiti progressus doctrinæ Christi inter Gentiles patescere, qui magno numero ad Synagogas confluentes, Apostolos ibi ordinarie docentes audiverint; constare inde, cur tam facile manus veritati dederint victas, cum mirabilis alias videatur, imo incredibilis mutatio, qua ex profundissimis superstitionis tenebris, subito adeo ad lucem Evangelii fuere adducti. Lucem porro hinc accipere Hierosolymitani concilii Historiam. Pharisæos nempe ægre ferentes Evangelii inter proselytos hosce progressus, defendisse, ex gentilibus illos, qui in regni Messiæ partes venire velint, non Noæ tantum, sed Mosis quoque præceptis, & circumcisionis lege inprimis obligari. Paulum contra cum reliquis Apostolis acriter pugnasse, quod sufficiat esse proselytum portæ, & Noachicorum præceptorum observationi fidem in J. C. jungere. Indeque natum esse decretum Hierosolymitanum, de abstinendo ab εἰδωλοθύτοις, sanguine, suffocato & scortatione: quod omnia Noachica præcepta manifeste complectatur, præter V de rapina, & VI de judiciis constituendis. Hæc vero propterea omissa fuisse, quod omnium gentium legibus de illis satis cautum fuerit; nisi genuina quis addita illi decreto in Codd. quibusdam dicat, *de non faciendis adversus alios, quæ nobis fieri nolimus*, quibus duo illa præcepta luculenter comprehendi videantur. Hinc clarum esse, cur de sanguine & suffocato decretum agat, quod alias legem Mosis ceremonialem tum abolen-

lendam, sapere videatur. Nempe controversiam tractari inter Pharisæos & Proselytos portæ Ecclesiam ingressos, stantemque a partibus horum Paulum, *an sufficiat ipsis hic ipse Proselytismus?* Nunquam autem, in controversis rebus, plus dari parti, quam postulat: postulasse vero Paulum cum suis, ut legibus Noachi sibi vivere liceret: idque decreto concilii ipsis concessum fuisse. Patere hinc quoque, cur lex naturalis de fornicatione vitanda, in isto decreto jungatur legi ceremoniali de sanguine & suffocato; quoniam scilicet utraque in Noachi præceptis inveniretur. Male vero Ferrandum in Considerationibus Religionis Christianæ negare, decretum Hieros. Noachica præcepta continere, ex eo fundamento, quod post cessantem Jubilæorum usum, Assyriamque captivitatem, Proselytismus portæ quoque cessaverit. Crassissimum enim hunc esse errorem, & ex male intellecto Seldeno natum, qui tamen ipse quoque, quamvis absque idoneis rationibus, contra Schickardum defendat, Noæ præceptis cum decreto Hieros. nihil esse commune. l. I. p. 166.

Atque hucusque quidem de Patrum ante Mosen dogmatibus, de quibus tria illa, antequam ad alia progrediatur, observari cupit Autor. 1. Theologiam Patrum paucissimos absolvisse articulos: unicum præceptum ceremoniale de non effundendo sanguine, & sub eo comprehensam legem de sacrificiis, (siquidem omnis effusio sanguinis animalium sacrificii, ut paulo post ostendetur, ea ætate fuerit species,) habentem: 2. Semper illam Theologiam pro sufficiente ad salutem fuisse habitam. 3. Fidei & Theologiæ illorum Patrum nihil Religionem Christianam, præter distinctam Liberatoris cognitionem, addidisse, quæ proinde nihil aliud sit quam Patriarchalis Religionis consummatio.

A Dogmatibus antiquissimorum illorum hominum, ad Cultus eorum progreditur. Ubi primo ex duobus prioribus præceptis Noæ ostendit, & ad cultum externum Dei eos adstrictos, & idololatriam prohibitam fuisse: indeque horrendam Judæorum recentiorum, & Majemonidæ inprimis, confutat sententiam, Proselytos portæ ad adorandum nomen Divinum non obligari putantium. Infeliciter quoque Seldenum in L. III. de J. N. & G. in pingenda illa Helena versatum fuisse, ostendit. Cultum vero externum vota, preces, gratiarum actiones, & sacrificia absolvisse. c. VIII.

 Re-

Reliquas cultus partes nihil fere difficultatis habere, de ultimo diligentius agendum putat. Ante omnia igitur de sacra ista facientibus in antiquissima illa Ecclesia agit. Primogenitorum illud jus esse, communem dicit Judæorum Christianorumque sententiam. Sibi omnes homines, sine discrimine, ad hoc jus natos videri, quod Abelis Cainique, & Abrahami ac Gideonis, aliorumque firment exempla, istiusque juris omnibus communis ipsum Deum in lege voluisse vestigia extare, Levit. I, 45. item Levit. III, & Exodi XIX, nec non in mactatione agni paschalis. Primogenitis igitur hoc jus non solis competiisse, sed tamen per ἐξοχὴν quandam, ut scilicet pro fratribus quoque in solennioribus sacris facere possent, salvo interea jure reliquorum, modo emancipati & capita familiæ essent, quo casu & ipsi, sed in suis tantum familiis, sacra peragere potuerint: hæcque omnia ex Jure Regio primogenitorum, nihil dominio fratrum in suis familiis præjudicante, satis commode posse illustrari. Hujusmodi vero Sacerdotem κατ' ἐξοχὴν in numerosa quadam familia Melchisedecum extitisse. Gentem, in qua ille erat, Chananæam fuisse, eamque totam idololatricis cultibus minime corruptam. Hoc vero luculenter probare gesta inter Abrahamum & Hethitas Genes. 23, eundem & Abimelechum Genes. 20, eundem Abimelechum & Isaacum Gen. 26: Historiam item Sichemitarum Jacobi religionem suscipientium: Sodomorum item, in qua Deus ob L justos Sodomis parciturus, plures omnino in Chananæa dari supponat; Isaaci denique & Rebeccæ, quæ apud Prophetas Cananæos Deum consuluerit Gen. XXV, 22. Ipsum Melchisedecum fuisse ex tribus Noæ filiis unum, exinde colligit, quod dicatur *Sacerdos Dei summi*, quem titulum, singularis ἐξοχῆς indicem, non cuivis primogenito, sed inter primogenitos primo competere putat. Semum autem eum non fuisse, cum diserte testetur Epistola ad Ebræos, diversæ eum & Abrahamum extitisse familiæ, Semusque præterea cum suis non Cananæam sortitus fuerit, sed Chaldæam; nec Japhetum, qui extremas Asiæ oras & Europam cum suis occupaverit: Chamum ergo relinqui, quem Melchisedeciano indui sacerdotio ne paradoxum videatur, imo impium, apologiam Chami suscipit. Omnes itaque accusationes, qui-

c. IX.

c. X. p. 62.

quibus opprimitur atque contaminatur memoria Chami, duobus niti fundamentis dicit, peccato Chami, & maledictione Noæ. Peccatum ejus non sufficere, ut inter profligatissimæ improbitatis homines ponatur, quod non majus sit illis, quibus Noe, David, Samson, Salomon atque alii se polluerunt. Ut tamen natura peccati Chami melius cognoscatur, observandum esse, Deum antiquissimis temporibus illis, non Messiæ tantum, sed omnium rerum, temporibus novi Fœderis expectandarum, typos, ipsorumque adeo criminum etiam & ingratitudinis, qua excepturi essent beneficia divina nonnulli, proponere voluisse. Quædam igitur peccatorum, in antiqui Fœderis historia commemoratorum, typica esse, quæ in seipsis leviora plerumque sint, & crimina significent longe, quam ipsa, atrociora. Tale peccatum esse Esavi, jus primogeniti vendentis, quod in se non nimis atrox, atrocissimi criminis eorum, qui cœlestem πρωτογονίαν pro fluxis atque exiguis rebus vendant, sit imago: unde etiam βέβηλος Esavus appelletur Paulo typice, quemadmodum sacrificia *propitiatoria* dicantur, non quod ipsa sint propitiatio pro peccatis hominum, sed quod eam repræsentent. Typicum itaque hujusmodi peccatum Chami quoque fuisse, eorum repræsentans petulantiam, qui res, quas absconditas Deus esse velit, detegere, profanæque adeo curiositati suæ providentiam divinam ejusque mysteria prostituere audeant. Quantum ad Noæ maledictionem, eam quoque Chamo proscribendo minime satis esse. Non enim Chamum, sed Chanaanem eam ferire, idque neutiquam carere mysterio: nempe Noachum occasionem illam accipere manifestandi divini de expellendis Chananæis decreti, typicamque adeo eam esse, non ipsam Chami personam respicere. At & profana monumenta istam de Melchisedeco opinionem firmare. Sanchoniathonem enim cujusdam *Sidic* vel *Sedec* meminisse, qui sine dubio sit Melchisedec; hunc Dioscurorum patrem eundem dicere, Carybum item & Corybantum, eos vero filios Jovis communiter statui, Jovem porro viris doctis Chamum esse: Sedecum ergo vel Melchisedecum eundem esse cum Chamo. Sed hæc de Sacerdotibus, jam de Sacrificiis ante legem, quæ Autor juris naturalis non esse, contra Patres & Judæos veteres; non humanæ inventionis, contra Grotium probat, c. XIII. p. 81.

bat. Institutionis ergo esse censet divinæ, quam Moses, ut alia multa, præterierit; repetitionem vero ejus haberi Gen. 9, 4. quod ita ostendit: in verbis nempe *non comedetis carnem cum anima sua, qui est sanguis ejus*, manifestum esse putat præceptum de effundendo sanguine animalis, antequam comedatur caro ejus. Omnem autem sanguinis effusionem animalium comedendorum, esse sacrificium; Deumque adeo in omnibus locis, ubi præcipiat sanguinis effusionem, antequam comedatur caro, sacrificia instituere. Firmat hoc tum aliis argumentis, tum loco inprimis Levit. 17, 10. ex quo manifestissimum esse credit, prohiberi sanguinis usum propterea, quod Deus animalium sanguinem, ut qui anima sit, expiandis animabus destinaverit; ex qua observatione plurimorum Scripturæ locorum, ubi effusionis sanguinis mentio, illustrationem perquam

c. XIV. p. 89. ingeniose repetit. Sacrificiorum vero ante Mosen tres invenit species, holocausta, eucharistica sacrificia, & rerum inanimatarum seu aridiorum seu liquidarum oblationes. Materiam fuisse ait animalia pura, nec obstare Noæ in contrarium exemplum, quod plane sit extraordinarium, & ad expiationem totius naturæ ani-

c. XV. malis pertinens. Distinctionis autem purorum ab impuris origines, a temporibus antediluvianis repetendas esse, quibus esum carnis jam usitatum fuisse putat. Causam distinctionis naturalem abhorrentiam fuisse, ideoque non omnia animalia, quæ ob typicam vel moralem causam Moses in impuris censuit, pro impuris habita ante Mosen fuisse. Ceremonias sacrorum nullas commemorari; probabile ergo esse, fuisse easdem cum Mosaicis, quas Deus, ut ab hominibus inspiratis profectas, retineri voluerit. Castos & purga-

c. XVI. p. 104. tiones, lavatione & mutatione vestium peragendas, receptas & a Noachidis, ad plerasque gentes fuisse derivatas. Dies festos, cultui divino peculiari modo destinatos, eos habuisse nullos, sed eos familias, ut esset visum, determinasse: Sabbatumque adeo illo

c. XVII. p. 111. tempore nondum fuisse observatum, quod Fr. Gomari inprimis argumentis firmatur. Septenarium tamen dierum numerum, divisionemque adeo in hebdomadas, illis jam notam fuisse temporibus, quamvis nulla sabbati fuerit religio: quo supposito, pleræque religiosam Sabbati illis temporibus observationem defendentium objectiones solvi queant. Rem probare, quod periodicus Lunæ

Lunæ motus, quatuorque phases ejus, suadeant mensis in IV partes, quarum quævis sit VII dierum, divisionem; quod noverint illi creationis hexaemeron, & septimæ diei quietem; quodque Noa post columbæ dimissionem, septem dierum spatium effluere passus sit, antequam nova aquarum subsidentium experimenta caperet; idemque firmare historiam nuptiarum Jacobi cum Lea & Rachele. Locum quoque solennibus conventibus destinatum fuisse nullum, nullam religiosam confœderationem, nisi quæ sit familiarum, disciplinam ecclesiasticam & censuras nullas, nulla sacramenta fuisse: hocque uti necessitatis hierarchiæ Pontificiæ patronis cum maxime obest, ita Fanaticis tamen & Independentibus non favere, cum diversa diversorum temporum sit ratio. Matrimonii institutionem istis temporibus a Deo fuisse, ex Adami historia esse manifestum: leges matrimonii omnes complecti verba Adami, *ideo relinquet vir patrem* &c. consensum solum sine aliis ceremoniis omnibus, nisi quod convivia nuptialia fuerint instituta, matrimonium consummasse. Fornicationem simplicem permissam non fuisse: quicquid enim contra dicant Judæi, infamiam hujus criminis ex historia Dinæ patere. Pœnam autem lege fornicationi statutam nullam fuisse, pariter ac apud Græcos & Romanos, nec adulterio mariti cum fœmina matrimonii vinculo non ligata: bene tamen adulterio conjugio junctæ, quod ex historia Thamaris, quæ vidua licet, ex lege Leviratus pro ligata habebatur, pateat. Gradus prohibitos nullos fuisse, nisi quod patri filiam non licuerit ducere; atque adeo, quicquid alias valet graduum prohibitionis, juris esse positivi. Polygamiam inter fideles nunquam probatam, institutioni conjugii contrariam, imo & adversam typico matrimonii officio, conjunctionem Christi cum Ecclesia repræsentantis, (cujus vestigia in Cabbalisticis scriptoribus, ipsoque Platone indagantur) esse. Polygamos itaque Cainitas & improbos peccasse; Regibus Deum dispensasse Deuteron. XVII, 17; Prophetarum & Sanctorum polygamiam, itidem dispensantem Deum habuisse, mysteriique aliquid condidisse, quod in Abrahamo sit manifestum: ceterorum polygamiam Deum tolerasse. Divortia locum non habuisse; Abrahamum enim, Agarem dimittentem, proprie loquendo non fecisse divortium, & si fecerit, dispensatione id factum divina. Le-

[Margin notes: c. XVIII. p. 120. — c. XIX. p. 141. — c. XX. p. 141. — c. XXI. p. 150. — p. XXII. p. 159. — c. XXIII. p. 160. — c. XXIV. p. 165.]

 vira-

viratus legem valuisse, idque Thamaris & Onani exemplum probare, quod tamen cum unicum sit, difficile esse originis hujus legis indicium; forte Abrahamo e patria egresso primum illam esse datam. Rationes ejus diligenter Autor investigat, aliasque observationes circa Leviratus legem addit, inter quas & illa est ex Maimonide, quod ad fratres uterinos illa non extendatur: ex quo fundamento confutat Lucæ & Matthæi in Genealogia Christi conciliatores eos, qui Leviratus legi conciliationem superstruunt, cum tamen Jacob & Eli, a quorum altero legali, altero naturali successione Josephum pendere volunt, Estæ filii ex Matthan & Melki, a-
c. XXV. deoque fratres uterini esse supponantur. Abstinentiam a sangui-
p. 170. ne, ejusque causam, in tractatione de sacrificiis Autor tradidit; hic Judæorum tantum ea de re commenta, partim adducit, partim explodit. Carnium usum licitum fuisse putat: idque suadere usum animalium in sacrificiis, curam item pecorum, quæ ab Abele usque obtinuit; nec extare interdictum divinum usquam: ut adeo tacita Dei permissione usi fuerint homines, quam exprime-
c. XXVI. re Deo in novo cum Noa fœdere visum fuerit. Hanc vero Pa-
p. 175. trum ante Mosen religionem, hæc dogmata, hos cultus durasse annis circiter, 454, juxta calculum codicum Hebræorum: quem multum ampliandum censeat Præ-Adamitarum primipilus Isaacius Peyrera, cujus systema in compendio Clarissimus Autor exhibet, ne forte, si quando pereat Peyreræ liber, notitia ejus intercidat penitus, hoc ipso libro suo, cui vitam longiorem quam Pey-
c. XXVII. reræ fœtui ominatur, conservanda. At & Senes LXX, illorum-
p. 181. que patronum Isaacum Vossium, haut parum ab Ebræorum calculo recedere observat, cujus rationibus ex instituto satisfacere
c. XXVIII. conatur. Causam vero illius diversitatis esse putat studium Ju-
p. 188. dæorum, Ecclesiam suam Ægyptiis Græcisve augendi proselytis, quibus non facile fuerit persuadere, majorem, quam codices Ebræi tradiunt, mundi hujus non esse antiquitatem. Ea vero hic arte eos fuisse usos, ut primogeniti cujusvis natales centum tardius annis contigisse dicerent, ne si aliam rationem sequerentur, longæviores facerent Patriarchas, quam Ægyptiorum Græcorumque ferret credulitas: ubicunque vero nativitatem filii incidere in seram magis parentis ætatem dixissent Ebræi codices, ibi nihil adde-
re

re auſos Senes illos, ut in Jaredi, Mathuſalæ dein & Lamechi exemplis conſpicuum, ne incredibile videretur, ſero adeo illo tempore homines liberis operam dare cœpiſſe. Expeditam magis rem in poſtdiluvianis γενεᾶις fuiſſe, ubi cum generatio filii in XXX plerumque patris annum incidat, nihil a vero alienum ſe admiſſuros putarint, ſi C ubique addiderint annos. Cainanem hic non ab ipſis Senibus LXX, ſed vel negligentia, vel imperitia alterius cujusvis, ex Genealogia antediluviana fuiſſe inſertum.

Sed diu ſatis prima illa Pars hujus libri nos detinuit. In ſecunda, prætermiſſis dogmatibus Eccleſiæ Judaicæ poſt Moſen, de quibus nihil afferri poterat, quod ex ſcriptis Moſis & Prophetarum non ſit in vulgus notiſſimum, Hiſtoria cultus Judaici Moſis lege præſcripti, Judæorumque traditionibus ſive explicati ſive aucti, continetur. Hic primo agitur de loco cultus divini, oſtenditurque, templa nuſpiam extitiſſe ante exitum Iſraelis ex Ægypto, ſed ſub dio & in lucis ſacra fuiſſe peracta; quod firmatur ex Deut. VII, 4. 5. XII. 2. 3. ubi nulla mentio templorum. Uſum vero templorum ſub Judicibus primum invaluiſſe, in quorum Hiſtoria templi Dagonis mentio; ejusque rei exemplum a Moſis tabernaculo ſumtum, cujus deſcriptio luculenta ex Exodi XXVI & XXXV ſubjungitur, variæque ſedes enumerantur. Ei ſucceſſiſſe templum Salomonis, & huic templum ſecundum, ab Herode magnifice reſtauratum, cujus rurſum hiſtoria faciesque pariter, ac ipſius montis, in quo poſitum templum fuit, ex Ioſepho, Villalpando, Lightfooto, Ariamontano, Capello aliisque delineatur: imo & de ſchiſmaticis templis, in monte Garizin & Heliopolitano, ex Joſepho nonnulla adduntur. Succedit tractatio de vaſibus templi & cultus Levitici inſtrumentis. Ubi primo de arca & Cherubinis, quorum Autor, (Ezechielis & Joannis IV animalia & Eſaiæ Seraphinos, idem cum Cherubinis eſſe, illasque viſiones Deum habitantem in templo ſuo repræſentare, ſupponens,) eam exiſtimat formam extitiſſe, quæ quatuor vultibus, hominis, leonis, aquilæ & bovis conſpicua fuerit: eos vero cardinales miniſtrorum Eccleſiæ, Levitarumque adeo in caſtrametatione tabernaculum cingentium, virtutes, rationem nempe & intelligentiam, zelum & παῤῥησίαν, promtitudinem & diligentiam, indefeſ-

[Margin notes: P. II. c. I. — c. II. — c. III. IV. V. — c. VI. — P. II. c. I.]

ſum denique laboribus animum ſignificare. Imo & pro toto populo miniſtrare ſacerdotes, iſta quadriformi Cherubinorum facie indicari, cum in populi militantis inſignibus illa fuerint. Arcæ religionem tantam, ob conditum in illa divinum legis verbum fuiſſe, unde & arca teſtimonii dicta ſit: non fuiſſe eam in templo ſecundo, quod tabulæ Moſis, quas conderet, eſſent deperditæ. Cherubinos vero templum ſecundum, ob horrorem imagi-
c. II. num, quem in captivitate Judæi conceperant, non habuiſſe. In arca nil præter tabulas Moſis fuiſſe, nec obſtare autoritatem Pauli Hebr. 9, 3.4. ibi enim voces ἐν ᾗ non κιβωτὸν, ſed σκηνὴν reſpicere, h. e. Sanctum ſanctorum; quo loco commemoratus reliquus apparatus diligenter explicatur. Vaſa inde & appara-
c. III. IV. V. VI. tus τοῦ Ἁγίου atque atrii ſacerdotum perluſtrantur, deque ignis ſacri æterni miraculis, ut & de gradibus ſanctitatis in diverſis templi partibus, nonnulla adduntur. A vaſibus templi tertio lo-
P. III. c. I. co ad Sacerdotes fit progreſſus: ubi de ſucceſſione Sacerdotum ſummorum primi & ſecundi templi temporibus, de requiſitis ſummi Sacerdotis, de ejusdem autoritate & privilegiis. Illa oc-
c. II. III. caſione quæſtio ventilatur, de ſacerdotio Ahimeleci & Tzadoci 2. Sam. 8, 17. & 1. Chron. 25. 3. 6. & an ſummi eodem tempore Sacerdotes duo extiterint? quæ ita deciditur, ut Ahimelecus & Tzadocus Vicarii unici Sacerdotis ſummi Abjatharis fuiſſe dicantur, quorum alter Gabaone, ubi altare erat holocauſtorum, alter in monte Zionis, in conſpectu arcæ, miniſteria obierit; quod firmatur ex 1. Reg. II, 35. ubi Salomonis demum autoritate Abjathari in ſummo Sacerdotio ſucceſſiſſe dicitur Tzadocus.
c. IV. In veſtibus Sacerdotis ſummi deſcribendis dum occupatur, inpri-
c. V. mis diligenter doctorum virorum de Urim & Thumim colligit ſententias, probatque ſententiam Philonis, Joſephi & R. Hazariæ, quos ſequuntur Chriſtiani plerique, quod Urim & Thummim gemmæ fuerint in pectorali: de modo tamen, quo conſilia Dei illis fuerint ſignificata, nil definit, varias ſententias allegaſſe
c. VI. contentus: id vero, tanquam notatu dignum, de ſummi Sacerdotis veſtibus obſervat, quod die expiationis non uſus fuerit magnifico illo habitu ſuo, quodque in arce Antonia, quæ antea erat turris *Baris*, ille fuerit aſſervatus. De electione, inauguratione &

& oleo unctionis, vulgata omnia. Nec est, cur, quæ de Sacerdotibus, Levitis, Janitoribus, Cantoribus, Nethinim, item de Musica templi & instrumentis musicis habet, ut & de iis officiis sacris in templo secundo, quorum apud Judæorum magistros tantum mentio, nos valde morentur. In iis quoque, quæ de Decimis habet, magni Seldeni plerumque vestigia premit, & de Siclo sanctuarii a Petavio, Huetio, Villalpando & Brerevodo observata repetit. Ultimam igitur tractationis de cultu Levitico partem lustrabimus, in qua de sacrificiis, festis & ceremoniis, pœnis item legis transgressoribus destinatis agitur. De Sacrificiorum diversis speciebus, ex ipso Levitico, & Lightfooti, atque Ainsworti observationibus, inprimis agitur. Ea offerri nec a Gentilibus, nec a Judæis pollutis potuisse, ostenditur. Inde de quotidiani ministerii in templo ordine dispicitur & ratione; & quomodo munia sortiri Sacerdotes soliti fuerint. Porro de obeundis die Sabbat & in novilunis ministeriis agitur. Hinc de festis majoribus: primo de Paschate quidem, quod verum sacrificium esse, dubitare non posse eos existimat Autor, qui XVI Deuteronomii caput expenderint. Scaligerum etiam castigat, qui ante Solis occasum Pascha comedendum fuisse docuit: & ritus paschales a Judæis observatos, utut institutionem divinam non habeant, secundique Paschatis descriptionem diligenter prosequitur. In reliquorum festorum delineatione nihil occurrit, quod passim obvium non sit; ordine autem eleganti & concinna brevitate omnia, quæ scire maxime interest, ex libris Mosis, virorumque doctorum, Lightfooti imprimis & Ainsworthi, observationibus digeruntur. Idem esto de illis, quæ de Circumcisione, Sabbato, Schemitta sive anno dimissionis, & Jubilæo habet, judicium. De Purgationibus legalibus acturus, primo describit modum conficiendæ aquæ purgationis, ex miscela cinerum vaccæ rufæ, Maimonidæ fere in Tract. פרה & Ainsworthi secutus vestigia. Inde eosdem secutus, de purgatione lepræ, gonorrhϾ, menstrui, & contactus mortui, nec non de aquis amaris agit. De Cultibus voluntariis, non præceptis lege, sed approbatis, post Scaligerum observat, excessum eorum Pharisaismo natales dedisse. De votis, specie cultuum voluntariorum, agens, genus

c. VII. c. VIII. IX. P. IV. c. I-VI. c. VII. c. VIII. c. IX. c. X. c. XI. c. XI-XVIII. c. XVIII-XXII. c. XXIII. c. XXVII. c. XXVIII-XXX.

genus votorum per Cherem quoque describit, & ad illud Jephthæ votum refert, quem omnino filiam mactasse, ut satisfaceret voto, defendit. In doctrina de voto Naziræatus, de Pauli Naziræatu ex Actibus

c. XXXI. Apostolicis c. XIIX diligenter disserit. De pœnis transgressorum legis observat, quod in moralem legem impingentes non arceantur ab usu sacrorum, sed tantum impuritate legis ceremonialis contaminati, quæ nihil plerumque criminis habeat, ut leprosi, fœminæ in menstruo, puerperæ &c. Cujus rei illam reddit rationem, quod peccata moralia lege forensi punienda essent, ne itaque regula illa, ***non bis in idem*** violaretur, in ea lege ecclesiastica non fuisse animadversum. De Excommunicationibus disserens deni-

c. XXXII que, Seldeni sententiam confutat, qui excommunicatos sacris interdictos haut fuisse contendit, argumentis ex testimonio Rabbinorum, ipsaque indole excommunicationis petitis. Atque illa est summa eorum, quæ de dogmatibus & cultibus divinitus institutis, in prioribus duabus hujus operis partibus disserit. Jam in sequentibus duabus, de dogmatibus cultibusque falsis & idololatricis diffusæ eruditionis succedit tractatio, quam recensere diligentius par est, quam præsentis loci ratio permittat, ideoque in alium mensem accuratiorem rerum eo pertinentium recensionem differimus.

MEMORIE DEL GENERAL PRINCIPE DI MONTECUCCOLI.

Sive

RAIMUNDI MONTECUCULI PRINCIPIS Commentarii Bellici, Italice scripti, & in lucem producti ab HENRICO HUYSSENIO, Czaareæ Majestati a Consiliis Bellicis.

Coloniæ apud Societatem librariorum, 1704, 8.
Constant Alphab. 1 & 3 plagulis.

RAIMUNDUM MONTECUCULIUM, *S. R. I. Principem, Dynastam in Hoheneg, Osterburg, Gleis & Handorf, Sac. Cæsareæ Majestatis Consiliarium intimum, Aurei Velleris Equitem, Consilii bellici Præsidem, Cubicularium, Legatum Generalem,*

lem, Rei tormentariæ, & Castri Jaurinensis Præfectum supremum, inter maximos belli duces Seculum superius numeravit, cujus *Memorias*, sive *Commentarios de re bellica*, post bellum in Hungaria annis 1661-1664 feliciter gestum, ad Augustissimum Imperatorem LEOPOLDUM Hetrusco idiomate scriptos, nuper in lucem evulgavit Vir Nobilissimus, *Henricus ab Huyssen*, quem Potentissimus Moscorum Monarcha PETRUS ALEXIOVITIUS, institutioni Filii sui, Principis Rusficæ Juventutis Serenissimi, præfecit, & rei militaris inter alios Senatorem delegit. Tria nobis in hoc, non tam magnæ molis, quam eximiæ bonitatis, libro consideranda veniunt: Vita nimirum Montecuculi Principis; Elogium deinde Illustrissimi Comitis Flemingii, cujus nomini Commentarios istos a se primum editos nuncupavit Huyssenius; ac tandem ipsius opusculi dispositio atque argumenta.

Natus est Raimundus noster Mutinæ in Italia, anno seculi, quod nuper præteriit, octavo, ex perillustri familia Comitum de Montecuculo. Patruos habuit *Hieronymum* & *Ernestum* Montecuculos, illum quidem principem Status in Comitatu Tyrolensi Administrum, hunc autem apud Divum Ferdinandum II Imperatorem, rei tormentariæ Magistrum supremum, cujus virtus contra Batavos ita eluxit, ut Grotius in Historia Hollandiæ lubens fateatur, *nunquam res Ordinum pejore loco visas, quam quum Ernestus Montecuculus Bataviam premeret.* Apud hunc ergo patruum suum Ernestum, militiæ rudimenta posuit, ea ratione, ut ab infima gregarii militis classe, ad Dimachæ, Optionis, Centurionis & Præfecti Vigiliarum inter cataphractos munia, per gradus ordinarios adscenderet. Inciderat ætas ejus in triste illud tricennale bellum, quod Germaniam omnem, Austriam item, Hungariam, Bohemiam atque Silesiam funestis cladibus deturpavit. Quo quidem tempore, multa fidei suæ erga Celsissimos Austriæ Archiduces, quorum partes sequebatur, documenta dedit, quorum inter præcipuum numeratur, quod anno 1644 duabus cataphractorum legionibus, decem mille Suecos Nameslaviam Silesiorum obsidentes, eo ipso fere momento, quo Reichenavius, præsidii urbici Tribunus, deditionem meditabatur, festinatissimo itinere circumventos, acie fudit, & impedimenta, æque

que ac tormenta, quibus mœnia loci obſeſſores verberaverant, Cæſareanis in prædam relinquere coegit. Magnam hoc ipſi famam conciliabat, ſed brevi poſt, quæ bellantium vicisſitudo eſt, a Bannerio Suecorum ductore, victor Montecuculus vincebatur, eo majori ſortis iniquitate, quod Stetinum captivus abduceretur: ubi per annos fere duos in cuſtodia detentus eſt, quod tamen tempus, uti ab aliis laboribus ac muniis vacuum, Muſis ita conſecravit, ut frequenti librorum lectione, omnes carceris moleſtias falleret atque temperaret. Quum deinde Schlangius, magni nominis inter Suecos tribunus, prope Friburgum ab Auſtriacis captus eſſet, permutatione inter eum & Montecuculum facta, in libertatem vindicatus eſt noſter, cujus id ſtatim beneficium partibus ſuis exhibuit, ut cum Joanne Werthio, Cæſareanorum duce, anno 1646 Wrangelium in Bohemia cæderet, anno vero 1648 Holtzapfelio junctus, Vindeliciam, & inprimis Auguſtam, provinciæ caput, contra Kœnigsmarckium & Turennium protegeret. Cujus virtutis gloria lætus patruus ejus Erneſtus, ut calcar ipſi ad egregia facinora porro adderet, nepotem hunc ſuum omnium bonorum, ac præcipue Dynaſtiæ Hoheneg in Alemannia, hæredem ſcripſit. Quæ res, quum eodem anno 1648 inter partes belligerantes, Oſnabrugæ ac Monaſterii Weſtphalorum, pax ſolemnis concluderetur, anſam ipſi ſubminiſtravit, ut cum Caprara Comite, cive ſuo, per Germaniam utramque, & ipſam Sueciam peregrinaretur, ubi Chriſtina Suecorum Regina, imagine ſua adamantibus ornata, ob præclaræ fortitudinis famam, eum donare non dubitavit. Inde in Italiam tranſiit, & nuptiis Sereniſſimi Mutinenſium Ducis novus hoſpes interfuit, in quarum haſtiludiis ac torneamentis, poſt multa artis & agilitatis ſpecimina, Comitem Malzarium, alias amiciſſimum ſibi hominem, miro quodam fato, in decurſu equeſtri vicit, & haſta ex equo dejectum lethali vulnere, licet maxime invitus, confecit. Inde in aulam Ferdinandi III Imperatoris redux factus, ad matrimonium cum Illuſtrisſima Principe, Margaretha Dietrichſteinia, ineundum animum adplicuit, & Hatzfeldio Comiti primum collega, mox defuncto ſucceſſor, in præfectura exercitus Cæſareani, contra Succum & Ragotzium in Poloniam ducti datus, Ragotzium anno 1657

1657 debellavit, & Cracoviam Regi Jo. Casimiro restituit. Postea cum Barone Isola in Prussiam ivit, ad fœdus cum Brandenburgico Electore contra Suecos faciendum. Inde LEOPOLDI Imperatoris nomine, Friderico Danorum Regi suppetias contra hostes tulit, Gottorpium Slesvicensium metropolin expugnavit, insulam deinde Alsenam adgressus, 4000 Suecos sub Aschenbergii imperio sibi occurrentes profligavit, Sonderburgo, Norburgo & Oldensea quoque captis. Pace inter Suecum, Danum & Polonos anno 1660 sancita, quam Olivensem & Hafniensem auctores adpellant, Augustissimi Cæsaris jussu, Souchii ducis vices in se suscepturus, in Hungariam abiit, quæ dissidiis internis non minus, quam Turcarum & Tartarorum in Transylvaniam irruptionibus misere angebatur. Magna illic rerum agendarum moles generosissimi animi robur, atque indefessi ductoris vigilantiam requirebat, quas dotes qua ratione in se spectandas exhibuerit Montecuculus noster, ipse Commentariorum libro secundo capitibus quatuor ostendit, quibus acta annorum 1661, 1662, 1663, & 1664 cordate recenset. Priores quidem anni tres voto atque expectationi Aulæ Cæsareæ non responderunt, neque defuerunt ex æmulis ejus homines, qui Principem nostrum, nescio an socordiæ, aut timiditatis incusantes, FABIUM CUNCTATOREM, titulo quidem minime aspernando, nominarent: at vero iste ridiculas indignantium voces nihili æstimans, Commentariis, quos modo recensemus, ad LEOPOLDUM Imperatorem exaratis, caussas cunctationis suæ luculenter exponit: fuisse nimirum se missum in provinciam Germanis infidam, cum exiguis copiis, commeatus omnis generis defectu laborantibus, contra hostem robustissimum, tot victoriis hactenus obtentis, ferocem, subsidiis omnibus instructum, armis, commeatu, opportunitate loci multo superiorem. Vanas esse illorum voces, qui Turcarum illius ævi exercitum, & ducentorum mille militum robur, paucis quibusdam Germanorum legionibus, & levibus Hungarorum auxiliis, profligari facile posse, sibi persuadeant, quum certum sit, neminem celerius opprimi, quam qui alterum (ne dicam viribus adeo valentiorem) temere contempserit. Se quidem in istis rerum angustiis, omnia ducis pariter ac militis officia fuisse exsequutum, sed victoriam non esse sitam semper in hominum manibus,

neque ſine concordia & adparatu militantium impetrari, de cujus inopia quum ſæpius fruſtra conqueſtus fuiſſet apud ſtatus bellici arbitros, plus vice ſimplici de abdicando a ſe copiarum imperio cogitaſſe, niſi publicæ calamitatis magnitudo, & jurisjurandi religio, in fidei atque obſequii erga Domum Auſtriacam conſtantia ipſum continuiſſet. Poſt crebras tandem ſolicitationes effectum eſſe, ut de luculentioribus auxiliis, & frequentiore commeatu, exercitui in Hungaria ſibi credito proſpiceretur. Quod ipſum certe in cauſa fuit, ut anno 1664, Calendis Auguſti, ad fanum S. Gothardi, Principem Purpuratorum, quem Turcæ Magnum Viſirium vocant, animoſe adoriretur, & poſt acerrimum prœlium, in quo Gallorum auxiliarium virtus multum eluxit, horrenda 14000 optimorum militum ſtrage profligaret: quam victoriam ea felicitas conſequuta eſt, ut Barbarus, licet 40000 capita, præter lixas & calones, in exercitu adhuc numeraret, paucis tamen poſt conflictum diebus, ad vicennales inducias cum Divo LEOPOLDO paciſcendas compelleretur. Duci igitur tot laureis illuſtri Sapientisſimus Imperator per litteras ſua manu ſcriptas, pro navata ſtrenue opera gratias egit, eumque Conſilii bellici, poſt mortem Hannibalis Gonzagæ, Præſidem conſtituit, & ex multis unum delegit, qui Margaretham, Philippi IV, Hiſpaniarum & Indiarum Regis, filiam Infantem, LEOPOLDO noſtro Sponſam Auguſtisſimam deſignatam, per provincias exteras Viennam adduceret. In illa Legatione accidit forte, ut Hiſpanus quidam, magnæ dignationis, ſed & haud minoris faſtus homo, neſcio quo ſtupore primas ſibi præ Montecuculo partes arrogaret, & in publico quodam congreſſu, Legatum noſtrum rogaret, ut *Invictisſimum Imperatorem de amicitia ſua certiorem eſſe juberet.* Montecuculus tantam Hiſpani Thraſonis arrogantiam merito indignatus, extemplo reſpondit: *Bene habet, Domine, ſed id velim a me tibi dictum ſcias, Auguſtiſſimum Imperatorem, Dominum meum, jamdudum de humillima ſua erga Te obſervantia Te certiorem reddidiſſe*; qua promta, ſed falſa admodum reſponſione, Hiſpani illius ſuperbiam retudit. Cæterum magnam in Aula exſtimationem ſibi acquiſivit, Regemque Philippum permovit, ut Aurei Velleris Equitem crearet, quæ ſane dignitas non niſi optime in provinciarum adminiſtratione meritis conferri ſolet. Quum de-

deinde Ludovicus XIV Galliarum Rex anno 1672 Belgas Fœderatos funestissimo bello sub jugum mittere contenderet, atque Imperatori suppetias Batavis laturo Turennium Vicecomitem in Rhenanis limitibus opponeret, nemo Cæsareanorum ducum, ad reprimendum Turennium dignior aut prudentior habebatur, quam Montecuculus, qui anno 1673 exercitum in Imperio contra Gallos duxit, ac Viennam, finita expeditione, vocatus se contulit. Quandoquidem autem Souchius & Bornonvillius, qui anno 1674 copiis Cæsareanis cum imperio præfuerunt, nihil magni gesserant, anno iterum 1675 Montecuculus ad Rhenanos milites missus est: quæ certe expeditio cunctorum animos suspensos detinuit, quod duo maximi totius Europæ duces, ambo fortissimi, prudentissimi etiam ambo & artium bellicarum callentissimi, pugnarent, alterque astum alterius eluderet. Dedit enimvero fortuna Montecuculo belli palmam, quum Turennius, citra spem, ad Sasbachium in Alsatia, globo e tormento majori misso miserrime verberatus caderet, & Lorgius atque Condeus, qui defuncto statim surrogabantur, receptum Gallorum, quos Cæsareani casu illo in rem suam usi premebant, unice cogitantes, vix turmas suas in tutiora reducere possent. Tanta virtutis & felicitatis prærogativa, coronam quasi & clausulam expeditionibus suis imposuisse videtur Montecuculus, qui in aula reliquum vitæ tempus transegit, & in tertiis LEOPOLDI Cæsaris cum Palatina Neoburgica Passavii celebratis, atque a se ex Sponsi jussu frequentatis nuptiis, conjugem interim amantissimam, Viennæ mortalitatis legibus obsequentem, amisit; quem acerbissimum veterani Ducis sui dolorem mitigaturus LEOPOLDUS, ipsum Sacri Romani Imperii Principem, Carolus autem II Hispaniarum Rex, eodem momento Amalfi Ducem creavit, qui honores filio ejus Leopoldo Philippo anno 1689 nova confirmatione collati sunt. Vitæ tandem ac honorum plenus, militiæ Austriacæ per annos plus quinquaginta sectator, unius uxoris vir, unius etiam filii modo laudati, & trium filiarum, Aloisiæ Annæ, Carolinæ Polyxenæ, atque Ernestinæ, viris Celsissimis nuptarum pater, postquam pestis metu LEOPOLDUM Imperatorem, Vienna relicta, Pragam & Lincium comitatus esset, anno 1681 d. 16. Octobr. expletis vitæ annis 72, mensibus octo, hæmor-

rhoidum fluxu Lincii extinctus, apud Patres Societatis Jesu Viennæ quietorium invenit. Ex argutis inscriptionibus, quarum oppido multæ in ejus fata compositæ passimque obviæ sunt, unum hoc nobis anagramma præ cæteris arridet: MONTECUCULI per anagramma CENTUM OCULI; cui sequens hexastichon additum novimus:

Centum oculi vigilant pro te Jovis armiger ales,
Non potes in bellis succubuisse tuis.
In bellis Alemanne tuis succumbere nescis,
Centum oculi pro te nocte dieque vident.
Centum oculi servant, quam quæris, Galle, Coronam,
Non cadet ante tuos unica gemma pedes.

Alter, ad quem a Montecuculo transitum facimus, *JOACHIMUS HENRICUS* est, *S. R. I. COMES de FLEMING, Præfectus supremus Stabuli Magni Ducatus Lithuaniæ, Augustissimi Poloniarum Regis Saxoniæque Electoris Consiliarius Intimus, Equitatusque Imperator supremus, nec non Postarum per Saxoniam Præfectus generalis hæreditarius, S. Ordinis D. Johannis Eques, Mareschallus hæreditarius ulterioris Ducatus Pomeraniæ & Principatus Camini, Dominus in Martentin, Boeke, Schwirsen, Leussin, Baumgarten & Sclavenczicz* &c. Heros ævi nostri famigeratissimus, & toga æque ac sago clarissimus, cujus Familia, sicut in epistola ad ipsum dedicatoria Huyssenius narrat, antiquissima est, & ex Anglia, in quam *Flaminii* Romani gentili jure sunt recepti, ortum trahere scribitur. Parens nostri Comitis apud Potentissimum Prussiæ Regem in Curia Provinciali Pomeraniæ locum principem (vulgo Præsidem adpellant) obtinuit, Patruus autem apud Saxonem & Brandeburgum Electores Campi Mareschallus, sive supremus copiarum ductor fuit, cujus in Vienna anno 1683 ab obsidio Turcarum vindicata, virtus ita eluxit, ut Divum LEOPOLDUM ad restituendam ipsi Comitis dignitatem, quæ jam alias Familiæ propria fuerat, permovisse memoretur. Ipse Comes noster Flemingius, postquam studiis animum haud leviter imbuisset, anno 1688 militiæ nomen dedit, & D. Guilielmo Arausionensium Principi in Angliam cum Belgarum & Fœderatorum auxiliis trajicienti comitem se dedit, altero autem anno ad exercitum Brandeburgicum regressus, obsidionibus Cæsaris Werdæ & Bonnæ, ac cruento postea prœ-

lio

lio ad Fleuriam ſub Waldeccio Principe interfuit. Quum deinde Spaanius & Flemingius, celeberrimi Duces, hic Patruus, ille Avunculus Comitis noſtri, copias verſus Rhenum & Moſam ducerent, atque Sereniſſimus Ludovicus Marchio Badenſis, Galliarum Delphino prope Heilbronnam caſtra opponeret, Joachimus noſter Henricus, brevi ante D. Joannis Melitenſis Eques Sonneburgi creatus, contra Gallos in Imperio, mox iterum contra eosdem ſub Schonbergio in Pedemontio militavit, ubi in prœlio Marſalino leviter quidem vulneratus, & ab Aula Brandeburgica magno honore, ut in partes ejus ſponſione perpetua tranſiret, mactatus eſt. Noluit tamen fidem Potentisſimæ Domui Saxonicæ datam deſerere, ex qua JOANNES GEORGIUS IV Elector ipſum Colonelli, quem vocant, & ſupremi vigiliarum Magiſtri titulo inſignivit, FRIDERICUS vero AUGUSTUS ſucceſſor Colonellum Dimacharum & illius manus, quæ pilas ignitas (Granata alias dicunt) in hoſtem conjicere ſolet, conſtituit. Qua nova dignitatis acceſſione decoratus, Viennam præmiſſus eſt, ut Electori ſuo, exercitum e Saxonia inſtructisſimum in Hungariam ducturo, & copiis ibi Cæſareanis cum imperio ſummo præfuturo, expedita omnia & parata redderet. Tot ergo miniſteriis ad votum Heri ſui ſtrenue ac feliciter perfuncto, novus iterum labor, isque eo illuſtrior, quo difficilior, offerebatur. Cum enim poſt Joannis III Poloniarum Regis mortem, de novo Rege deliberaretur, & Contius Gallus candidatos reliquos omnes ſuffragiorum multitudine facile ſuperaret, cujus tamen electio Germaniæ maxime perniciosa reputabatur, nervi omnes intendendi erant, ut eo rejecto alius quidam Heros deſignaretur, a cujus electione nihil, quod metuerent, Germani haberent. Qui huic voto meritorum & virium amplitudine magis par eſſet, nullus hercle erat, præter FRIDERICUM AUGUSTUM, Electorem Saxoniæ, Celſisſimi ſanguinis Ducem, & duplici adverſus Turcas in Hungaria expeditione longe lateque celeberrimum: cujus ſummum erga Rempublicam adfectum, magnas opes, fortisſimi exercitus robur, aliasque incluti Stemmatis prærogativas, Flemingius noſter, Patris Patriæ ad Polonos Legatus Excellentisſimus, adeó dextre commendavit, ut Saxo potiores præ Contio partes obtineret, communi ſanioris

Europæ gratulatione, in solium Regale Polonicum eveheretur, & Tarnovicii, quæ superioris Silesiæ, ad Poloniæ confinia, urbs est, splendida Sarmaticæ Nobilitatis Legatione exciperetur, ad cujus alloquium extemporanea oratione, Regis nomine, Flemingius respondit. Quantum porro Comitis nostri, in componendis internis quorundam Magnatum dissidiis, studium fuerit, quanta ejus, quum exercitus Saxonici dux esset designatus, in Livonia invadenda moderatio & in Dunamundæ & Koberiæ castellis perquam munitis, sed ab ipso intra paucos dies captis, fortitudo enituerit, qua dexteritate Legationem in Aulam Danicam nuperrime susceperit, qua fide Regi suo in turbulentissimis regni motibus adhæserit, id omne prolixius epistola dicta Panegyristes noster exsequitur; ex qua propter loci angustiam & brevitatis studio, nihil ulterius adnotamus, quam matrimonium illustre, quo ipso ob Virginem Principem de Sapieha, Koniuszancam Lithuanam, in uxorem ductam, cum Celsissimis Lubomirsciorum, Radziviliorum, Sapieharum, aliisque splendidissimis Familiis adfinitatem contraxit, & Indigenatus Polonici jura consequutus est.

Cæterum ut ad ipsos Montecuculi de re bellica Commentarios revertamur, in iis certe maximam demonstravit prudentiam. Integrum opus in Libros III dispescuit, quorum prior capitibus sex absolvitur. Cap. I generalius de bello agit. II de adparatu; ad quem tit. 1.) homines, qui stipendio conducendi, ordinandi, armandi, exercitandi & in disciplina continendi sunt, 2) rem tormentariam, 3) commeatum & victum, 4) impedimenta, 5) numos sive æs militare refert. Cap. III, quod Dispositionem inscribit, consilii maturi atque exsequutionis festinæ rationes exponit, & tit. 1.) de quibusdam universalibus, 2) de respectu ad vires & robur copiarum, 3) ad provinciam, in qua bellum geritur, 4) de respectu ad destinatum sive propositum, 5) de bello offensivo, 6) de bello defensivo, 7) de suppetiis alteri ferendis, regulas tradit. Cap. IV docet, qua methodo ad actum procedi debeat, & quidem tit. 1) qua ratione decreta exsequutioni danda, 2) silentium sancte custodiendum, 3) celeritas summopere observanda, 4) itinera caute suscipienda, & 5) castra tuto collocanda. Quoniam vero duplex

plex

plex pugnæ modus eſt, vel ad fortalitium, vel in acie, idcirca Cap. V Fortalitium delineat, cujus nobis tit. 1) ſtructuram & munitiones, 2) invaſionem, 3) defenſionem, & quidem α) contra ſtratagemata, β) contra impetum apertum, γ) contra obſidionem, δ) contra oppugnationem, ε) per ſuppetias mature ferendas deſcribit. Cap. VI aciem inſtruit, ubi 1) ſpeculatores emittendi, 2) inſidiæ collocandæ, 3) foſſæ vallo muniendæ, aut etiam ſuperandæ occurrunt. In ipſa pugna animus non eſt deſpondendus ob multitudinem hoſtium, ſed pugnandum alacriter, recedendum aliquando ſapienter, & adverſa conſtanter ferenda. Libro ſecundo Cap. I. §. 1-15. acta anni 1661. Cap. II. §. 16-20. anni 1662. Cap. III. §. 21-39. anni 1663. Cap. IV. §. 40-72. anni 1664. narrat, de quibus paullo ante in vita Montecuculi Principis egimus. Liber tertius Aphoriſmos Imperatori ſuppeditat, in quibus, qua ratione bellum contra Turcas in Hungaria commode geri posſit ac debeat, illuſtratur. Illi capitibus quinque includuntur, eadem fere ratione ac diſtinctionum modo, quo ſuperius libro primo ab ipſo factum eſt. Magna enimvero ſunt conſiliorum pondera, quæ ibi adducit, quibus ideo ſanctior habenda eſt fides, quod ex calamo Ducis veterani proveniunt, cujus haud exigua fuit in bellis Turcicis experientia, & qui in his ipſis commentariis eam ducibus ac militibus ſuis normam præſcripſit, quæ non uſu tantum moderno, ſed & autoritate Vegetii, Frontini, Plutarchi, Livii, Julii Cæſaris, Taciti, cæterorumque ex antiquitate præcellentium de re bellica ſcriptorum confirmatur, quorum loca & teſtimonia, ad oram pagellarum ſubnectit. Magnas itaque grates Huyſſenio debent lauri militaris candidati, quod doctisſimas ſummi atque ſapientisſimi Ducis de re bellica inſtitutiones, ex cancellis, in quibus hactenus inter rariores ſchedas, velut theſaurus quidam ſepultus paucisſimisque cognitus, delituerunt, in diem ac lucem extraxit, cui Nobilisſimo Viro ad plura ejus generis ſcripta cum orbe literato communicanda, vires, otium, atque perpetuam Potentisſimi Monarchæ, cujus miniſterio ſe conſecravit, gratiam ex animo adprecamur.

DE PROPHETIE DES PROPHETEN JOELS &c.

i. e.

PRO-

PROPHETIA JOELIS, COMMODA ANALYSI, succincta verborum phrasiumque explicatione, solidaque veritatis Prophetica demonstratione illustrata. In novem distributa Periodos, ex praenunciatis tam Ecclesia quam Reipublica fatis constitutas. Demum vaticiniorum, quoad ejus fieri licuit, docetur eventus & ad usum applicatio. Accedit solida disquisitio, quousque Orientalis Ecclesia duratura sit profanatio? Autore JOH. JACOBO SCHURMANNO, V. D. M. apud Clivienses.

Vesaliæ apud Jacobum van Wesel, 1703, in 4.
Constat Alph. 1. pl. 23.

Dedic. * 3. QUæ in sanctissima Divi Joelis oracula, in publico divinioris cœtus consessu, A. 1695 copiose ornateque Reverendus Autor dixerat, haud ita multo post in literas relata, publici fecit juris. Cupidos hæc commentaria invenerunt emtores, rumorque erat, vernaculam eorum Belgas meditari versionem; hinc bibliopolæ id dedit precibus, ut versioni manum ipse admoveret, & quæ Germanico ante ediderat, in Belgicum transfunderet sermonem. Cujus ad nativum si minus assurgat decus, ejus sibi rei haberi rogat veniam, nec nato Belgæ, nec tam verborum sectato lenocinia, quam Spiritus virtutem.

Præf. *** Operis vero universi ut ratio constaret Lectori, accuratam præmisit analysin, qua digestis ex temporum serie oraculis, omnem totius Prophetiæ ambitum novem periodorum spatio definit. Duæ effusionem Spiritus S. antecedunt; sequuntur septem, quibus omnis Novi Testamenti ætas continetur. Quibus in singulis ita versatur Autor, ut in exordio tum argumentum expediat, συνάφειαν & scopum, tum analysin subjungat; hinc ad explicationem pergat, cui prædictorum subnectitur eventus, & ad usum accommodatio. Nos ne vel rerum obruat copia, vel fugiant, quæ notam merentur, argumentum notabimus & eventa, ex his potissimum Autoris mentem perspici posse rati.

p. 9. Prima itaque periodus inde a deficiente, templi secundi ætate, Prophetico Spiritu, ad primam usque Romanorum protenditur in Judæam incursionem, ducibus Lucullo & Pompejo factam.

Men-

Membris constat quatuor, quibus sanctissimus Vates, pauca de p. 1.
sui autoritate muneris auditorumque partibus præfatus C. I, 1. 2. 3. p. 13.
adulteratam de Messia doctrinam deplorat v. 4. in populi invehi- p. 24.
tur flagitia, divinamque denunciat vindictam v. 5. 6. 7. lamentabi- p. 37.
lem ecclesiæ faciem, rebus sic se habentibus, describit v. 8-12. omni- p. 51.
umque ordinum hominibus pœnitentiam imperat v. 13-20. Quæ
omnia satis apparet quadrare in Christi, & Johannis, & proxima p. 20.
his tempora, quibus nec sinceritas doctrinæ, nec vitæ integritas, p. 34.
nec suum ecclesiæ constabat decus, Luc. XIV, 1-6. VI, 7. sq. XVI, p. 47.
19-31. Hinc & Numinis in se provocabant iram Luc. XIX, 43. Matth.
XXII, 10. & tot acerbas Christi exprobrationes, qui ipsos lacrymis,
ut voce Johannes, ad pœnitentiam hortabatur, signaque velut di- p. 69.
gito monstrabat, quæ diem Domini prope esse docerent, Matth.
XVI, 3. sq. *Secunda* a redacta sub Romanorum potestatem Re-
publica Judæorum, ad effusionem pertingit Spiritus Sancti C. II, 1-27.
qua gravissima pœnarum, ex gentis pertinacia oriunda, minatur
incrementa v. 1-11. eo cumprimis spectantia, ut ad frugem redeant, p. 74.
facinorumque pœnitentiam agant v. 12-17. Ita nimirum fore, ut p. 91.
pace foris parta, & restituta imperii dignitate, ex tot se belli cala-
mitatibus carnalis Judæorum populus reficiat, v. 18-22. forte vero p. 208.
multo lautiori filii Zion gaudeant, omni spiritualium bonorum
copia affluentes v. 23-27. Nec secus postea usu venit, cum pace
cum Græcis composita, rebus Judæorum imminerent Romani, fœ- p. 88.
dera simulantes, & amicitiæ fidem. Contra Tigranem enim Ar-
meniæ Regem missus in expeditionem Lucullus, Syriam omnem
Romanorum subjecit imperio; nec ita multo post Pompejus, re-
gia Seleuci posteros dignitate exuens, eandem in provinciæ rede-
git formam. Mox ubi de imperio Aristobulus & Hircanus am-
bigerent fratres, arbitrum cepere Pompejum, cujus cum auctori-
tate Aristobulus standum negaret, Hierosolymas obsidione cin-
gens Pompejus, proditione urbem, templum vi capit, cæsis XX
millibus Judæorum, supremoque ipsis territorii jure adempto. Tot p. 205.
itaque defuncti cladibus Judæi, Johanne cumprimis animos ad
pietatem solicitante Matth. III, 10. sqq. ad sacram velut anchoram
confugiebant, precibus & fletu admissorum veniam, divinamque
poscentes opem, Luc. I, 67. 77. II, 37. 38. Haud irritas divinum has p. 216.

p. 229. preces habuit Numen, quin pacem Reipublicæ, religionem templo, populo annonam restitueret & facultates; aureum vero seculum, quod Deum orbi dedit ex virgine hominem natum, piis indulgeret, cujus in exponenda felicitate prolixam Evangelistæ o-
p. 233. peram posuerunt. *Tertia* periodus præclaris Novum Testamentum primordiis auspicatur, mirabili divini Spiritus unctione Apo-
p. 253. stolos perfundens v. 28-32. fusius a Luca Act. II descripta. *Quarta* ob oculos judicium ponit, in valle Josaphat faciendum C. III, 1. 2. 3. cujus explicationem, quæ in diversas interpretes sententias
p. 267. rapuit, ex 2. Chron. XX Noster petit, & in ea existimat tempora incidere, quibus Judæi juxta cum Romanis, qua in Christianos sævierant, crudelitatis pœnas dabant Matth. XXIV, 6-22: cum & feralis Hierosolymarum urbi illucesceret dies, & ab excessu Neronis tres Imperii ad se gubernacula rapientes successores, cæde ac sanguine universam complerent Italiam, ipsique demum Ca-
p. 271. pitolio infestas subjicerent flammas. *Quinta* sordes describit ecclesiæ & maculas, commercio quod cum Tyro & Sidone ipsi fuerat, susceptas v. 4. 5. 6. Vix dum enim ecclesia ex ethnicarum persecutionum emerserat ærumnis, cum quietis suæ secura, damnosam cum Tyro ac Sidone amicitiam jungeret, humanisque locum
p. 284. daret institutis, varias divinæ veritati inferens corruptelas. Romana sane ecclesia, postquam a Pauli immane quantum! deflexit doctrina, id quicquid commercii est, alienum a se reputare nequit. Hoc nimirum istud est, ex quo operum manarunt merita, verbi divini contemptus, Scholasticæ Theologiæ tyrannis, & ceremoniarum quicquid vel e Synagoga vel e Gentilium quoque sacris a-
p. 290. doptavit. Haud impune tamen hanc Tyrus & Sidon tulere fraudem, pœnas seductionis dantes gravissimas delictoque consimiles, quas *sexta* Periodus prænunciat, liberationis ex illarum potestate
p. 299. spem faciens ecclesiæ v. 7-11. Nec eventu caruisse vaticinium, Apocalypsis c. XI, 11. sqq. XIV, 1. 2 6. 8. æque ac Historia testatur reformationis, nostraque confirmat ætas, & comprobabit ventura.
p. 303. *Septima* judiciis in hostes ecclesiæ habitis colophonem imponit, ultimum describens in gentes exercendum finitimas, quo peracto
p. 310. alta pax ecclesiæ, tutaque obtinget quies. Eventum & Apoca-
p. 311. lypsis docuit c. XX, 7-10. & dies dabit. *Octava* secundam orbi re-

ſurrectionem v. 16. 17, Johanni quoque Ap. XX, 11. 13. 27. & Paulo Rom. XI, 25. ſq. decantatam, fertilitatem eccleſiæ, ac ab adhærente labe mundationem v. 18. coll. Apoc. XXI, 6-27. XXII, 1. 2. & cædis ac violentiæ ſublationem v. 19. a Johanne confirmatam Ap. XXII, 11. 15. pollicetur. *Nona*, quæ N. T. ſeptima eſt & ultima, eccleſiæ in terris conſummationem docet, qua firmo ipſa habitaculo, ſanguis piorum, pro impuro hactenus reputatus, digna ſui æſtimatione, & ſpiritualis Zion pleniſſima Divinæ Majeſtatis præſentia gaudebit v. 20. 21: cujus per membra ſingula, haud obſcura reperire licet apud Johannem veſtigia, Ap. XXI, 9-27. XX, 4. XXI, 3. 22. 23.

p. 324. 335. p. 337. p. 343. p. 344. p. 352.

Cæterum, quo auctior hæc Belgica ornatiorque prodiret editio, commentationem Autor, pari cum ſuperioribus ratione compoſitam, adjecit, qua ex Dan. VIII, 9-14. & 23-27. temporis eruuntur limites, quibus Eccleſiæ Orientalis circumſcribitur profanatio. Nec enim in aliam credit hoc vaticinium referri poſſe ætatem, quam qua ſub Muhammedanæ tyrannidis jugo Orientis gemit eccleſia, illatamque ſibi labem deplorat, probat. Minus recte ſcilicet communem ſe habere ſententiam, qua de Antiocho Epiphane hoc dictum fuiſſe oraculum creditur. Nec enim 1) in Antiochum regio ſatum ſanguine 1. Macc. I, 11. quadrat minimi ex minimis cornu deſcriptio v. 9; nec 2) temporis, quo oriundum cornu fertur, ratio cum ipſius componi poteſt ætate; quin 3) inter quatuor iſta Antiochus ipſe locum obtinet cornua, nec ex illorum aliquo, ut iſtud apud Danielem v. 9, demum prodiit. Tum & 4) Antiochi ætate legis adhuc in populo Dei obtinebat ſervitus, quam jam ſublatam per adventum Meſſiæ Daniel memorat v. 10. 11. & 5) exactior, quam quæ in Antiochum cadere videtur, Meſſiæ cognitio huic tributa cornu legitur v. 11. nec 6) ſanctuarium cultumve Leviticum, cui extrema minatur v. 12. 24. Antiochus abrogavit, obtinente Maccabæorum virtute. Præterea nec 7) numerus 2300 matutarum veſperarumque v. 14. deſignatus tempori congruit, quo Antiochi continetur imperium; nec 8) ſine manuum fractus dici poteſt opera v. 25. Antiochus, Judæorum profligatus armis, eaque de cauſa mœrore confectus 1. Macc. VI. nec 9) ulla obſignationis prophetiæ v. 26. ſi de Antiocho explicanda

Dedic. Append. † 3. p. 4. p. 31. p. 32. p. 33.

p. 34. illa sit, reddi ratio potest. Porro vero de Anti-Christo qui hanc intellectam voluerit pericopam, his maxime incommodis urgebitur, quod 1) Anti-Christus ex quarta, cornu vero Danielis e tertia ortum ducat bestia: 2) ille ex terra Ap. XIII, 11 hoc prodeat ex mari: 3) Occasum iste, hoc Orientem perdat: nec 4) satis utrinusque inter se tempora conveniant. Muhammedem itaque hoc designare cornu, Autor Reverendus existimat, α) non jure dignitatem regiam, sed vi ac fraude adeptum; β) tempore quartæ Monarchiæ, imperante Heraclio, exortum; γ) cætera humi-
p. 35. li natum loco; δ) durisque adolescentiæ initiis usum, minimum
p. 36. adeo vere ex minimis cornu; ε) ingenio sagacem & ex menda-
p. 40. ciis ac fraude consutum: qui veritatem humi prostravit, consummatum dogmatum systema Alcoranum commendans; super Messiam se extulit; juge abolevit sacrificium, Christi nimirum morte factam peccatorum expiationem negans; & Messiæ demum
p. 48. sanctuarium evertit. Hujus itaque imperii cum definiendum tempus est, vesperarum equidem matutarumque numerum 2300 determinavit Propheta: e quo cum 1150 prodeant anni, octoginta circiter ipsius adhuc restarent imperio, si a Muhammedis ortu computationis ducendum initium esset. Longe vero aliud & obscurissimum subducendi calculi initium cum Daniel indicet propheta v. 13. Christi memor moniti Act. I, 7. Autor, ultra quidem, quam scriptum est, scrutari religioni sibi ducit: haud ita tamen longe Muhammedani finem imperii abesse arbitratus.

DISSERTATIO PHILOSOPHICA DE CAUSA Motus & Principiis Solidorum Corporum, Authore THEODORO SANTVOORT, J. Fil.

Ultrajecti, apud Hermannum Hardenberg, 1704, 4.
Constat 1 Alphab. 20 plag. cum. Fig. æn.

PEr multa equidem secula inter Philosophos de magnorum corporum, Solis puta, Lunæ & Terræ &c. motu cum disceptatum fuit, in eo potissimum indagando hi solliciti fuerunt, qualia sint hæc corpora, & quæ ex iis moveantur, aut quiescant? Verum de eorum qualitate, motu aut quiete, imo & magnitudine, certi quid

quid cognosci non potest, nisi perspectum habeamus, quæ sit causa horum motuum; id quod in præsenti tractatu declarare sustinuit Clarissimus Santvortius. Ut autem hoc eo felicius præstet, in variorum motuum causas, & aquæ ignisque naturam ante omnia inquirit. Aerem itaque & aquam idem esse elementum pronunciat, siquidem aquam non minus in aërem mutari, quam hunc in illam transire, quotidie cernamus; ita ut aër aqua expansa, aqua vero aër condensatus dici commode valeat. Ignem pro elemento non habet, sed pro accidente in materia combustibili, adeoque existimat, ignem ab aëre separatum & vasi inclusum ignem non manere, sed in quantum consumtus non fuerit, frigidum rursus & tractabile fieri corpus. Præcipua autem Authoris hypothesis, cui reliqua explicanda innituntur, hæc est: quod scilicet corpus solidum calidum moveat corpus fluidum frigidum, & corpus frigidum fluidum moveatur ad & in corpus solidum calidum: quemadmodum & corpus solidum frigidum movet corpus calidum fluidum, & corpus calidum fluidum ita movetur, ut ad & in corpus solidum frigidum fluat. Quo posito, explicari poterit, quomodo duplex ille ventus, qui quibusdam in locis, ut intra Tropicos, & præcipue proxime Æquatorem, contrariis ex partibus, intra 24 horarum spatium deprehenditur, oriatur? Scilicet terra medio die arida & vehementissime fervens, tanquam corpus calidum, impetu quodam ad & in se aërem frigidum movet; quem hac ratione supra terram imminutum sequitur ille, qui mari hactenus incubuit, donec circa mediam noctem æquale aëris & terræ sit frigus. Cum jam rapidus iste fluxus e mari ad terram fecerit, ut plus aëris supra terram quam supra mare sit, tum temporis refluere hic incipit a terra ad mare: & cum mare calidam materiam, sal, in se contineat, adeoque magis calidum sit, quam terra, illud frigidum aërem magis ad se movet; accedens denique Sol oriens, tanquam corpus magis calidum, aërem vicinum ad se movet, quem insequitur alius ex rore & humectatis plantis productus. Maris enim aqua in aërem abire non potest, quia hæc in continuo motu posita Solis efficaciam non admittit, adeoque nec attenuatur. Sed hæc ex hypothesi Ptolomæi explanavit Noster. Tantum enim abest, ut Solem

cap. 1. cap. 2. cap. 3. cap. 4. cap. 5.

lem quotidie terræ globum quiescentem circumire statuat, ut potius terram ad Solem moveri existimet. Quia enim terra corpus opacum & frigidum est, necessario ad Solem, tanquam ad corpus calidum accedit. Deinde nihil fingi potest celerius globo ex tormento excusso; si jam Sol terram circumiret, deberet ille singulis horis ad minimum emetiri 400000 milliaria Germanica; qui motus cum millies fere rapidior sit motu globi tormentarii, talis dari neutiquam potest. Tandem si corpus ardens vento exponatur, flatu inflammatur, ita tamen, ut inde calor nec contra ventum, nec ad latera, nec in altum possit emitti. Calor quidem, quem a Sole accipimus, ex igne oritur: si autem motu tam celeri Sol terram circumveheretur, non posset in terra, etiamsi decuplo minus a Sole remota esset, calor a Sole percipi, quia in tam celeri motu nullus calor a latere emitti posset, quicunque vero sentiretur, post Solem flueret. Ergo terra ad Solem movetur. Quoniam autem terra rotunda est, ideoque ab una tantum parte eodem tempore calefieri potest: unum latus terræ postquam aliquamdiu Soli oppositum fuit, incalescit, & plus quam mediocriter fervet, adeoque Solis corpori non amplius adhæret, sed recedit. Quemadmodum igitur motus diurnus terræ præcipue ex eo oritur, ut partes frigidæ temperate incalescant, ita sequitur certe, frigidos polos motum aliquem in diurno motu terræ producere, quo singuli vicissim Soli obvertantur, & calescant; & inde motus an-
cap. 6. nuus est deducendus. Posito hoc motu terræ ab occasu in ortum continuo, sequitur, quod, quemadmodum navicula ab equo celeriter tracta & stagnantem findens aquam, vehementer longeque diffusum in aqua producit motum: ita terra inæqualis, i. e. modo montium fastigiis evecta, modo vallium profunditate devexa, per motum suum pernicissimum aërem continuo findat, & moveat, unde venti oriuntur perpetui, qualis est Eurus in mari Pacifico aut 12° aut 15° ab Æquatore, tam in Arctum quam in Austrum; qui tamen ventus in terra non persentiscitur, non solum propter continuum aëris adscensum & descensum ad & a Sole, verum etiam propter inæqualitatem terræ aërem secum vehentis, imo propter diversam regionum naturam, & pluviam inæqualiter decidentem. Dum igitur aër sub Euro generali avehitur, hic tanquam

quam corpus in locum relictum aliud corpus efflagitat, unde prope oras Peru & Chili novus aër a Septentrione & Austro Æquatorem versus affluit, atque inde versus Indiam Orientalem pergit; Ibi hic aër ab Æquatore versus Polos cedit usque ad 18° vel 21°, deinde iterum in Ortum fluit, versus Peru & Chili. Hujus aëris fluxus Zephyros illos facit, qui ab utroque magni Euri latere a 15° ad 30° versus utrumque polum inveniuntur. Eurus itaque hic & Zephyrus generalis constat perpetua quasi circulatione ab Ortu in Occasum, & inde rursus in Ortum. Cum itaque certum sit, stabiles ventos ex perpetua caloris æqualitate exsurgere, sequitur necessario, quod in locis, ubi inæqualis est calor, ut extra Zonam torridam, incerti sint venti. Motu hoc aëris exposito, facile itidem erit fistulæ sic dictæ, quæ fit, cum columna aquæ e mari, stagno aut fluvio in aërem adscendit, causam indagare. Scilicet cum aëre & aqua plantæ, fruges &c. alantur, vesperi certe plus aëris in terram movetur, quam mane Sol attollit, i. e. aër semper imminuitur. Quando ergo magna & longa siccitate terra penitus incaluit, adeoque aër mari incumbens ad terram vehementissime movetur, tanta ejus est raritas, & expansio, quanta esse potest; ita ut supra mare spatium pene inane & aëre vacuum relinquatur. Impetu tum Solis in aquas incipiunt aquæ fremere, spumare & quasi in vortices agi, tandem contrahuntur, & quasi per antliam attolluntur magnæ instar columnæ, quæ a fervente terra partim attrahuntur, partim rarescunt & expanduntur, sicque justum aëri temperamentum redditur. Quoniam autem fervens terra non nisi frigidam aquam attrahit, calidæ aquæ marinæ partes seu salinæ attenuantur, & in aëris naturam transmutantur. Cum magna siccitate plures fistulæ simul evectæ sunt, tam celeriter illæ ad terram moventur, ut in nubes rarescere non possint; evadunt ergo illæ graves & densæ nubes, ac nimbi ex illis in loca maxime ferventia funduntur. Saturatis sic terris, & aëre iterum condensato, quod reliquum est, per aërem natat, in modum tenuium & levium nubium, quæ hinc inde feruntur, & ubicunque terra plusquam temperate calet, in eam placido imbre descendunt; imo descendunt etiam pluviæ, etiamsi nulla adsit terræ siccitas, quoniam

(margin: cap. 7. — beside "ubi inæqualis est calor, ut extra Zonam torridam"; cap. 8. — beside "illæ graves & densæ nubes")

am nubes leviores in ſublimi conſtitutæ ad Solem moventur, quam vim cum inferiores non experiantur, ſponte ſua deſcendunt eædem, & in pluvias reſolvuntur. Noctu tamen, abſente Sole, non ſemper hæ deſcendunt, quia nubes ad alia loca ferventia motæ no-
cap. 9. ſtram oram tranſeunt. Quando ſalſæ maris elevati partes ſunt reſolutæ in nubes, aër tum ſalſus deprehenditur, & frigidæ, non ſalſæ partes ad terram ferventem moventur. Quodſi igitur nubes æqualiter delabi poſſent, aër poſſet cedere verſus utramque partem. Cum vero extremæ nubium partes teneriores ſint mediis, ideoque facilius deſcendant, aër ſalſus undique includitur, & comprimitur, ſub qua compreſſione vehemens oritur motus aëris ſalſi, qui igneam flammæque ſimilem ſpeciem, fulgur dicendam, edit; aër vero nubem penetrans, non ſolum ſplendorem, ſed & fragorem, tonitru dictum edit, quia tot denſas nubes obſiſtentes eo loco offendit. In mari vero oriuntur tonitrua, quando e. g. in magno mari Septentrionali fiſtulæ elevantur, aliæque in loco 200 aut 300 milliaribus diſtante evehuntur, aër inter utrumque locum interceptus, pro recuperanda ſua temperatura aliquid attrahit, & ſic dum nubes diverſis in locis ortæ ſibi invicem illidun-
cap. 11. tur, eadem phænomena producuntur. Aer frigidus ſalſus dum veſperi ad terram movetur, a radicibus plantarum & arborum magis attrahitur, quam ab aliis harum partibus, quia illæ ſub terra latitantes non directe Solis radios excipiunt, ſed foventur, & majorem calorem conſervantes aëris frigus avidius attrahunt; Sole vero redeunte, humidæ partes iterum attolluntur, relictis ſalibus, quæ propter menſtrui defectum in corpora ſolida faceſſunt, plantamque nutriunt. Semina vero terræ gremio concredita creſcunt, dum frigido aëre nocturno cincta, quoad compages, quibus cortices cohærent, macerantur & emolliuntur, ita ut aër ſalſus ad poros penetret, & interdiu verſus ſuperiora, tanquam ad locum a Sole magis calefactum aſcendat, & ſic incrementum plantæ efficiat, veſperi autem, ubi ſuperficies terræ citius frigeſit, quam interior ejus compages, deorſum vergat, tanquam ad locum magis
cap. 12. calidum, ſicque radices producat. Magnetis phænomena explicaturus Noſter ſupponit, hyeme multum aëris ſalſi ad & in terram moveri, & in lapides ac venas lapideas (quales ſunt ferri) penetrare; ferrum autem dum præparatur, ſecedere materiam ſal-
ſam

sam sub specie vitri a ferro puro, non salso; ita ut ferri frigus sit ad minimum medium inter temperamentum & summum frigus. Jam si silices cœrulei 50 aut 60 annis in loco, ubi propter continuum frigus sale ita repleti sunt, ut nihil amplius salis admittant, jacuere, evadunt corpora media inter temperamentum temperatum & summum calorem, & fiunt magnetes, i. e. calida hæc corpora movent ad se frigidum, seu ferrum. Quoniam autem cum aëre salso aër etiam non-salsus seu frigidior eis permistus est, fit, ut dum partes salsæ acutæ & acri acie præditæ ingrediuntur lapidem, aër non-salsus ad alteram partem hæreat; hinc prior pars polus arcticus, posterior antarcticus dicitur. Pyxidis nauticæ hæc est ratio: supponit Clarissimus Author, continuo fluxu aërem salsum ab Æquatore undique ad polos terræ, tanquam ad loca frigida ferri, hasque particulas salsas in polo sibi obviam fieri, & exceptis illis particulis, quæ in terram & lapides motæ sunt, in altum tolli, & sic ad calidiores regiones remeare. Jam si acui nauticæ polus magnetis arcticus affricetur, communicantur huic particulæ calidæ salsæ aëreæ, quæ antea ad septentrionem in lapidem fuerunt motæ. Acu ergo in centro suspensa, illa pars, quæ polo arctico magnetis allita est, cum generali salsi aëris ad septentrionem fluxu eo insimul abripitur. Sed exinde sequeretur, ab altera parte Æquatoris, cum propius ad polum antarcticum accesseris, acum pyxidis debere verti, eamque partem, quæ ante arctum ostenderat, tum austrum ostendere; quod tamen non fit, quia in polo antarctico nulla terra, sed aqua est, adeoque aër salsus ad hunc polum non movetur. Quod virgæ divinatoriæ effectus attinet, sciendum, Cap. 13. quod ex ramo coryli cæso frigidi succi sub exsiccatione plerique exierint; si ergo geminum ejus cornu quis utraque teneat manu, cujus succi frigidissimis partibus sunt referti, aridum lignum non solum frigidum humorem, sed & ejus frigidissimas partes ex corpore hominis attrahit; quæ hydrargyrum frigore pene æquantes per extremitatem ligni avolant, & ad aurum, tanquam corpus calidissimum, in terræ gremio latens moventur. Mittimus montes ardentes, quos sulphureis partibus glacie Cap. 14. & magno frigore compressis inflammari dicit Noster; & progredi-

 mur

mur potius ad principia solidorum corporum, quæ cum ab initio non talia fuerint, tota rerum natura habuit materiam aëream aqueam densam, salsedine aliqua permistam, cujus particulæ calidæ salsæ constituerunt semina, in solida corpora abitura; hæc enim frigidas partes ad se traxerunt, donec infra temperamenti modum rursus frigerent, tum iterum calidas, modo frigidas ad se moverunt, donec sensim in corpora majora accreverint, & quidem rotundæ figuræ, aëre scilicet æque vicino undique & æqualiter accedente. Cum igitur seminibus his corpora solida crevissent, quorum diameter dimidium milliare habebat, non poterat aër salsus & non salsus penitus intrare, totisque corporibus misceri; hinc compage modo frigida, modo calida, corpora ista sunt obducta. Atque sic tantum hæc ceperunt augmentum, ut diameter eorum 200 milliaria haberet. Interim compages interiores, quæ 20 milliaribus a superficie aberant, tot compagibus inclusæ, adeoque ab omni aëris communione segregatæ, vehementer efferbuerunt, siquidem calidissimæ & subtilissimæ salis partes a frigidis fugatæ confluxerunt, & sulphuris naturam acceperunt. Cum autem frigidæ partes in calidas compages magis magisque penetrarent, ipsæ etiam sulphureæ partes premi & fermentari cœperunt, atque superpositas partes perruperunt, sicque inæqualitas tam superficiei quam naturæ in corporibus solidis facta fuit; poterant tamen adhuc augeri, calidis partibus frigidas, frigidis calidas attrahentibus. Aër tum frigidus in depressiora loca majori copia confluens, quam qui omnis possit consolidari reliquis partibus, & condensatus aquarum principium constituit. In infinitum autem hæc corpora crescere non potuerunt, quia aër absumtus sensim fuit, donec non amplius rarefieri, & vastis corporibus in alimentum cedere potuerit. Ex aëre porro salso & non salso arena & lutum formatum est. Quod si igitur magna compages lutea fermentatione allevata & aliquoties cumulata monti extanti similis esset, aëris frigore sævissimo undique cingebatur hæc; cum calidus aër potius ad loca plana flueret, & in declivi subsistere haud potuerit; hinc frigore isto & temporis diuturnitate lutum hoc concrevit in duras cautes & lapides. Verum, cum non tantum in ter-

ræ

ræ superficie rupes extent, sed etiam in ipsius visceribus, sciendum, quod tum temporis, ubi terræ diameter 200 milliarium erat, eodem modo rupes factæ fuerint; successive vero crescente terræ mole, planities circumjecta salsum & non-salsum aërem attraxit, & ita altior facta rupes transcendit & obtexit. Ut autem corpora solida inflammarentur, hoc modo factum est: Cap. 16. Compages horum superiores frigidæ, ob summam aëris raritatem, calidum aërem trahere amplius non potuerunt, hinc in glaciem sunt congelatæ. Postquam autem glacies hæc magis magisque creverat, compages calidæ subjectæ frigore urgeri & premi cœperunt, atque ita calidissimæ earum partes sulphuris naturam induerunt, & orta demum fermentatione glaciem violento impetu perruperunt. Hac ratione salsæ compages tectæ non-salsis inflammatæ sunt, ita ut centenis aliquot locis flammæ per rimas ruptarum compagum emicuerint: compages autem inclusæ jam ardentes cum totæ constent materia combustibili, satis materiæ erat, ad alendum incendium per aliquot annorum millia. Quoniam vero circa hæc corpora ardentia nullus aër non-salsus, quo refrigerari possent, amplius aderat, moveri cœperunt hactenus immota ad corpora minora non-ardentia, & aëre non-salso stipata, & quia latus, quod frigido aëri occurrebat, refrigerabatur, parte adversa calida adhuc existente, factum est, ut eadem corpora vel instar rotæ vel globi circumagi cœperint. Interim calor hic magni corporis ex minori omnem humiditatem & frigus ad se traxit, ita ut & hæc minora inflammata fuerint. Dum igitur corpus calidum e. g. Sol, prope corpus frigidum e. g. terram, illud pro sui refrigeratione, hoc pro calefactione fuit circum rotatum, aër insimul utrumque corpus ambiens insigniter est motus, qui concurrens in spatio Solem & terram intercedente condensatus est, & effecit non solum per pressionem, ut terra a Sole aliquatenus recederet, sed vitrum quasi causticum constituit, quo mediante terra a Sole incalescere possit, & terra cum Sole vinculo quasi colligaretur. Præter duos dictos, appropinquationis scilicet & circumgyrationis, motus, tertius adhuc accessit, nempe declinationis, quo scilicet mediante utraque corpora pro meliori circa polos vel calefactione vel frigefactione, alterum ab alterius Æquatore in ar-

arctum & austrum inflectitur. Corpora hæc dicto modo circumgyrentia, fluxu suo aëreo propinqua corpora e suo loco natali insimul secum moverunt, Terra quidem Lunam, Sol vero Mercurium & Venerem. Et quia Solis corpus majus & ardens est, majorem aëris molem movit, qui motus accedentibus Mercurii & Veneris corporibus adhuc magis auctus est, donec Terra simul cum Lunæ fluxu Solis fluxu inclusa & cincta fuerit. Jam Solis fluxus, extra terræ fluxum undique se dilatans, corpora vicina secum movit, & primo quidem Martem, qui fluxu suo terræ fluxum ambiente hunc ita inclusit, ut terra nullum corpus parvum amplius secum movere potuerit. Auctus sic Solis fluxus Jovem cum suis satellitibus, ac tandem Saturnum secum movit. Cum igitur singula corpora cum suis fluxibus alio circulo & fluxu coërceantur, nullum ab eo corpore, quod fluxum, vehementem singula, excitat, recedere aut aberrare potest. Et quia Saturnus non aberrat, colligitur, fluxum ejus extremis fluxibus aliorum corporum terminari & coërceri, & sic alios quoque planetas cohiberi, ut maneat idem ordo & motus.

cap. 17. Stellas fixas quod attinet, sunt hæ corpora ardentia, quæ itidem a frigidis invisibilibus refrigerantur; seu sunt totidem mundi vel Soles, terra cum luna sua & planetis stipati. Hi planetæ videri a nobis non possunt, quia parva corpora in aliis fluxibus, & a nobis tam remota sunt. Quodsi tamen contingat, ut extremus planeta mundi nobis vicini in ea parte circuli sui feratur, quæ mundi nostri lateri contigua est, Soli nostro propinquior redditus, ab hoc tanquam majori lumine aliquatenus obscuratur, ita ut speciem virgæ aut caudæ referat, sicque cometa evadat.

cap. 18. Pergimus ad principia animantium, plantarum & metallorum. Dum caro putrescit, partes ejus frigidæ in auram abeunt, relictis oleaginosis calidis, quæ intra cuticulas in globulos contrahuntur, & frigidas carnis particulas ad se movent, atque cuticulam seu putamen quasi contrahunt, i. e. evadunt ovula. Dum autem successive caro materia frigida non-salsa privatur, & calidam retinet, fit ut accedente externo aëris calore ovula foveantur, & vivi vermes excludantur pro diversa animalium illorumque partium conditione diversi. Ex qua hypothesi clarum quoque evadit,

dit, quomodo ex caſeo, frumento, farina &c. vermes naſcantur. Sic pariter cum in principio humor frigidus ad Solem moveri cœperit, partes ſalſæ calidæ oleaginoſæ in ſuperficie terræ relictæ, & accedentibus dein particulis frigidis, putamine obductæ fuerunt, & ſemina evaſerunt, quæ per calorem, quem ſemper uberiorem attraxerunt, quam frigefactæ fuerant, tali temporis ſpatio, quantum cujusque proportio exigebat, fota, in plantas denique & animalia excreverunt. Illarum propagatio per ſemina ut fiat, dictum eſt, hæc vero ſequenti modo multiplicantur: ſanguis in columbis e. g. qui in carnem faceſſere non poteſt, abit in fœminis ad ovarium, ovaque format, in maſculis ad teſtes, & ſperma producit; quod cum contineat particulas calidiſſimas, magnum calorem in maribus efficit, cum e contrario fœmellæ propter jacturam particularum in ova mutatarum magis frigeant. In coitu igitur particulæ calidæ ex mare tranſeunt ad corpus frigidum fœminæ, & ſic utrique temperamentum conciliatur, ovaque foventur & tandem excluduntur. Metallorum generationem quod attinet, producuntur hæc in illis locis, ubi propter montes altiores & in climate frigidiori poſitos, ſalia oleaginoſa minus confluere & ſemina conſtituere poterant, ſed magno frigore lapideam contraxere naturam. Circa gravitatem corporum notandum, quod, cum contrarium ſit, ut corpus idem frigidum & calidum ſimul trahat, falſa ſit hypotheſis eorum, qui centrum terræ lapidem & prunam in altum conjectam attrahere exiſtimant; cauſa vero, quæ corpus in altum projectum a terra recedere prohibet, debetur aëri, qui partim propter celerrimam terræ rotationem, partim propter rapidum per ſigna Zodiaci progreſſum, partim propter refluxum ejus, qui finditur ad corpus Lunæ, in terram ruit & trahitur. Tandem cum quotidiana globi terreſtris circumvolutio ſola operatione Solis in loca ſicca, non in aquas fiat, ſequitur, quod, ſi terra tota aliquandiu aqua tegatur, rotatio ejus ſit ceſſatura. Jam autem mare ſemper creſcit, quia ſemper magna arenæ copia cum fluviis ei infunditur, imo ipſum a littoribus lutum & arenam aufert; quemadmodum igitur hactenus multæ jam terræ inundatæ ſunt, ita reliquæ etiam aliquando inundabuntur. Et quia omnia corpora ſolida majo-

cap. 21.

cap. 22.

ra ex eadem creverunt materia, ita singula pariter eidem mutationi sunt obnoxia. Sic si in Sole decrescant terræ, aquæ vero surgant, non tantum ignium in paucioribus terris existere potest. Interim decrescentibus etiam nostri orbis terris, manet tamen proportio, possuntque mutuò Sol & terra nostra refrigerari & calescere. Cessabit igitur aliquando motus ille, si decrescentibus identidem terris, corpus utriusque aut totum aut maxima ex parte undæ tandem sint invasuræ. Hinc corpora ista spatio temporis, quod satis est, dissolventur, & in pristinæ materiæ naturam redibunt; quemadmodum plantæ & animalia mortua non statim dissipantur, sed pro ratione soliditatis citius tardiusve in aërem & terram abeunt. Corporibus sic magnis dissipatis, eorumque materia per omne spatium sparsa, & pristinam naturam rursus adepta, aër spissior erit, & densior; in quo spatio interjecto extremis languidisque aliorum mundorum (nondum dissipatorum) fluxibus facile exinde semina novorum corporum solidorum excitari & crescere, i. e. novus mundus exsurgere poterit.

LE GRAND THEATRE HISTORIQUE.
i. e.

THEATRUM HISTORICUM MAGNUM, SEU Nova Historia Universalis, tam Sacra, quam Profana, a creatione Mundi usque ad initium seculi XVIII. Opus quinque tomis divisum. In usum Celsitudinis Regiæ Serenissimæ Principis Heredis Regni Prussiæ.

Lugduni Bat. apud Petrum van der Aa, 1703, in fol.
Constat Alph. 19. pl. 12. & figuris quam plurimis nitidissimis.

Quicunque fuerit operis hujus eximii & elegantissimi Auctor, quem ardua in Aula summi Principis negotia tractare, e Bibliopola discimus, tanto certe labori haud imparem fuisse, ipsum opus recto oculo intuentibus liquet. Etsi enim in usum maxime Principum juventutis, speciatim Serenissimi *Friderici Guilielmi* Regni Prussiæ & Electoratus Brandeburgici Hæredis conscriptum sit, attamen tam exquisitum ubique studium emicat, ut cujuscunque conditionis hominibus, atque adeo iis etiam, qui diu in historiis versati sunt, haud exiguo usui esse possit. Ne autem

autem ornatus deesset, tum ut res gestæ animis firmius imprimerentur, insertæ sunt operi tabulæ æneæ prope sexcentæ, cum plane in modum, uti in Joannis Ludovici Gottofredi Chronicis Germanicis, a Matthæo Meriano excellentissimo chalcographo repræsentantur, ut tamen & his artis haud parum atque gratiæ accesserit, & additæ præterea fuerint figuræ aliæ quam plurimæ ab aliis excogitatæ, maxime in ea historia, quæ res post annum 1618, quo Chronica illa finiuntur, gestas exhibet. Cæterum a Gottofredo longissime discedit Noster, quandoquidem & plenior est magisque subinde excurrit, quod e. g. vel unam Honorii historiam considerantibus patebit, quæ cum apud illum vix duas paginas compleat, hic ultra vigesimam sextam porrigitur, & ordo denique omnis multo in hoc opere præstantior est. Dividitur illud quinque partibus, quarum singulæ in periodos diversas, atque hæ rursus in capita distribuuntur, quibus subjungitur plerumque brevis auctorum, e quibus res suas hausit Noster, enumeratio. Et prima quidem parte Auctor ab initio mundi usque ad mortem Augusti Cæsaris progreditur, inde secunda ad Carolum Magnum, tertia ad Carolum IV, quarta ad mortem Ferdinandi III, quinta ad annum 1702 pertingit. Tametsi autem post absolutam Israelitarum, Judæorum, Ægyptiorum, Persarum, Græcorum, Romanorumque historiam, principem locum tribuat Imperatoribus Romano-Germanicis, distinctis tamen simul capitibus de Gothorum Longobardorumque in Italia regno, de expeditionibus sacris, de Saracenis, Normannis, Albigensibus, tum de Gallis, Italis, Hispanis, Lusitanis, Britannis, Belgis, Suecis, Danis, Polonis, Moscis aliisque populis, nec non sigillatim aliquot in fine cujusque partis capitibus de Ecclesiæ fatis egit. Uti vero in civili historia, si qua in re auctores parum concordabant, vulgarem sententiam secutus est, sic in ecclesiastica ita se composuit, ut habita ubique veritatis ratione, nulli parti nimium obnoxius esse videatur, Baronii jam aut Spondani, jam Centuriatorum Magdeburgicorum auctoritate usus: quæ autem de eruditis, qui passim inclaruere, ad finem seculorum afferuntur, brevia sunt & minoris momenti. Quantum ad Chronologiam, eam ad Josephi Scaligeri & Sethi Calvisii

visii mentem in antiquis exigit, in recentioribus Dionysii Petavii & Baronii æræ vulgari inhæret. In utraque vero Historia, & antiqua, & moderna, pari industria versatus est, & ne quicquam desiderari posset, indicem adjecit locupletissimum, qui locorum communium historicorum vice esse poterit. Hinc cum stylo etiam florido, & qualis Historicum decet, gavisus sit Auctor doctissimus, non potuit non talem plane Historiam generalem procudere, qualem frustra hactenus expetiverunt eruditi. Specimen e tanto opere afferre, prolixum foret & supervacaneum, neque repetere opus est, quæ in præfatione erudita de utilitate Historiæ, deque officio & requisitis Historici, tum de fontibus, quibus in antiqua Historia usus est Auctor, luculentissimis afferuntur.

COMMENTARI DI GIO MARIO DE' CRESCIMBENI, intorno alla sua Historia della Volgar Poësia &c.

i. e.

JOHANNIS MARII CRESCIMBENI, ACADEMIÆ Leopoldinæ Collegæ & Custodis Arcadiæ, in suam de Poësi vernacula Historiam Commentariorum Volumen I.

Romæ, apud Antonium Rossi, 1702, in 4.
Constat Alphab. 2. plag. 11.

DEbueramus equidem Doctissimi Auctoris elegantissimos in vernaculæ Poëseos Historiam, quam in Actis anni cIɔ Iɔc XCIX mense Novembri recensuimus, Commentarios, ab ipso ad nos, pro solita, qua pollet, humanitate transmissos, jampridem talium deliciarum avidis exhibuisse. Verum obstitit Clarissimi Viri, qui hoc in se susceperat, tum incommoda, qua cum diu colluctatus est, valetudo, tum variæ, quibus obrutus fuit, molestiæ variique labores. Itaque serius paululum, quam id fieri par erat, officio nostro defungimur; curabimus tamen, ut tarditas ista diligentia, quam in excerpendo adhibebimus, compensetur. Ante omnia vero gratias agimus Clarissimo Crescimbeno, quod in Præfatione de qualicunque nostro judicio sibi gratuletur, optamusque, ut non tam nostro, quam aliorum eru-

ditis-

ditisſimorum virorum judiciis ſtimulatus, vaſtum, quod aggreſſus eſt, argumentum ſolita accuratione induſtriaque abſolvat. Enimvero primum hoc Commentariorum volumen impenditur primo Hiſtoriæ libro, ſexque itidem libris conſtat, in quorum priori de origine Poeſeos Hetruſcæ copioſe diſſerit, idque Cap. I & II agit, ut Gallis Provincialibus & Siculis ortum Poeſeos vernaculæ adſcribat. Laudat vero inter Poetas Sicu- p. 4.
los Alphonſum Arragoniæ Regem, & Fridericum II Imperatorem.
Simulque *Cap. III* Malateſtæ Strinati ſingularem de Hebræorum p. 7. 8.
Rythmis, Epithalamioque Salomonis iisdem illigato, obſervationem repræſentat. *Cap. V* in eo eſt, ut oſtendat, verſus vernacu- p. 13. ſeqq.
los a Latinis originem trahere. *Cap. VIII* Italos parum felici- p. 18.
ter ultra verſus hendecaſyllabos proceſſiſſe, affirmat. *Cap. X*, p. 24. 25.
ubi de verſibus ſolutis, ut Itali vocant, agit, Hymnum non incelebrem Franciſci Aſſiſiatis in Solem exhibet, quem Frater Pacificus ejus comes modis muſicis aptavit; monetque, Benedictum Menzinum integram de moribus Philoſophiam hoc carminis genere traditurum. *Cap. XII*, ubi de occaſu Poëſeos vernaculæ a- p. 33.
git, dolet Tragœdiis & Comœdiis rite elaboratis, apud Italos ſuos Dramata, ſive Opera, ut audiunt, Muſica ſucceſſiſſe, & Gratiani aliorumque recentiorum carmina Heroica lyræ quam tubæ aptiora eſſe cenſet. Laudat tamen Balthaſaris Antonii Caraccii carmen Epicum, cui *Imperii vindicati* titulum præſcripſit, ejusdemque *Conradinum* Tragœdiam. Lib. II de Lyrica p. 34.
Poëſi ejusque variis generibus diſſerit, ac *Capite X* venuſtisſi- p. 59.
mam Jo. Michaëlis Milani Oden de luce, Amſtelodami anno 1698 typis exſcriptam, commendat. *Cap. XI* de Sextinis, ut p. 60. ſeqq.
vulgo vocant, diſſerit, easque ſeculo proxime ſuperiore XVII apud Italos antiquatas fuiſſe memorat. *Cap. XIV* usque ad *XXI* p. 107.
Sonulis impenduntur, guſtusque ſeculi depravatus, quo fit, ut argutiis & oppoſitionibus nimium quantum ſtudeamus, notatur.
Cap. XXII Baptiſtam Guarinum, Auſonium alicubi exſcripſiſſe, p. 109.
obſervat. Lib. III idem argumentum perſequitur, & *Cap. II*
Antonium & Petrum Ottobonos, hunc Cardinalem, illum D. p. 118.
Marci Procuratorem, præſtantisſimis ævi noſtri vatibus annumerat, Caſtrucciumque Lucenſium Principem ſive Regulum, qui

p. 110. A. 1328 floruit, Poëtarum choro inserit. Qui tamen sibi potio-
p. 123. 124. ri adhuc jure de Academico Crescente, Serenissimo nempe Leopoldo Guilielmo Austriæ Archi-duce, gratulari possunt. Cujus, & Montecuculi, tot palmarum imperatoris, elegantissima car-
p. 139. mina Italica Amœbæa noster exhibet. *Cap. IX* Maria Selvag-
p. 154. gia Borghina Pisana vatibus nostri temporis insignibus accensetur. *Cap. XV* Leopoldi Cardinalis Medicæi Dithyrambus, quem illustris
p. 166. Magliabeccius cum Nostro communicaverat, legitur. *Cap. XVIII* Anacreontis Odas a Bartholomæo Corsino, & Regnierio Abbate Gallo, ut & Antonio Maria Salvino, Italicæ consuetudini traditas esse narrat, idemque Alexandrum Marchettum, & Petrum Fran-
p. 178. seqq. ciscum Toccium moliri asserit. *Cap. XXII* ea, quæ Libro VI Historiæ de Laudibus olim frequentatis dixerat, copiosius illu-
p. 186. strat. *Cap. XXIV* Ænigma Alexandri Guarini, quod Ferrariæ
p. 187. legitur, recitat. *Cap. XXVI* Savini Armat Florentini, primi conspicillorum, quem putat, confectoris, ut & Arlotti facetiis notissimi, & Nicolai Belli, qui Alphonsi II Ferrariensium Ducis coquus fuit, Epitaphia occurrunt; simulque narratur, in eo, quod Belli est, tanta urbanitate preces viventium pro defuncto exposci, ut
p. 188. Clemens VIII, cum illud legisset, dixerit, tam venuste eas desiderari, ut negari omnino haud possint. Liber IV Poësi Dra-
p. 191. maticæ destinatur; ubi *Cap. I* inquiritur, cur Dantes Poëma
p. 193. seqq. suum Comœdiam appellarit? *Cap. II & III* ad Atellanas progressurus, de Satyra disserit. *Cap. IV* inter alia, Judaicas, quæ Romæ frequentantur, Atellanas, quibus misera illa gens hodie-
p. 198. que in feriis antecineralibus traducitur, describit. *Cap. V* Dia-
p. 199-202. logos considerat. *Cap. VI* Comœdiæ Hetruscæ primum con-
p. 203. ditorem facit Ludovicum Ariostum, quamvis Alexander Velutellus Augustino Ricchio Lucensi hanc laudem vindicarit. Commendat quoque Johannis Justiniani interpretationem Terentii
p. 207. Hetruscam, & præstantissimas Italorum Comœdias enumerat.
p. 208. Notat simul Cicogninum & Molierium, qui apud Italos Gal-
ibid. losque novum Comœdiæ Heroicæ genus excogitarint. Observat etiam, Cæsarem Cremoninum, inclytum Philosophiæ Peripateticæ apud Patavinos Doctorem, Comœdiam veterem, quamvis exoletam, revocare studuisse, Dramaque, quod Aristophanem

nem imitaturus Nubes inſcripſerat, compoſuiſſe, idque MStum apud Clariſſimum Fontaninum ſervari. *Cap. VII* de apparatu p. 208. 209.
Scenico & Interſceniis differit, quæ, ut hodie ſe habent, non admodum a Noſtro probantur; addit, Dramata Muſica ab aliquot p. 211.
jam annis in Seminario Soc. Jeſu Romano prohibita fuiſſe. *Cap. VIII* Eclogas conſiderat, commendatque integrum Eclo- p. 212.
garum, a variis in laudem Clementis XI compoſitarum, volumen a Marchione Joſepho Felice Urſo editum, Auctores ſimul ſub fictis mominibus latentes indicans. Commendat ibidem Academiam p. 215.
Senenſem Phyſico-Criticam, ad exemplum Leopoldinæ a Pyrrho Maria Gabriele inſtitutam, & Sonulos Paſtorios Marini reliquis p. 218.
Viri carminibus præfert. Hinc *Cap. IX* ad Dramata Italorum p. 220. ſeqq.
Paſtoralia digreditur, ubi Amyntam Taſſi & Paſtorem Fidum Guarini reliquis omnibus, quæ parvi pendere videtur, præfert. *Cap. X* Poëmata Halieutica ſeu Nautica & Piſcatoria expendit, Murtolæque fabulam piſcatoriam acerbe perſtringit. *Cap. XI* p. 232. ſeqq
Dramata Muſica iterum vehementer exagitat, primumque ea condidiſſe ait Cicogninum. Commendat tamen Petri Cardinalis Ottoboni Adoniam, ludosque Olympicos Arcadum ſuorum celebrat. *Cap. XIII* Dramata ſacra, qualia in Italia paſſim repræſen- p. 240. ſeqq.
tantur, conſiderat. *Caput XIV* integrum Tragœdiæ dedicatur; ubi p. 247. ſeqq.
Triſſinum primum apud Italos leges ab Ariſtotele præſcriptas obſervaſſe, perhibet. Prædicat quoque Johannis Cardinalis Delphi- p. 249.
ni Tragœdias, eosque, qui Tragica Gallorum carmina Italis an- p. 250.
teponunt, refellit, Johannis Vincentii Gravinæ ea de re disceptationem promittens. Ibidem Conſtantinum Ghirardelli, aliis mirifice commendatum, ſatis frigide laudat, & Petrum Paulum Ver- p. 254.
gerium Tragœdiam X actibus conſtantem compoſuiſſe tradit. *Cap.* p. 256. ſeqq.
XV de Dramatibus Sacris Muſicis, quæ Italis Oratoria dicuntur, agit, refertque Franciſcum Balduccium ea circa annum ſæculi ſuperioris XLV inveniſſe; laudat ſimul Cardinales, Petruccium, Pamphilium, Ottobonum, eximios eorum conditores. Libro V Poeſin Epicam ſive Heroicam expendit. Ubi *Cap. I* de Ro- p. 259. ſeqq.
mantiis, quos vocant, agitur. *Capite II* originem Tabulæ Rotundæ adeo quondam celebratæ explicat, putatque eam quatuor demum poſt Arthurum, qui vulgo ejus auctor perhibetur, ſeculis, apud

p. 267. seqq. Anglos inclaruisse. *Cap. IV* Turpini mendacissimos Annales virgula censoria notat, affirmatque fabulas Italorum Milesias inde
p. 283. utplurimum derivari. *Cap. V* Canticum Thibaldi Navarræ Regis, qui circa annum Christi 1235 floruit, cum notulis musicis repræsentat. *Cap. VIII* Fastos Ludovici XIV, duodecim Cantibus, ut
p. 296. Itali vocant, Heroicis a variis Poetis Bononiensibus digestos commendat. Tandem Libro VI varia carminum genera perlustrat,
p. 299. seqq. & *Cap. I* de Carmine ludicro agens, Cæsarem Caporalem mirifi-
p. 202 - 306 ce laudat, integrumque Joh. Baptistæ Fagivoli Carmen in ceri-
p. 307. seqq. monias aulicas proponit. *Cap. II* Proverbia, facetias & dicta ar-
p. 309. seqq. guta recenset. *Capite III* Poesin Heroico-Comicam expendit, Francisco Berniæ & Alexandro Tassono principatum ea in re de-
p. 315. seqq. ferens. *Cap. IV* Burchiellianum, quod ab auctore suo nomen trahit, Carmen, ævo nostro Romæ frequentatum illustrat. *Cap.*
p. 319. *V & VI* de Poematibus, quæ Macaronica audiunt, variisque lin-
p. 324. guis inter se mixtis constant, copiose disserit. *Cap. VIII* Versus Italicos ad Latinorum metrum exactos illustrat; simulque observat, Hyacinthum de Ruggieri, Prædicatorum Ordinis Religiosum,
p. 338. seqq. Thomæ Aquinatis Summam ejusmodi versibus exposuisse. *Cap. X* Carmina Amœbæa, ut & versus intercalares, expendit. *Cap.*
p. 351. seqq. *XI* Acrosticha; *Cap. XII* Versus Sotadicos & id genus alios; *Cap.*
p. 355. *XIII* Centones illustrat. *Cap. XIV* de versionibus agit, ibidemque Lucretium Italice ab Alexandro Marchetti, Mathematum a-
p. 362. pud Senenses Doctore publico, expressum prædicat. Commendat insuper Paraphrasin Epithalamii Salomonei nescio cujus, ad-
p. 380. seqq. huc ineditam, quæ centum Sonulis constet. *Caput XV & XVI* Orthographiæ sermonis Hetrusci impenditur, celebresque Italorum
p. 388. Typographi enumerantur. *Cap. XVII* annotat, Guidum Casonum, Poetam non ignobilem, instar Simmiæ Rhodii, instrumenta cruciatuum Servatoris nostri versibus depinxisse magis, quam descripsisse. Ibidem Bembi Tassique in carminibus, quæ composuerant, limandis atque poliendis industriam sane stupendam admiratur, & Stephanum Paschasium vatibus Italis iniquiorem perstringit, tandemque sub finem cives suos hortatur, ut omisso, cui nimium tribuant, linguarum peregrinarum studio, vernaculam diligentius excolant, honorificam simul mentionem faciens

ciens Fœminarum illustrium, Camillæ Capraræ Bentivogliæ, Cleriæ Cavalieriæ Sachettæ, Flaviæ Theodosiæ Bolognettæ, quæ sermonem patrium insigni studio locupletarint ornarintque. Subjiciuntur in fine Commentariorum annotationes atque animadversiones; ubi inter alia eruditam dissertationem de nomine Politiani leges, & catalogum illorum, qui Crescimbeno nostro MS. codices liberaliter suppeditarunt, invenies.

THOMÆ CRENII ANIMADVERSIONUM PHIlologicarum & Historicarum
Pars XII.

Lugduni Batav. apud Abrah. van der Mün, 1704, in 8.
plag. 18.

QUod nuper admodum, cum celeberrimi Crenii *Exercitia Sacra*, priora quædam Mosis tractantia, in his Actis recenseremus, futurum speravimus, ut animadversiones suas Historico-Philologicas ulterius continuatas daret Vir eruditissimus, id factum nunc esse Benevolo Lectori nunciamus. Prodiit etenim haud ita pridem pars earum duodecima, eodem prorsus, quo antecedentes, filo contexta. Nam ab initio statim argumentum de librorum editionibus pertractat Autor, & *Manilii* imprimis opus Astronomicum & Genethliacum p. 8. s. ac *Claudiani* deinceps poëmata p. 31 s. quoties & a quibus curata eruditis fuerint, indigitat, & quædam ad ipsorum notitiam alias quoque facientia addere haud omittit. Quæ *Fastorum*, qui vulgo *Capitolini* dicuntur, ratio sit, p. 54 s. declarat. Quorundam itidem *Theodori Bezæ* p. 45, *Samuelis Maresii* p. 48, *Henrici Eckhardi* p. 50, *Alberti Graueri* p. 53, *Erasmi Roterodami* p. 66, alios ut taceamus, librorum meminit, & quæ circa illorum editionem observanda sint, curiosius annotat. De *Flacii Catalogo testium veritatis* lemmata non ubivis obvia p. 74 s. subministrat. *Baronii* errores quosdam a non unis notatos & refutatos p. 80 s. operumque ejus editiones p. 103 s. recenset. *Ciceronis* loca plurima commentario erudito p. 110 s. illustrat, quosque in commentariis ad *Suetonium* errores commiserint Levinus Torrentius atque Isaacus Casaubonus, p. 216 s. latius indigitat. *Eunomium* hæreticum ob eruditione insigni celebratum, p. 168; *Papiam* ab his lauda-

 tum,

tum, culpatum ab illis, p. 173 s. *Evhemerum* atheismi p. 178, *Pythagoram* negatæ Dei providentiæ insimulatum, p. 183 s. exhibet. De Conciliis Galliæ a *Jac. Sirmondo* editis p. 202. s. deque *Bartholomæi Carranzæ* Summa Conciliorum, p. 206. s. disserit. Jucunda insuper lectu utiliaque cognitu sunt, quæ de magicis nonnullorum, corpora sua ab igne illæsa præstantium, artibus, p. 119. de lapidibus a natura variis figuris signatis, p. 137. de Spania pro Hispania dicta p. 159. de hepatibus martyrum crudis a persecutoribus ipsorum devoratis p. 167. de hæreticis per judicium calamo vino Eucharistico tincto scriptum condemnatis, p. 168. de Eruditis a Gentilibus atheismi postulatis, p. 179. de tabulis Mosis lapideis apud Orpheum commemoratis, p. 185. de sparteolis, vigilum genere, p. 189. de numero Virginum Vestalium, p. 193. in medium adducit. Symbola Virorum illustrium, quæ in parte undecima jam attigerat, p. 208. s. enumerare pergit. In Tractatu Joh. Nicolai de Siglis veterum, quem & nos superiori anno excerpsimus, literas E. V. O. V. A. E. quæ in Missalibus & Antiphonalibus, Evangeliorumque libris antiquis, doxologiæ, *Gloria Patri & Filio & Spiritui S.* sæpenumero annectantur, haud fuisse allegatas, p. 259 miratur, easdemque, Daumii ad autoritatem provocans, compendium referre ait vocum: *sEcVlOrVm AmEn.*

THOMÆ CRENII DE LIBRIS SCRIPTORUM optimis & utilissimis Exercitatio ad Philippum Julium Rechtmeierum, Brunsvicensem.

Lugduni Batav. apud Abrah. vander Mijn, 1704. in 8. plag. 3½.

EXercitationem hanc comitem secum adduxit pars Animadversionum Crenii duodecima, cujus contenta summatim modo retulimus. Constipavit vero Noster in eandem scriptores plus quam LXX, qui plurimis in lucem publicam emissis operibus inclaruerunt, & quænam eorum a singulis præcipua diligentia adornata fuerint, erudite determinavit. Dabimus aliqua in specimen, e quo gustum capere Lector, & ad integrum opusculum perlegendum invitari possit. Optimum v. c. *Tertulliani* opus vocat librum de Pallio, p. 2. *Augustini* de Civitate Dei libros, p. 4. *Apollinarii* Metaphrasin Psalmorum, p. 5. *Guil. Budæi* Commentarios

rios LinguæGræcæ, p. 7. *Erasmi Roterodami* opus Adagiorum, Paraphasin & Epistolas, p.8. *Bellarmini* librum de ScriptoribusEcclesiasticis, p.12. *Josephi Scaligeri* opus deEmendatione temporum, p.12. *Joh. Buxtorfii* LexiconTalmudicum p.16. *Gerb. Jo. Vossii* Institutiones Oratorias, p. 18. *Martini Lutheri* Postilla Ecclesiastica & Comment. in Genesin, p.20. *Philippi Melanchthonis* Declamationes & Intimationes cum Epistolis, p. 22. *Joachimi Camerarii* vitam Melanchthonis, p 24. *Ægidii Hunnii* Tractatum de Scriptura, & *Nicolai Hunnii* Epitomen credendorum p. 27. *Wolfgangi Franzii* Tractatum de Interpretatione S. Scripturarum p. 29. *Sebastiani Schmidii* commentarios in Jobum & Epistolam ad Hebræos p. 31. *Bocharti* Phaleg p. 34. &, ut ad antiquiores recurramus, *Dionis Chrysostomi* orationem Rhodiacam p. 35. *Polybii* Librum sextum p. 37. *Plauti* Epidicum pag. 39. *Catulli* de Coma Berenices carmen, p. ead. *Ciceronis* Officia p. 43. *Virgilii* Lib. VI. Æneidos p. 45. *Juvenalis* sextam Satyram p. 48. *Horatii* primam & septimam Epistolam p. 51. *Theocriti* Idyllion XXVII p 52. &c. Dum vero p. 30. *Iteratam & solidam Defensionem Pupillæ*, sub nomine Theologorum Saxonicorum Lipsiæ A. 1630 editam, a quibusdam modo *Heinrici Hopfneri*, modo *D. Hoei* librum optimum nuncupari observat, nec litem tamen de vero illius Autore dirimit, occasionem inde Vir Clarissimus, *H. Pippingius*, Lipsiensis ad D. Thomæ Ecclesiastes, & in colligendis his EruditorumActis a quamplurimis annis Collega noster diligentissimus, scriptum istud Hoëo vindicandi apprehendit, inque peculiari ad Crenium epistola, ante paucas hebdomadas heic Lipsiæ impressa, omnem ea de re dubitationem Eruditorum animis exemit.

LIBRI NOVI.

Melchioris Leidekkeri de Republica Hebræorum Libri XII. Antiquitates Judæorum & Archæologia sacra. Amstelod. apud Isaacum Stockmans, 1704. fol.

Arriani Nicomediensis Expeditionum Alexandri Libri VII, & Historia Indica. Opera Jac. Gronovii. Lugduni Bat. apud Petrum vander Aa, 1704. fol.

Numismatum modernorum Cimeliarchii Regio-Electoralis Brandenburgici Sectio I. continens Numismata Pontificum Romanorum,

norum, aliorumque Ecclesiasticorum, are expressa & dialogo illustrata a L. Begero. Coloniæ Brand. typis Ulr. Liebperti, 1704. fol.

Runæ in Nummis vetustis diu quæsitæ, tandemque ibidem feliciter inventæ, seu De Nummis Runicis Commentatio Nicolai Kederi. Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch, 1704. 4.

Bartholomæi de Moor Pathologia Cerebri Delineatio Practica. Amstel. apud Gerh. Borstium, 1704. 4.

Jo. Francisci Buddei P. P. Selecta Juris Naturæ & Gentium. Halæ Saxonum, sumptibus Orphanotrophii, 1704. 8.

Discursus Gemaricus de Incestu, Creationis & Currus Opere, ex Codice חגיגה *Cap. II. Misn. 1. petitus, Latinitate donatus, illustratus &c. a Jo. Henr. Hottingero, Henrici ex Henrico Nepote. Lugduni Batav. apud Jordanum Luchtmans, 1704. 4.*

Conciliation de Moyse avec St. Estienne & avec lui-meme. Ou Discussion de la Famille de Jacob &c. A Amsterdam, chez Pierre Brunel, 1704. 8.

Ritualis Ecclesiastici Pars altera. Auctore Caspare Calvör. Jenæ, sumptibus Jo. Christoph. Konig, Bibliop. Goslar. 1705. 4.

Georgii Wolffgangi Wedelii Centuriæ II Exercitationum Medico-Philologicarum, sacrarum & profanarum, Decas I. Jenæ, apud Jo. Bielkium, 1704. 4.

Pii Manes Struviani, sive de Vita & scriptis Georgii Adami Struvii, quibus justa persolvit mæstissimus filius Burcard. Gotthelff Struve. Jenæ, apud. J. Bielke, 1705. 8.

Jo. Alstorphii Dissertatio Philologica de Lectis & de Lecticis Veterum Diatribe. Amstelod. apud Jo. Wolters, 1704. 12.

Jo. Palmerii a Grentemesnil Κριτικὸν Ἐπιχείρημα, *sive pro Lucano Apologia. Lugduni Bat. apud Fre. Haaring, 1704. 8.*

Sfortiæ Oddi IC. Perusini de Restitutione in integrum Tractatus. Tomus I. Coloniæ Agrippinæ apud Jo. Schlebusch, 1702. fol.

Justi a Dransfeld Allocutiones & Programmata. Accedunt Reineri Reineccii quædam Epistolæ ad Petrum Petreum. Gottingæ, apud G. H. Zicklerum, 1704. 4.

* * * * * * * * *

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipsiæ
Calendis Decembris, Anno MDCCIV.

ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΕΩΣ ΤΑ ΣΩΖΟΜΕΝΑ.

DIONYSII HALICARNASSENSIS, QUÆ EXTANT, Opera.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1704. in fol.
Constant Alphab. 14, plag. 13.

Nitidissima hæc Operum Dionysii editio, cura Reverendi & Clarissimi Viri, *Jo. Hudsoni*, S. Theol. D. & Bibliothecæ Bodlejanæ Præfecti prodit, ac duobus tomis absolvitur. Prior Maxime Reverendo Bathonio-Wellensi Præsuli, Georgio Hoopero, consecratus, continet Antiquitatum libros undecim, (reliqui enim injuria temporum perierunt) quibus in lucem protrahendis ac illustrandis jamdudum viri docti operam dederunt. Primus id fecit Lapus Biragus Florentinus, qui Antiquitatum libros Latine convertit, Pauloque II Pontifici Romano nuncupavit. Quam versionem Tarvisii A.1480 primum impressam, Basileæ A. 1532 vulgavit Henricus Glareanus, sublatis ex ea (quod profitetur) sex mille erroribus. Quamvis vero rudior sit & inculta, ideo tamen loco aliquo & numero a doctis viris habetur, quod eam præ se ferat interpres fidem & simplicitatem, ut Græca, ubi minus intelligeret, ad verbum expresserit, atque ita plurimis in locis ad veræ lectionis investigationem viam patefecerit. Lapum excepit Robertus Stephanus, qui uti Lapum doctrina & idoneis ad hanc rem præsidiis vicit, ita eo nobilior Dionysii vindex exstitit. Is quip-

pe Græca librorum XI, quos Lapus transtulit, ex bibliotheca Gallorum Regia eruit, & anno 1546 Parisiis prelo commisit. Omnium vero præclarissime in Dionysii libris emaculandis operam posuit Fridericus Sylburgius, effecitque adeo, ut Antiquitates A.1586 Francofurti splendidiori ornatu prodirent, postquam Stephanei exemplaris lacunas ex duobus Codd. MSS, uno Veneto, altero Romano, suppleverat, ejusque vitia quamplurima auxilio Glareani, Sigonii, Cujacii, Canteri, Camerarii, Xylandri, H. Stephani, aliorumque sanaverat: postquam Gelenii interpretationem, Basileæ A.1549 excusam, ad Græci textus fidem castigaverat, & librum undecimum a Gelenio intactum e Græco Latinum fecerat, itidemque fragmenta Legationum a Fulvio Ursino publicata, & ad codicem MS. Julii Pacii emendata: postquam etiam annotationum libellum concinnaverat, quibus de utriusque textus restitutione vel explanatione, ex antiquis libris & doctorum virorum observationibus agitur, atque locupletissimos rerum verborumque indices adjecerat. Dum hæc parantur, aut sub prelo sudant, Antiquitatum versionem de novo instituit Æmilius Portus, cui ad Stephani editionem adornatæ, & annotationibus illustratæ, adjunctæ sunt Stephani operæ variæ, quas vocat, in Dionysium, ejusdemque annotationes, & Casauboni animadversiones, prætereaque fragmenta Ursiniana cum triplici interpretatione & notis, Stephani scilicet, Sylburgii, & Porti. His adminiculis præsidiisque instructus, in Dionysio accuratius expoliendo operam nostra ætate posuit, quem supra commemoravimus, CL. Hudsonus, nihilque prorsus omisit, quod ad institutum rite conficiendum pertinere ullo modo videri posset. Quo in consilio defixum imprimis excitavit comitas Jacobi Perizonii, Celeberrimi Viri, qui lectiones codicis Vaticani communicavit, eaque potissimum ratione, ad destinata felicius persequenda, non leve momentum attulit. At cum Lectiones istæ septem priores libros non excederent, venit in laboris partem, annitente Michaele Lequien, Clarissimus Vir, Laurentius Alexander Zacagnius, cujus auctoritate effectum est, ut Vir quidam Græcis literis versatissimus, codicis collationem ad finem perduceret. Quos proinde, Zacagnium nempe & Perizonium,
in

in præfatione compellat, hocque adeo nomine gratum memoremque beneficii animum declarat. Ita vero operis rationes Hudſonus moderatus eſt, ut in vernaculis Dionyſii exprimendis, Sylburgii exemplari preſſis fere veſtigiis adhæſerit: ad imum vero cujusque paginæ codicis Vaticani varietates ſumma fide repræſentaverit. Cui antiquisſimo codici cum alia, tum id maxime auctoritatem conciliare ait, quod discrepantias ejus inſigniores in ſuo codice agnoſcat pariter ac adſtruat Lapus, cui tamen codicem iſtum nunquam oculis uſurpaſſe contigerit. Dolendum vero, deſinere hunc optimæ notæ codicem in libro decimo; quæ cauſa fuit, cur in undecimo libro lectiones adhibuerit codicis Vaticani alterius, recentioris quidem, aſt ex pervetuſto aliquo libro, illi non multum disſimili, quem Lapus habuit, exſcripti. Excerpta Legationum Peireſciana, quæ Valeſius in lucem revocavit, cum Urſinianis (uncis tamen incluſa) commiſta, & ſecundum temporis ordinem diſpoſita hic inveniuntur. Non minus obſervare licet plerasque Sylburgii, Porti, Stephani, Caſauboni, Valeſii aliorumque obſervationes, lectionum varietatibus intextas, quibus & ſuas quandoque doctisſimus Editor aſperſit. Ad Latinam verſionem quod attinet, illam Porti novisſimam (a ſe tamen, ubi opus videbatur, emendatam) adhibendam cenſuit, quam in ſectiones, quoad fieri potuit, diſtinctam, Græcis leviter imbutis aptiorem fore confiſus eſt, propterea quod verba fere verbis, quantum Latine licuerit, reſpondeant. In fragmentis Urſinianis Stephani verſionem, uti in Peireſcianis Valeſii, ſequutus eſt, annexa, quod & Sylburgius fecit, appendicula de Legibus Veterum Romanorum, quandoquidem ex ea locus mutilatus Dionyſii pag. 689 aliqua ex parte ſuppleri poſſit. Libellum autem de Origine Gentis Romanæ, quem ei comitem adjunxit Sylburgius, de induſtria omiſit; non quaſi ipſi diſplicuerit Sylburgii ratio, ſed quod in omnium manibus verſetur, ex quo illum ſub Aurelii Victoris nomine ediderit CL. Pitiſcus. Denique Celeberrimi Dodwelli Chronologiam exteriori paginæ cujuslibet parti apponendam curavit, accurata ejus explicatione & deductione usque ad Auguſti tempora, una cum indicibus & annotationibus, (quibus

 diſſer-

Dissertationem de ætate Dionysii inseruit) ad alterius voluminis calcem rejecta, ut primum justa magnitudine æquaret.

Alter Tomus Perillustri & Excellenti Viro, Christophoro Codringtono, Insularum Lewardicarum Gubernatori, & copiarum Regiarum ibidem Præfecto, (qui Musas cum Marte felici fœdere sociavit) dicatus complectitur Rhetorica & Critica, eodem plane modo disposita, quo in editione Sylburgiana reperiuntur. Comparet ergo primo loco opusculum *de verborum compositione*, seu *orationis structura*. Hoc excipiunt dein *Ars Rhetorica*; *τῶν ἀρχαίων κρίσις*, sive *τῶν παλαιῶν χαρακτῆρες*; *Commentarii ad Ammæum de Atticis scriptoribus*; *Lysias*; *Isocrates*; *Isæus*; *Dinarchus*, seu de his judicia; *Epistola ad Ammæum prima*; *Epistola ad Cn. Pompejum de Platone*; *Epistola ad Ammæum altera*; *libellus de Thucydidis charactere & reliquis ejus proprietatibus*; *libellus de admiranda vi dicendi in Demosthene*. In quibus recensendis id potissimum operam dedit, ut textum Græcum summa fide ad editionem Sylburgianam conformaret, & a mendis, quoad ejus fieri poterat, liberaret. Latinum in nonnullis leviter, in aliis licentia paulo majori usus, emendavit. Sylburgii denique annotationes, ex ipsius aliorumque observationibus concinnatas, unicuique paginæ, similiter ac in priori volumine, subjecit. Quæ destinata expedienti imprimis præsto fuit industria ac singulare studium Clarissimi Viri, Michaelis Lequien, qui pleraque Dionysii opuscula cum duobus codicibus Regiis, & uno Colbertino contulit, adeoque variantes Lectiones communicavit; cui proinde in præfatione gratiæ ab Hudsono habentur. In libro, qui *Ars Rhetorica* inscribitur, expoliendo, quem omnium mendosissimum suspicatur, præter tres Gallicanos, ad manus habuit duos alios codices MSS (rarius tamen aliquanto discrepantias alicujus ponderis & auctoritatis exhibentes) quorum unum communicavit CL. Jamesius, S. Theologiæ apud Cantabrigienses Professor Regius; alterum benigne obtulit Rogerus Galeus, Thomæ, qui magno litterarum damno obiit, filius. Neque adjumento non ipsi fuit liber MS. Bodlejanus in *Judiciis de Isæo*, *Dinarcho*, *Historia Thucydidis*, nec non in optimo *libello de admiranda vi docendi in Demosthene* recensendis, quibus duo-

duobus ultimis comites dedit interpretationes castissimas fidissimasque, alteram a Martino Martinez, alteram a Dudithio confectam. Tandem attexendos curavit Indices Sylburgianos accuratissimos, & Annotationum libellum, cui inseruit *Exempla Latina Bircovii*, atque Elogia de scriptoribus Græcis, quæ *Censura Veterum* in sua editione subjunxerat Sylburgius.

JO. FRANCISCI BUDDEI P. P. SELECTA JURIS Naturæ & Gentium.

Halæ Saxonum, sumtibus Orphanotrophii, A. 1704. in 8. Constant 2 Alph. 17 plag.

COnstitutum est Celeberrimo Buddeo nostro Dissertationes academico more habitas, in certos collectas fasciculos, publicæ exponere luci, cumque eas, quæ Historico-Theologici argumenti sunt, prodire superiori anno jusserit, nunc eas, quæ ad Jus Naturæ & Gentium spectant, unico comprehensas volumine, sistit. Undecim dissertationes sunt, quæ hic exhibentur. In prima Historia juris naturæ & gentium, aucta & continuata, continetur. Secunda de expeditionibus cruciatis, seu bellis, quæ religionis propagandæ caussa geruntur, agit. Tertia successiones primogenitorum tradit. Quarta pietatem philosophicam, seu religionem naturalem explicat. Quinta de jure belli circa res sacras agit. Sexta de cultura ingenii sollicita est. Septima officium Imperantium circa conscribendum militem exponit. Octava & nona testamenta summorum Imperantium, ac speciatim Caroli II Hispaniæ Regis, nec non jus Gentis Austriacæ in Hispaniam, expendit. Decima de comparatione obligationum, quæ ex diversis hominum statibus oriuntur, satagit, ac undecima Jurisprudentiæ historicæ specimen, seu controversiarum juris naturæ & gentium illustrium, ex historia Romana, conspectum sistit. Uti autem Clarissimus Autor, quid circa singulas dissertationes Lectores amplius scire debeant, erudita præfatione exposuit, ita, quæ idem de illustri successionis Hispanicæ negotio disseruerit, nos, speciminis loco, specialius nonnihil recensebimus. Constat dissertatio octava, quam laudato argumento destinatam esse, jam diximus, duobus capitibus. In

primo generalis de ſummorum Imperantium teſtamentis philoſophia inſtruitur. Adducta ergo diſſertationis occaſione, primo docet doctiſſimus Autor, normam, ad quam totum hoc negotium exigendum ſit, non aliam eſſe, quam jus naturæ ſive gentium. Ex hoc autem teſtandi facultatem omnino fluere, adeo ut teſtamentum, quoad ſubſtantiam, juris naturalis recte dicatur. Inde amplius contra Vasquium, teſtamenta minus ſolennia naturaliter & in conſcientia obligare, deducit, ac quid gentium mores hic probent, ediſſerit. Ex iſto fundamento ultro ſequitur, teſtamenta ſummorum Imperantium non eſſe irrita; non obſtantibus, quæ in contrarium afferuntur, exemplis, cum in iis aliæ plerumque ſubſint cauſæ. Quinam vero ſummorum Imperantium Principumque nomine hic veniant, deinceps Noſter oſtendit, ac in illum cenſum Status Imperii Germanici quoque referendos, eorumque adeo teſtamenta, ſolennitatibus licet juris civilis deſtituta, valida eſſe docet. Quo autem eo liquidius conſtet, quousque ſummorum Imperantium facultas teſtandi ſe extendat, Principes vaſallos, & nexu illo clientelari ſolutos, doctiſſimus Autor diſtincte conſiderat, eoque fine, diſcrimen regnorum patrimonialium & legitimorum, ſolerter evolvit. Uti autem ſubinde obſcurum est, utrum regnum aliquod ſit patrimoniale, an legitimum: ita quem in cenſum veniat Hiſpania, deinde disquirit, ac circa argumenta Cabotii, quibus pleraque Hiſpaniæ regna olim fuiſſe hæreditaria, probare nititur, nonnulla obſervat. Cum ergo conſtet, in regnis legitimis Imperantem teſtandi facultate deſtitui, niſi populi conſenſus accedat, in patrimonialibus vero illum eadem gaudere; ideo quid hunc, in teſtamentis condendis, juxta juris naturalis præſcriptum, obſervare oporteat, deinde exponit, oſtendendo, quod ea, quæ laudatum jus requirit, ad tria revocari poſſint capita, primo ut revera teſtator conſentiat; deinde ut illis, quorum intereſt, de conſenſu ejus, certo & liquido conſtet; & denique ut in res, quas abalienare inſtituit, nulli mortalium aliunde jus aliquod quæſitum ſit: quæ ſingula deinceps ſpecialius exequitur.

In Capite ſecundo teſtamentum Caroli II Hiſpaniæ Regis, quo Ducem Andegavenſem heredem inſtituiſſe perhibetur, expen-

penditur. Circa illud primo generaliter obſervat Celeberrimus Autor, Gallos, ex pacto cum Britannis Batavisque, vivo adhuc Carolo II, de dividendis Hiſpaniæ ditionibus inito, non poſſe id pro valido habere. Poſtea moralitatem ejus ſolertius expoſiturus, de duobus ſummatim disquirit, an teſtamentum illud ſit validum? deinde an utile cenſeri poſſit, tum ad ipſius regni Hiſpanici, tum etiam ad Europæ univerſæ tranquillitatem conſervandam, felicitatemque promovendam? Primum quod attinet, teſtamentum Caroli legitimum aut validum non eſſe, ſive formam ſpectes, ſive materiam, variis argumentis evincit. Nam conſenſus Regis non adfuit: id quod tum ex ejus in Domum Auſtriacam Borbonicamque affectu, tum ex magna Cardinalis Portocarreri autoritate, probabiliter aſſeritur. Quicquid tamen hujus ſit, invaliditas teſtamenti ex eo porro apparet, quod Genti Auſtriacæ jus, in Regna Hiſpaniæ quæſitum, Rex eripere non potuerit. Jus autem laudatæ Gentis ſolido niti fundamento, certum eſt: nam ſucceſſio in Hiſpaniam Auſtriacis debetur, juxta indolem ſucceſſionis linealis cognaticæ, cum Domus Borbonica, per renunciationem Mariæ Thereſiæ, ſuo jure exciderit. Hanc enim validam eſſe, Noſter prolixe non minus quam ſolide, diſcuſſis, quæ a Gallis opponuntur, rationibus oſtendit, ac inprimis callida illa commenta, quibus cauſam factæ renunciationis hodie ceſſare, hancque adeo exſpiraſſe, adverſarii perſuadere conantur, repellit. Non minus tertio teſtamentum Caroli II ex eo invalidum cenſeri debet, quod Anteceſſorum, ac præſertim Philippi IV, teſtamentis e diametro adverſetur: in hoc namque diſerte conſtitutum fuit, ut primum in ſucceſſione locum teneat Carolus, Philippi filius, alterum Margaretha Leopoldi Imperatoris conjux, tertium Imperator ipſe, quartum denique Sabaudus, excluſa prorſus Gente Borbonica. Imo quarto legibus quoque Hiſpanicis teſtamentum illud Carolinum repugnat: extat enim apud Hiſpanos peculiaris ſanctio in libro, quem Novam Collectionem vocant, anno 1611 Madriti impreſſo, in qua a jure ſucceſſionis Hiſpanicæ, omnes Galli, nemine excepto, diſerte & citra ambages excluduntur, Georgio d' Abuſſon, Archiepiſcopo Ebrodunenſi, nequicquam ſanctionis illius valorem impugnante. Cum porro Reges Hiſpaniæ nonnullas provincias clientelari ſolum jure poſſideant,

deant, hinc in ſpecie quoad Ducatum Mediolanenſem, Belgium Hiſpanicum & Regnum Neapolitanum, Caroli II teſtamentum invalidum eſſe, ultimo loco Clariſſimus Autor demonſtrat. Ex his ergo invaliditas, eique implicata injuſtitia teſtamenti Carolini ſæpius memorati, ſatis apparet. Licet vero, juxta Sapientum effatum, illud demum utile ſit, quod honeſtum, quicquid vero turpe & injuſtum, quantacunque etiam utilitatis ſpecie ſeſe commendet, revera noxium exiſtimari debeat: attamen cum hoc apud omnes Politicos locum fortaſſis non ſit inventurum, hinc horum ingenio aliquid daturus Noſter, utilitatis quæſtionem ſeparatim deinde pertractat, cumque in eo omnes ſibi convenire perſuadeat, illud demum recte utile hic dici, quod tum univerſæ Europæ, tum maxime ipſius Regni Hiſpanici, omniumque ejus civium conſervationi & incolumitati ſit conveniens, juxta hanc normam, teſtamentum Caroli II ipſis Hiſpanis, & eorum etiam vicinis, ac ſpeciatim Italis ,! Belgio Fœderato, Imperio denique Germanico, aliisque Europæ regnis noxium eſſe, partitim demonſtrat, ac exceptionem Gallici cujusdam auctoris diluit.

Poſtquam illa Clar. Autor, de jure Sereniſſimæ Gentis Auſtriacæ in Hiſpanicas ditiones, diſſeruerat, paulo poſt factum eſt, ut Commentariorum, componendæ Hiſtoriæ Literariæ inſervientium, qui juſſu & auſpiciis Ducis Cenomanenſis in Gallia prodeunt, Autores, cenſuram quandam iſtius diſſertationis Commentariis ſuis insererent, & quidem ejusmodi, ut, ſi vera eſſent, quæ objiciuntur, prodidiſſe potius, quam aſſeruiſſe cauſam, quam defendendam ſuſceperat, videri multis Noſter poſſet. Denuo igitur neceſſitatem, de certiſſimo hocce Auſtriacæ Gentis in Hiſpaniæ Regnum jure aliquid commentandi, impoſitam ſibi exiſtimavit: hinc enata eſt Diſſertatio nona, ulteriorem argumenti illius diſcuſſionem exhibens. Credi nimirum voluerunt Collectores illi Clariſſ. Buddeum, ad Excerpta Hiſtorico-Juridica, in favorem Ducis Andegavenſis compoſita (quorum autorem, & ſane & Collectores illi, Obrechtum faciunt) nihil aliud reſpondiſſe, quam quod, deficientibus in poſteritate Caroli V legitimis hæredibus, ſucceſſio Hiſpanica, citra controverſiam, ad poſteros Ferdinan-

dinandi I pertineat; hoc ipſum vero eſſe, quod Gallicanæ cauſæ patroni quam lubentisſime concedant: quod vero Philippus V non ſit legitimus hæres, hoc magno ab ipſo prætermiſſum eſſe ſilentio, de eo potius ſollicito, quod in Regno Hiſpaniæ, non ſemper eadem ſuccedendi ratio fuerit obſervata, & quod, admiſſa ſuccesſione lineali cognatica, jus Domus Auſtriacæ non ideo pereat. Ad hæc ergo Clariſſimus Autor reſpondet, ſe eo tantum conſilio in Excerpta illa Hiſtorico-Juridica (quorum primam ſolum partem tum viderat, cui deinceps tres, quas vocant, continuationes acceſſere) animadvertiſſe, ut oſtenderet, Auctorem illorum obſervatione ſua, qua in regno Hiſpanico ſuccesſionem linealem cognaticam obtinere docuit, parum proficere, nec cauſæ Auſtriacæ ulla ratione nocere; hac porro occaſione ſe addidiſſe, iſtam ſuccedendi rationem non ſemper accurate in Hiſpania fuiſſe obſervatam, ut non exempla in contrarium afferri poſſint. Quod autem porro dicatur, ſe non probaſſe, Philippum V non eſſe legitimum hæredem regni Hiſpanici, in eo auctorem cenſuræ, quisquis etiam ſit, magnopere falli, deinde Noſter exiſtimat, cum Ducem Andegavenſem, per renunciationem Aviæ, a regno Hiſpanico excludi, nec per teſtamentum Caroli II, utpote irritum & nullum, ad id admitti, late ſatis docuerit, adeoque nulla fronte aſſeratur, a ſe, ne verbo quidem, probatum eſſe, Philippum V non eſſe legitimum hæredem. Cum etiam in Excerptorum Hiſtorico-Juridicorum continuationibus nonnulla afferantur, quæ imperitioribus fucum facere queant, operæ pretium eſſe arbitratur doctisſimus Autor noſter, hasce nebulas diſpellere; quam operam eo lubentius in ſe ſuſcepit, quod viderit, ab Autoribus commentariorum Trivoltienſium Excerpta illa magnificis laudibus in cœlum tolli. Quam igitur Autor illorum Excerptorum, ſive ille Obrechtus, ſive alius fuerit, nec ex Molina ſuo, qui ei inſtar oraculi ſit, nec ex Mariana aliquid attulerit, quod cauſam Auſtriacam deſtruat, & Gallicanam juvet, prolixe ſatis ediſſerit, ſubjecta de Autoribus illis Trivoltienſibus epicriſi.

TRACTATUS PHILOSOPHICUS DE BAROMETRO, Auctore R. P. LAURENTIO GOBART, Soc. Jeſ.

Amstelodami typis Stephani Rogori, 1703, 12.
Constat 8 plag. cum fig. æneis.

IN procœmio statim ostensurus Autor difficultatem suæ disquisitionis, Barometri phænomena inter ea naturæ arcana recenseri posse putat, quæ mentem humanam torqueant, & ubi collationem inter fluxus & refluxus maris cum barometri fluxibus & refluxibus instituisset, illorum causas æque difficulter ac hos exponi posse pronunciat. Ipse autem hoc in tractatu, methodo scholasticis usitata, duo præcipue enodanda sibi sumit: quorum alterum est ascensus & descensus Mercurii in tubo Torricelliano causa, alterum vero, quid ascensus & descensus ille portendat. Circa primum docet, *ascensum mercurii non haberi per horrorem vacui*, cum præter id, quod natura vacuum non admittat, nec illud horreat, mercurius, si vacui metu in tubo ascenderet, non hæreret in statione triginta octo vel quadraginta digitorum, sed ad quinquaginta pedes adscenderet, si tantus foret, quo contineretur tubus; quod tamen non fieri, experientia satis patet. Dein, objectionibus atque exceptionibus variis formatis, quibus alii horrorem illum vacui evincere, & vicissim aëris, tanquam absentis vel non sufficientis, pressionem & dilatationem supprimere volunt, ita respondet, ut ostendat, nunquam ita removeri posse aërem, ut nullus omnino remaneat, sed præter residuum aërem communem, & aërem subtilem, & ætherem adhuc superesse. Resoluto primo circa primam quæstionem dubio, ad alterum progreditur: *an ascensus mercurii in barometro habeatur per pondus aëris?* & quibusdam suppositis (Deum scilicet implevisse cavitatem cœli ita, ut sine penetratione nullum possit addi corpus, nullum detrahi sine vacuo, & hinc nullum corpus locum deserere, quin aliud succedat, nullum corpus locum acquirere, quin ex illo aliud pellat; non esse necesse, ut moto corpore moveantur universa, sed tamen vicina per circuitum; corpus in universo omnium amplissimum esse ætherem; aërem nostrum nihil esse aliud, quam corpus heterogeneum, tenue, mixtum ex omnibus effluviis, quæ perpetuo ex corporibus rerum terrestrium expirant, & hinc aërem habere multas cavitates, quæ repleantur substantia æthera; ex his omnibus positis autem sequi, aë-

rem

rem esse gravem, quia gravia sint corpora, e quibus educuntur particulæ, quæ aërem conflant;) tandem concludit, mercurium in tubo sustentari per pondus aëris, & aquam ascendere in tubo ad altitudinem 33 pedum ob æquilibrium aëris, simul docens, habere se aquam ad aërem, ut unum ad mille, i. e. unum pedem aquæ æquiponderare mille pedibus aëris. Contra hæc triplicis generis objectiones sibi proponit. Primi generis quæ sunt, impugnant aëris pondus & gravitatem: ad eas vero ita respondet, ut dicat, aërem æqualiter premere; sentiri quam maxime pondus aëris, si in una parte gravitaret, & non altera; longiorem aëris columnam præponderare breviori non semper, sed dum cætera reperiantur paria; aëris dilatationem sæpius vicem obire ponderis; tandemque ex dictis colligat, non posse mercurium in qualibet altitudine subsistere, quia aër gravitans extendatur tantum ad altitudinem 37000 pedum præter propter; dum elevatio mercurii varietur, variari antecedenter pondus aëris: adeoque dum barometrum ex loco humili deferatur in locum altiorem, ut ibi constans permaneat, variandas esse notas collaterales; posse cognosci facile, quantum ponderet columna aëris exterius gravitantis, quia, quod ascendat mercurius & subsistat in altitudine, fiat ex æquilibrio mercurii cum aëre. Secundi generis objectiones a thermometro sunt petitæ, & cum in thermometro habeatur ascensus corporis gravis seu spirituum vini sine pondere aëris, cum frigus conferat ad elevationem aquæ in thermometro, fingit sibi opponi posse, quod in barometro quoque mercurii ascensus sine pondere aëris haberi possit, & frigus conferat ad elevationem mercurii in barometro. Negat autem, quod barometri phænomenon sine pondere aëris fieri possit, licet thermometri effectus sine eo fiat, quia in thermometro gravitatio exterior locum habere non possit, siquidem aër communis exterior penetrare nequeat poros vini, & interior non habeat eam vim, ut agat in subjectos spiritus, in barometro vero habeatur, unde aër in mercurium gravitet. Et admittit quidem, quod in thermometro, aqua facto, & barometro frigus ad mercurii aquæque ascensum concurrat, sed tantum indirecte, & ea differentia, ut ascensus aquæ thermometri indirecte habeatur a frigore aëris inter-

 ni,

ni, directe vero ab aëre premente externo, cum vicissim ascensus mercurii in barometro habeatur adæquate ab extrinseco, ad quod frigus sic concurrit, ut aërem condensando graviorem faciat. Tertii autem generis objectio in eo consistit, ut dicatur, quia ascensus mercurii in barometro, carente vase & tubi curvatura, non fiat per pondus aëris, ideo ascensum mercurii, in aliis etiam barometris non fieri per pondus aëris. Ad hanc vero respondet, mercurii ascensum in barometro carente vase per pondus aëris non fieri quidem directe, sufficere tamen, quod is ipse fiat per pondus aëris indirecte; esse enim modum gravitandi alium directum, alium indirectum; corpus grave directe gravitare in aliud, dum pondere suo immediate & per se vim facit in corpus sibi subjectum, adigitque quantum in se est, terram versus; indirecte autem gravitare, dum non immediate & per se, sed mediante alio, vim facit in aliud corpus; mercurium in barometro carente vase sustineri, non per columnam aëris, perpendiculariter barometro incumbentem, sed per columnam aëris collateralem reflexam, conjunctam cum ea, per quam reflectitur. Quibus amplius nonnulla addit de eo barometri genere, quod unico constat tubo recto, parte superiori hermetice clauso, inferiore vero vix aperto, in cujus tubi medio quasi fiat mercurius, sic, ut inter mercurium & partem hermetice clausam sit spacium aliquod, carens elementari corpore, inter mercurium autem & partem modice apertam sit aer communis; & in specie adhuc explicat phænomenon circa hoc barometri genus, unde nempe fiat, ut si susque deque vertatur hoc barometrum, mercurius tam tarde moveatur, sive ad partem apertam, sive ad clausam hermetice, cum tamen in aliis celerrime & cum impetu feratur modo sursum, modo ad latus, modo deorsum, dum vel leviter moveatur; monens etiam, hoc barometri genus minus valere, ut ex eo cognoscatur auræ temperies, nisi immobile alicubi subsistat. Denique, antequam hoc dubium plane dimittat, varias huc pertinentes quæstiones adhuc decidit; quid nempe sit thermometrum, quomodo parentur aqua, quomodo vini spiritibus? Quid & quantum thermometro, ex aqua parato, commune sit cum barometro, & in quo barometrum differat a thermometro? quid sit thermometrum simplex, quid compositum? quomodo paretur thermometrum, si careat vase subjecto & extremitatem inferio-

ſeriorem habeat recurvam, quomodo, ſi habeat vas, in quo reſtagnet mercurius. Docet longitudinem barometri ſimplicis ad 4. pedes, latitudinem ad quartam digiti partem extendi poſſe; longitudinem & latitudinem ſimplicis non excedere duplicis extenſionem, ſed in duplici duplicem haberi bullam. Explicat, quomodo ſe habeat aer in thermometro ſpiritibus vini facto, dum frigus intendatur, quomodo ſe habeant ad invicem aer & ſpiritus vini, cum intenſior reddatur calor, & cur in tubo, cujus extremum recurvum eſt, ſed breve, dum invertitur tubus, mercurius non effluat? Ab his ad tertium dubium contra quæſtionem primam progreſſurus, quod in eo conſiſtit, *an præter pondus aëris requiratur etiam elaterium ejusdem?* notat, elaterium eſſe vim innatam rei, ut ſe reſtituat in ſitum connaturalem; vim autem illam fundari in certo quodam partium ordine, qui exigat, ut ſi ab extrinſeco mutaretur talis ordo, eum ſibi reſtituat corpus, ſublato obice externo; elaterium eſſe vel in actu primo, quod non diſtinguatur a tali partium ordine, ut connotante exigentiam reſtitutionis in priorem ſitum, ſi inflecterentur, vel in actu ſecundo, quod ſit actualis conatus partium, ut ſe in ſitum connaturalem reſtituat. Quibus prænotatis aſſerit, aerem habere elaterium, quia in minori extenſione conſtitutus, quam connaturaliter exigat, habeat vim ſe dilatandi & reſtituendi in ſtatum priſtinum, prout pateat in bombarda pneumatica & veſica flaccida in montem altum delata; & aſcenſum mercurii partim a pondere, partim ab elaterio aëris haberi. Contra hæc vero ſibi ipſi objicit, *primo* mercurium non ſtare poſſe ſaltem in recipiente per elaterium aëris, quia poſt aliquot exſuctiones aëris e recipiente nullus remaneat aër. Regerit autem, quod ſemper aliquid aëris remaneat, & frangendus potius ſit recipiens, quam omnis aer exſugatur, quia latera recipientis non habeant ſufficientem reſiſtentiam reſpectu aeris extrinſeci: imo arbitratur, quod, licet tantum aeris in recipiente poſt aliquot exſuctiones factas non ſit, nec tantum pondus aeris, quantum ad mercurium in tanta altitudine ſuſtentandum requiratur, elaterium aeris defectum atque vices ponderis ſuppleat; quod particulæ aeris paucæ ſive multæ æque premant, non quidem præciſe per pondus, ſed per argumentum

 ela-

elaſticitatis, & quod augeatur elaſticitas, quando aeris quantitas minuitur. *Secundo*, quod hoc pacto habeatur duplex aeris elaterium, unum, quo aer preſſus reſiſtit prementi, alterum quo ſibi relictus in minori quantitate ſe dilatat intra recipientem, premitque latera recipientis & ſubjectum in vaſe mercurium, ſic ut ad eandem altitudinem eum ſuſtentet. Reſpondet autem, per idem elaterium aerem premere corpus, a quo prematur, & per idem etiam latera recipientis, atque ſuſtentare mercurium purificatum, ſi minuatur, & ſibi relinquatur; diſtinguendos eſſe motus reſiſtentiæ & dilatationis, qui non realiter, ſed tantum formaliter ſint diverſi, quia idem aer reſiſtentis & dilatantis denominationem ſumat; reperiri quandoq; motus reſiſtentiæ tantum, quandoq; dilatationis tantum, quandoq; reſiſtentiæ & dilatationis ſimul. *Tertio*, quod vel pondus & elaterium agant per lineam rectam, vel per obliquam: non autem agere in nos per lineam rectam, quia impediret obliqua; non per obliquam, quia impediret recta: ergo plane non agere. Reſpondet autem, pondus & elaterium columnæ aeris perpendicularis, obliquæ, collateralis &c. æqualiter premere ex omni parte per modum unius agentis totalis. Denique ex hactenus dictis colligit, gravitatem aeris petendam ab entitate ſingularum particularum aeris ſecundum ſe ſumtarum, elaterium vero petendum eſſe ab entitate particularum ſumtarum in ordine ad alias; pedem aeris inferioris magis gravitaturum, quam pedem aeris ſuperioris; aerem inferiorem acturum in ſuperiorem per elaſticitatem ſuam; minui preſſionem aeris, ubi minuatur ejus elaterium; aerem inferiorem in certa quantitate magis dilatandum, quando non prematur ab alio circumſtante, quam aerem ſuperiorem in eadem quantitate; non haberi elaterium in actu ſecundo, niſi habeatur aliqua reſiſtentia ab extrinſeco, ne corpus ſe dilatans extendatur, quantum poteſt; motum elaſticitatis fieri ſpontanee, rarefactionis vero motum fieri a calore immiſſo. *Quartum* dubium: *an aër tempore pluvio magis premat mercurium*? ita decidit, ut, quia vapores minuant elaterium aëris, aërem tempore pluvio non magis premere aſſerat. Ad objectiones, quarum plures format, ita reſpondet, ut oſtendat, tempore pluvio majus quidem aëris pondus haberi, non ideo vero majorem aëris preſſionem da-

dari, quia pressio non tantum petatur a pondere & gravitate corporum, sed & eorum elasticitate, quæ in aëre vaporibus mixto per vaporum in illum insinuationem impediatur. Porro docet, elaterium aëris restitui posse per sublationem eorum, per quæ imminutus est, & per frigus condensativum & expressivum vaporum; causam insinuationis vaporum intra aërem esse multiplicem, ut Solem, terram aquas &c. hygrometra haberi multiplicia, quæ tamen uno principio nitantur omnia, sive fiant chorda instrumenti musici, sive per-[illegible]eno, fune, palea avenacea &c; eorum causam efficientem [illegible] vapores aquæ intra poros horum corporum insinuatos, qui, dum illarum fibras varie torqueant & tumefaciant, varios etiam motus causent; causam hygrometri formalem esse contorsionem fibrarum sitam in varia habitudine particularum ad se invicem. Quibus tandem quatuor hygrometrorum modos subjungit, quos autem hic recensere prolixum nimis foret. Dum *quintum* dubium, *an sc. aër rarefactus magis elevet mercurium?* pertractat, statim monet, densum & condensatum, rarum & rarefactum diversa esse; rarefactum enim esse corpus amplæ extensionis, ratione alterius, rarum vero esse corpus amplæ extensionis ratione sui; densum esse corpus angustæ extensionis ratione sui, condensatum vero esse corpus angustæ extensionis ratione alterius; & prolixe explicat, quid rarum sit & densum, quid rarefactio & condensatio. Dein dum quæstionem, an aer possit rarefieri & condensari, post multas solutas objectiones, decidit, asserit; aërem posse rarefieri, quia possit recipere motus a minori extensione ad majorem connaturalem, ratione status, in quo est, admisso intra poros suos calore, ita scilicet, ut particulæ constituentes ambitus unius pori sint concatenatæ & implexæ, per intromissum autem calorem explicentur & expediant se figuram mutando; aerem quoque posse condensari, quia a majori ad minorem reduci locum possit, & applicato corpore frigido ad bullam thermometri statim aer contrahatur. His autem ita præmissis, dubium hoc quintum resoluturus docet, aerem rarefactum non ita elevare mercurium, quia per rarefactionem aeris minuatur pondus ejus & elaterium; & aerem condensatum magis premere & elevare mercurium, quia per condensationem aeris elaterium & pondus augeatur.

Tandem

Tandem ſibi ipſi objicit: videri, ac ſi obſcurum explicetur per obſcu-riſſimum, quando deſcenſus mercurii in barometro per rareſactio-nem explicetur; rareſactionem aeris non facere ad minorem a-ëris preſſionem, quia nulla ſit proportio, ut aer rareſactus depri-mat mercurium; imo aerem rareſactum magis premere mercurium in vaſe, quam condenſatum, quia in thermometro, in quo bulla eſt ſuperior, applicata manu bullæ, ſtatim deſcendat aqua ratione caloris manus, rareſacientis aerem, & quia deſcendat mercurius in barometro, dum caleſiat tubi extremitas; &, ſi aer rare-factus minus ponderet, quam condenſatus, minus etiam eum ... bere reſiſtere, conſequenter neceſſe eſſe, ut æſtate continui ... venti, continuæque pluviæ. Sed reſpondet, tum demum ob-ſcurum per obſcuriſſimum explicari, ſi rareſactio explicaretur jux-ta ſententiam communem de continuo, aut juxta eam, quæ di-cit rareſactionem fieri punctis inflatis, non vero, ſi explicetur per intromiſſos intra aerem ſpiritus igneos, reflexos a terra, effor-mantes meatus ampliores, quos æther repleat ubique præſens; nullam quidem eſſe proportionem, ut aer rareſactus depri-mat directe mercurium, eſſe tamen proportionem, ut deprimat in-directe, quia factus levior, minus gravitet in mercurium ſtagnantem; directe autem deſcendere mercurium ob pondus ſibi innatum; eſſe diſparitatem inter barometrum & thermometrum, quia hoc, non autem illud ſuperiore parte bullæ habeat aerem communem, ... aer communis bullæ cum aqua tubi faciat æquilibrium cum co-lumna aeris exterioris, cum viciſſim columna mercurii tantum æ-quilibrium faciat cum aere externo, & mercurium deſcendere non quolibet calore, ſed intenſo, nec tam deſcendere ratione dilatati aeris, quam ratione incompatibilitatis mercurii cum intenſo ca-lore; denique neceſſe eſſe, ut ſint continui venti, ſed ſi cete-ra concurrant, quæ ad illos producendos requirantur, quæ ta-men facile etiam impediri poſſent, deinde non ſemper habe-ri diſpoſitiones ad pluvias, etiam cum aer eſt rareſactus, quia ... terra arida non ſuppeditet vapores ad pluvias requiſitos.

Tantum de priori tractatus hujus quæſtione. Circa po-riorem, *quid aſcenſus & deſcenſus mercurii portendat?* ... in primo dubio, *quid ex aſcenſu mercurii cognoſci poſſit?* ...

tur autem, ex eo cognosci, aerem factum esse graviorem; eum non significare mutationem aeris, quoad pondus præcise; eum indicare saltem indirecte antecedentia, concomitantia & consequentia mutationem aeris quoad pondus, ut & frigus condensativum, expressionem vaporum & futuram serenitatem, imo non tantum futuram serenitatem, sed & futuram nivem. Ipse quidem sibi objici posse existimat, ascensum mercurii futuram serenitatem non docere posse, quia doceat præsens; nec eundem frigus condensativum, ne quidem indirecte, ostendere posse, quia alias descensus etiam indirecte calorem rarefactivum ostenderet, & consequenter barometrum esset thermometrum; elationem mercurii causatam a condensatione aeris signum fore futuræ pluviæ, quia, dum condensatur aer, necesse sit, ut pluat; eam neque directe, neque indirecte vaporum expressionem notare, quia vapores per condensationem aeris exprimi non possint; per condensationem non sequi serenitatem aeris, quia quo magis condensatus fuerit, eo minus lucidus fuerit; nec ascensum mercurii posse docere serenum vel nivem, neque disjunctive, neque determinate, in quibusvis circumstantiis, quia nix & serenum sunt opposita. Sed respondet statim, ascensum mercurii non sub eadem ratione quidem posse docere præsens & futurum, sed tamen sub diversa; falsum esse, quod barometrum sit thermometrum, si ascensum mercurii indirecte frigus condensativum docere statuatur, quia hoc sistat in frigore & calore, nec tendat ulterius in ordine ad serenum, illud autem, cum mercurius ascendat, indirecte quidem frigus doceat, sed in ordine ad condensationem, per quam aer fit gravior; aerem esse subjectum variarum alterationum, quæ oriantur ex vaporibus aquæ, exhalationibus terræ, effluviis corporum terrestrium, ex calore & frigore, ex rarefactione & condensatione; vapores illos & effluvia sustentari in aere; unas aut duas species particularum superare alias posse uno tempore, a quibus superentur alio; particulas aquæ dispersas non facere aquam sensibilem, nisi colligantur, nec igneas particulas sensibilem facere ignem, nisi coactæ in unum erumpant in fulgura; aerem posse vaporibus modo repleri, modo evacuari, modo lente, modo subito; quando abundent particulæ igneæ magis quam aqueæ, effe-

ctum ignis ſequi & ſuperare activitatem alterius agentis, & hinc ſequi aeris calefactionem & rarefactionem, at ubi ſuperent particulæ aqueæ, frigus & condenſationem ſequi; non neceſſe eſſe, ut pluat, dum condenſetur aer, & congregari quidem particulas, quæ per condenſationem aeris, quando ſunt etiam aliquo modo ſenſibiles, non autem, quando ſunt tam tenues, ut non cadant ſub ſenſus; vapores ex aere exprimi, vel cum eorum frigidiores late diffuſi aerem refrigerent, frigefactus aer recedat a circumferentia ad centrum, vapores ſecum trahendo, qui in via collecti nubes forment & reſolvantur in pluvias, vel alio adhuc modo, ſic ut cauſa expreſſionis extrinſeca ſit, quemadmodum in priori modo expreſſionis cauſa intrinſeca fuit; neque eo minus lucidum fieri aerem, quo magis condenſaretur, quia is de ſe ſit corpus diaphanum; & nivem atque ſerenum eſſe quidem oppoſita ſecundum ſe, non autem prout ſubſtant condenſationi & preſſioni aeris; poſſe ergo eſſe preſſionem aeris per condenſationem ortam ex vaporum expreſſione & excuſſione, & exinde majorem ſequi elationem mercurii. Ab his ad ſecundum dubium, *an aliquid certo poſſit ſtatui de futura aeris ſerenitate ex aſcenſu mercurii?* progreſſus, monet, certitudinem vel eſſe objecti (quæ conſiſtat in neceſſitate eſſendi) vel actus (quæ conſiſtat primo in eo, quod actus excludat omne dubium, ſecundo in neceſſitate veritatis talis actus, vel propter ſe vel propter motivum) & vel moralem, vel phyſicam, vel metaphyſicam. Dein aſſerit, poſſe aliquid certo ſtatui de futura aura ex motu mercurii, tam ex parte objecti, quam ex parte actus; nihil poſſe certo & determinate ſtatui, ex aſcenſu mercurii præciſe; poſſe certo, ſaltem moraliter, ſtatui disjunctive, vel nivem vel ſerenitatem futuram, & certitudine ſaltem morali etiam ſtatui poſſe determinate, futuram nivem potius quam ſerenitatem & vice verſa. Et ſi quis ipſi objiciat, temerarium eſſe, concludere, hic & nunc mercurius aſcendit, ergo certo erit ſerenum, vel certo erit nix; & vel poſſe dici, quantum temporis requiratur, ut habeatur tempus a barometro prædictum vel non, neutrum vero dici poſſe, & ideo barometrum nullius eſſe utilitatis: Regerit, temerarium tum demum ſe fore, ſi concluderet determinate & præciſe ex aſcenſu mercurii ſerenitatem vel nivem, hoc vero ſe non facere; deinde dici poſſe, certitudine phy-

physica, inesse aeri mutationem quoad pondus, si mercurius ascendat, & eadem prope certitudine dici posse sub disjunctione futurum serenum constans, si lente & spatio plurium dierum ascendat. In dubio tertio, *qualis ascensus requiratur ad cognoscendam aëris dispositionem ad serenum?* disquirit, statuens ascensum vel minimum mercurii esse signum magnæ mutationis in aere; eundem a puncto magnæ pluviæ ad pluviam aut variabilem tempestatem esse signum sereni; ascensum mercurii adhuc minorem, i. e. a puncto magnæ pluviæ ad gradum unum seu quartam digiti partem, esse posse indicium sereni futuri; porro ascensum tardiorem, i. e. ad spatium trium, quatuor aut plurium dierum, esse signum sereni diuturnioris secuturi; & ascensum notabilem, ad digitum e. g. unum, & subitum, spatio e. g. 12 aut 15 horarum, esse indicium sereni non diu duraturi. Dubia, quæ sibi ipse rursus formavit, (quod scilicet lentus mercurii ascensus nihil faciat ad serenum futurum, quia ad duos dies ascenderit, & tertio tamen pluet; quod tardiorem ascensum sequatur quandoque pluvia; quod, si mercurius lente ascendens sit nota sereni, etiam esse debeat nota major vel minor sereni, quo magis vel minus ascendat, quod tamen dici non possit; & quod ascensus subitus non sit indicium serenitatis non diu duraturæ, quia fieri possit ascensus subitus, licet non sint in aëre vapores) ita diluit, ut tandem dicat, lentum mercurii ascensum nihil quidem facere ad serenitatem diei tertiæ, sed tamen aliquid conferre ad serenitatem quartæ, ideo enim tertio die pluere, quia nondum depuratus sit aer per condensationem duorum dierum; posse quidem institui experimenta, quæ videantur evincere, quod tardiorem ascensum nonnunquam pluvia sequatur, sed ea tamen ita certo fore comparata, ut tantum aliquid, non vero totum dicant; verum esse, quod, si mercurius lente ascendens sit nota sereni, sit quoque major vel minor nota sereni, si magis vel minus ascendat, regulariter loquendo, non autem in omni casu; & postremo, non sequi absolute, quod ascensus subitus non sit indicium serenitatis non diu duraturæ, si possit fieri ascensus subitus, licet non sint in aere vapores, sed tantum ex hypothesi, quod præcesserit insinuatio vaporum. Tandem in quarto & ultimo dubio, in quo

docetur, *quid doceat descensus, qualis requiritur, & an certo ex illo aliquid possit statui?* Statuit descensum mercurii directe docere minorem gravitationem aëris; quemlibet descensum esse notam magnæ mutationis præsentis in aëre; eundem docere indirecte antecedentia, concomitantia & subsequentia minorem gravitationem aeris; docere etiam indirecte calorem, vapores aeri insinuatos, ventos & pluvias; ex eo cognosci posse certo disjunctive vel calorem vel vapores insinuatos, & certo moraliter determinate calorem in certis quibusdam circumstantiis; lentum mercurii descensum indicare diuturniorem pluviam, subitum breviorem; descensum majorem mercurii esse indicium certum moraliter ventorum simul & pluviæ, certis quibusdam circumstantiis; ventos & pluvias conferre ad descensum per modum unius, & mercurium descendere, dum flant venti, quia aer multum agitatus multum perdat suæ gravitationis secundum lineam rectam. Quæ cuncta cum pro more suo Auctor contra varias objectiones defendisset, ultimo ex omnibus hactenus dictis colligit: multa concurrere ad ascensum & descensum mercurii, tum positiva, tum negativa; reperiri in aere levissimo pondus immensum, condensationem, resistentiam & principium stabile futuræ pluviæ & serenitatis, indeque oriri, cur lente ascendat descendatque mercurius; omnes aeris mutationes posse trium digitorum spatio in barometro concludi; illum mercurii motum, quo hic 3 aut 4 gradus extenditur ascendendo descendendoque, esse magnum, eumque esse notabilem, si quartam digiti partem aut deserat mercurius, aut de novo acquirat; si modus, quo mercurius ascendit vel descendit, observetur, mercurium vel parum aut multum, vel lente aut subito ascendere; mercurium exiguo tempore multum ascendentem serenum brevius, sed multum longiori tempore ascendentem, serenum longius indicare; attendendum esse in barometro minus ad notas collaterales, quam ad terminos a quo & ad quem mercurius pergit; distinguenda esse anni tempora & terræ portiones, ut certum aliquid circa mercurii motum statui possit; dum præcise adscendat mercurius, non posse certo & determinate sciri hic & nunc, quid indicet, nivemne an serenum, sed id ex circumstantiis determinandum esse;

certo

certo quidem ſciri, dum præciſe aſcendit mercurius, aërem eſſe graviorem, ſed non ſciri certo, unde major illa gravitas fiat; & tam mirabiles videri debere fluxus & refluxus mercurii, quam mirabiles in ſe ſunt elationes maris, & mirabilis in altis Dominus.

THESAURUS GRÆCARUM ANTIQUITATUM, auctore JACOBO GRONOVIO. Volumen Secundum, Tertium, Quartum & Quintum.

Lugduni Batavorum, apud Petrum Van der Aa, 1698 & 1699. in fol.

Volumen II conſtat 52 plagulis, ac 100 tabulis æneis.
Vol. III 53 plagulis, ac totidem tabulis æneis.
Vol. IV conſtat 7 Alphab. 10 plag. & variis tabulis figuriſque æneis.
Vol. V conſtat 7 Alphab. 17 plag.

EQuidem non nudius tertius prodierunt, quæ nunc exhibemus, volumina, ſed jam annis abhinc aliquot luci publicæ expoſita, a nobis vero eo tempore in Actis recenſita non fuerunt, eo quod conſtitutum nobis ac deliberatum eſſet, illorum recenſionem tamdiu differre, donec totum opus perfectum ſuis numeris & abſolutum extaret. Quod cum factum eſſe intelligeremus, noſtri putavimus officii eſſe, eandem, quam primo volumini A. 1697, pag. 529 in his Actis navavimus, operam nunc quoque ſuſcipere, & inſtituti, quod brevi commemoratione continetur, rationes expeditas dare.

Quod hic primum locum occupat, Volumen alterum reſpicit tempora bellum Trojanum inter & Alexandri Magni ætatem interjecta, in eoque imaginibus appoſitis repræſentantur *Fama*, *Menſis*, *Ulyſſes*, *Nauplius*, *Nauſicaa*, *Circe*, *Sirenes*, *Leander*, *Hero*, *Codrus*, *Maro*, *Pergamus Junior*, *Arethuſa*, *Alpheus*, *Cryſas*, *Acragas*, *Patreus*, *Homerus*, *Heſiodus*, *Dido*, *Caranus*, *Fauſtulus*, *Romulus*, *Amphinomus & Anapias*, *Egeria*, *Byzas*, *Thales*, *Solon*, *Pittacus*, *Alcæus*, *Sappho*, *Anacharſis*, *Battus*, *Pherecydes*, *Steſichorus*, *Attus Navius*, *Pythagoras*, *Anacreon*, *Sibylla*, *Sibylla Cumana*, *& Manlia*, *& Phrygia*, *Malchus*, *Charondas*, *Zaleucus*, *Archytas*, *Milo*, *Columna Rhegia*,

tet, veram lectionem esse. Eodem Volumine de Herodoto a-gens ait, si veteres non alium agnoverint Herodotum, quam prout hodie exstat, mirum non esse, quibusdam displicuisse. Imo vero non dubitat, veteres hinc inde aliter legisse, eosque non hæc verba Tomyridos Reginæ ad cadaver Cyri: Σὺ μὲν ἐμεῦ ζώντε τε καὶ νικώσης ἐς μάχην, ἀπώλεσας παῖδα τὸν ἐμὸν, ἑλὼν δόλῳ. σὲ δ' ἐγὼ, κατάπερ ἠπείλησα, αἵματος κορέσω; *tu quidem me viventis & in pugna victricis filium perdidisti dolo captum: at ego te, prout interminata sum, cruore saturabo;* sed ista: ΣΥ ΜΕΝ ΕΜΕ ΖΩΣΑΝ ΤΕ ΚΑΙ ΝΙΚΩΣΑΝ ΣΕ ΜΑΧΗ ΑΠΩΛΕΣΑΣ, ΠΑΙΔΑ ΤΟΝ ΕΜΟΝ ΕΛΩΝ ΔΟΛΩ; *tu quidem me vivam & vincentem te prælio perdidisti, filium meum intercipiens dolo*, in Herodoto invenisse. Id esse, addit, pretium membranæ Mediceæ, unicæ ad hanc rem fidelis; unicæ, ad quam Herodotus restitui possit. Similiter notat, epigrammate apud Stephanum Byzantinum v. ΘΟΥΡΙΟΙ legendum esse, ΗΡΟΔΟΤΟΝ ΞΥΛΕΩ, non ΛΥΞΕΩ, id quod monuerit Ursinus, qui id integrum de vetere libro Jo. Zezæ (qui Xylum Herodoti patrem, non Lyxum nominandum docet, adductis multorum testimoniis, & inprimis Zenonis auctoritate, a quo id epigramma accepisse se Zezes scribat) descripserit. Eodem observat Gronovius, apud Lucianum de Domo dici ΗΡΟΔΟΤΟΝ ΤΟΥ ΛΥΞΟΥ ΑΛΙΚΑΡΝΑΣΣΟΘΕΝ; at vero, si vera sit annotatio Ursini, neque Lucianus pravo codice in errorem ductus ipse etiam prave scripserit, & hunc restituendum esse pronunciat. Similiter de Platone verba faciens, ipsum Platonem adjuvat in ea parte, quam ex eo citavit Apulejus in Apologia, pag. 300 edit. Elmenhorst. eaque, quæ Casaubonus sine ullo fundamento inferserit, omnesque editores imperitissime retineant, ex membrana Medicea, qua nihil veracius judicat, ita restituit: *ut qui hoc negotium ex lectione & æmulatione Aristoteli nactus sim: nimirum hic & Platone me adhortante, qui ait, eum qui ista re fugit* ἀμεταμέλητον παιδίαν ἐν βίῳ παίζειν. Volumine tertio, quo de Sex. Julio Frontino agit, Æliani in præfatione locum ex optimo codice Mediceo ita restituit: Ἐπεὶ δὲ τῷ Θεῷ πατρὶ Νέρβα συμβαλὼν παρὰ Φροντίνῳ τῶν ἐπισήμων ὑπατικῶν Φορμίαις ἡμέρας τινὰς διέτριψα, δόξαν ἀπενεγκαμένῳ περὶ

ἐν τοῖς πολέμοις ἐμπειρίαν· συμβαλὼν τ' ἀνδρὶ εὗρον ἐκ ἐλάττονα σπυδὴν ἔχοντα εἰς τὴν παρὰ τοῖς Ἕλλησι τεθεωρημένην μάθησιν, ἠρξάμην ἐκ ἔτι περιφρονεῖν τῆς τῶν τακτικῶν συγγραφῆς, ἐκ ἂν ἐσπυδάσθαι παρὰ Φροντίνῳ δοκῶν αὐτὴν &c. Singulis his voluminibus annexus est index rerum notatu dignarum.

Volumen Quartum & Quintum continent libros, quibus Græciæ res atque antiquitates describuntur, quorum proinde indicem nos quoque repræsentabimus. Volumine quarto sequentes comparent: Nicolai Gerbelii *in Græciæ Sophiani descriptionem explicatio* pag. (1.) Jo. Laurenbergii *enarratio Græciæ antiquæ, tabulis Geographicis exornata & notulis emendata*, pag. 1. Ubbonis Emmii *Vetus Græcia*, cum additamentis Auctoris antehac ineditis & suis locis insertis, ac subjectis notulis pag. 85: ejusdem *Athenarum veterum descriptio*, p. 433: *Lacedæmon antiqua* cum appendice, p. 465 & 633: *de Republica Carthaginiensium*, pag. 503: *de Republica ac legibus Cretensium* p. 513: *de Republica Argivorum*, p. 519: *de Republica Thebanorum*, p. 523: *de Republica Corinthiorum*, p. 527: *de Republica Syracusana* p. 531: *de Republica & statu Corcyræorum*, p. 541: *de Samo & ejus Republica*, p. 545: *de Chio & ejus statu ac fortuna*, pag. 547: *de Republica ac statu Rhodiorum*, pag. 549: *de Republica ac fortuna Achæorum*, pag. 557: *de Republica ac fortuna Ætolorum*, pag. 575: *de Statu Acarnanum*, pag. 585: *de Statu Epiri*, pag. 587: *de Concilio Amphictyonico*, ibidem: *de Statu & Republica Massiliensium* pag. 589: *de Republica Locrensium in Italia*, pag. 593: *de Lyciorum Republica in Asia*, pag. 597: *de inclinatione & interitu Reipublicæ Atticæ, Spartanæ & Carthaginiensis*, pag. 599: *de situ, amplitudine, magnificentia & ortu Carthaginis*, pag. 661. Joannis Meursii *de Populis & Pagis Atticæ liber singularis*, cum supplementis Auctoris & Jacobi Sponii, pag. 673: ejusdem *Athenæ Atticæ, sive de præcipuis Athenarum antiquitatibus libri III*, nunc ex ipsius Auctoris chirographo aucti, pag. 817: ejusdem *Cecropia, sive de Athenarum arce & ejusdem antiquitatibus liber singularis*, nunc ex ipsius Auctoris chirographo auctus, pag. 905: ejusdem *Ceramicus geminus, sive de Ceramici Atheniensium utriusque antiquitatibus, Liber singularis*, pag. 957: ejusdem *Regnum Atti-*

Atticum, sive de Regibus Athenienſium, eorumque rebus geſtis libri III, nunc ex ipſius Auctoris chirographo aucti, pag. 1017: ejusdem *Archontes Athenienſes, ſeu de iis, qui Athenis ſummum iſtum Magiſtratum obierunt, libri quatuor*, nunc ex ipſius Auctoris chirographo aucti, pag. 1141. In præfatione de Gerbeliano labore cenſet, non ob doctrinam eligi meruiſſe, ſed ob raritatem & brevitatem, ut inde ad ſpatioſiora pararetur ingreſſus. Notat præterea aliquot ejus errores, nec adducit non quædam perperam a Laurembergio pronunciata, quem furtis Gerbelianis ſe maculaviſſe dicit. Melius quid & explanatius protuliſſe Ubbonem Emmium, ſtudiorum varietate ſcilicet ac cultu ſicut inſtructiorem, ita celebriorem. Omnium vero excellentiſſime de Græciæ antiquitatibus meruiſſe Jo. Meurſium, quem vel maxime in præfatione hac ſupplet, illuſtrat ac emendat. Quo loco inprimis laudat comitatem celeberrimi Viri, Jo. Georgii Grævii, quæ in his Meurſianis expoliendis adjumento & uſui maximo fuerit.

Volumine quinto ſequentes conſpiciuntur libri: Guilielmi Poſtelli *tractatus de Republica, ſeu Magiſtratibus Athenienſium*, pag. 1305. Antonii Thyſii *de Republica Athenienſium diſcurſus politicus*, pag. 1361: ejusdem *Collatio Legum Athenienſium & Romanarum*, pag. 1373. Jo. Meurſii *Piſiſtratus, ſive de ejus Vita & Tyrannide liber ſingularis*, nunc ex ipſius Auctoris chirographo auctus, pag 1397. Caroli Sigonii de *Republica Athenienſium libri IV*, pag. 1497: ejusdem *de Athenienſium Temporibus liber*, pag. 1629: ejusdem *Lacedæmoniorum Tempora*, pag. 1670. Joannis Meurſii *Fortuna Attica, ſive de Athenarum origine, incremento, magnitudine, potentia, gloria, vario ſtatu, decremento & occaſu, liber ſingularis*, nunc ex ipſius Auctoris chirographo auctus, pag. 1677: ejusdem *Atticarum Lectionum libri IV*, nunc ex ipſius Auctoris chirographo aucti, pag. 1757: ejusdem *Piræeus ſive de Piraeo, Athenienſium portu celeberrimo, & ejusdem Antiquitatibus, liber ſingularis*, pag. 1929: ejusdem *Themis Attica, ſive de Legibus Atticis libri II*, pag. 1945: ejusdem *Solon, ſive de ejus Vita, Legibus, dictis atque ſcriptis, liber ſingularis*, nunc ex ipſius Auctoris chirographo auctus, pag. 1993: ejusdem

Are-

Areopagus, *sive de Senatu Areopagitico*, *liber singularis*, nunc ex ipsius Auctoris chirographo auctus, pag. 2065. Marq. Freheri *Decisionum Areopagiticarum Sylvula*, pag. 2133. Mart. Schoockii *Achaja Vetus*, *ejus Situs*, *Antiquitates*, *Respublica*, *Reges*, *Tyranni*, *Leges*, *Bella* &c. pag. 2141. Joh. Meursii *de Regno Laconico liber singularis*, pag. 2209: ejusdem *Miscellanea Laconica*, *sive variarum Antiquitatum Laconicarum libri IV*, pag. 2281. Nicol. Cragii Ripensis *de Republica Lacedæmoniorum libri IV*, pag. 2497. In præfatione iterum Meursium auget & illustrat, variaque literaturæ Græcæ capita explicatius tradit. Quo pertinet illud, censente Scaligero, vere Λακωνίζον decreti specimen, a Boethio in scripto de Musica servatum, de quo prolatas doctorum virorum sententias invicem contendit, tandemque omnia ad MStam, ut loquitur, vetustatem ita restituit: Ἐπειδὴ Τιμόθεος ὁ Μιλήσιορ παργίμενορ ἐτ τὰν ὁμετέραν πόλιν τὰν παλαιὰν μῶαν ἀτιμάσας δὴ, καὶ τὰν διὰ τᾶν ἑπτὰ χορδᾶν κιθάριξιν ἀποστρεφόμενορ, πολύφωνον εἰσάγων λυμαίνεται τὰς ἀκοὰς τῶρ νέωρ, διὰ τε τᾶς πολυχορδίας καὶ τᾶς καινότατος τῶ μέλεος ἀγεννῆ καὶ ποικίλαν ἀντὶ ἁπλόας καὶ τεταμένας ἀμφιέννυται τὰν μῶαν ἐπὶ χρώματος συνιστάμενος τὰν τῶ μέλεος διασκευὰν ἀντὶ τᾶρ ἐναρμονίω ποτ τὰν ἀπόστροφον ἀμοιβάν· παρακληθεὶς δὲ καὶ ἐτ τὸν ἀγῶνα τᾶς Ἐλευσινίας Δάματρος ἀπρεπῆ διεσπεύσατο ταν τῶ μύθω διασκευὰν, τὰρ τᾶς Σεμέλαρ ὠδῖναρ οὐκ ἐν δίκῳ τὼς νέως διδάκκε· δέδοκται φᾶν περὶ τούτων τὼρ βασιλέας, καὶ τὼς ἐφόρορ μέμψατται Τιμόθεον, ἐπαναγκᾶται δὲ καὶ τὰν ἑνδεκαχορδίαν ἐκταμὲν τὰς περιττὰς ὑπολιπόμενον τὰς ἑπτά· ὅπως ἕκαστος τὸ τᾶς πόλιος βάρος ὁρῶν εὐλάβηται ἐτ τὰν Σπάρταν ἐπιφέρεν τι τῶν μὴ καλῶν ἐθῶν, μήποτε ταράττηται κλέος ἀγώνων.

INDEX AUCTORUM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes,

 Ano-

Noalli

II. Libri Juridici.

III. Libri Medici & Physici.

Cowperi

IV. Libri Mathematici.

V. Libri Historici, Geographici &c.

Helenii

VI. Libri Philosophici & Philologici Miscellanei.

Perizo-

INDEX RERUM

NOTABILIORUM

in hoc Volumine obviarum.

A no-

Caroli

Clemen-

Cu

Per

Fami-

Infini-

Poëfeos

Jo[illegible]

cur

Corrigenda.

Pag. 515. lin. 16. pro tota lege maxima sui parte. P. 512. l. 6. pro resoluta ex nubes lege resolutæ ex nubibus. l. 13. aër vero supple falsus. l. 18. pro aliquid attrahit, lege fistulas quasdam attrahit. l. 20. pro aër frigidus falsus, lege aër frigidus non-falsus.

